



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN


## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Impius Infelix**

**Texier, Claude**

**Augustae Vindelicorum [u.a.], 1695**


[urn:nbn:de:hbz:466:1-45950](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45950)





Th. 2666.


J. F. X.


7















INFELIX SECURITAS.

IMPIUS INFELIX,  
SEU TRES  
MALEDICTIONES  
PECCATORIS.

Ab

A. R. P. CLAUDIO TEXIER  
Societatis JESU

*Per Adventum Parisiis Prædicatæ,*

Per omnes ferè anni Dominicas  
prædicabiles :

*Post plures editiones*

Ex Gallico idiomate in Latinum

*Collegii Sordani J. S. U. ab Paderborna 1703*

A. R. P. HERMANNO SETTELIN,

Ord. S. Benedicti, Imperialis Monasterii Ochsen-  
hufani Prof. SS. Theologiæ Doctore.

*Cum Facultate Superiorum.*



AUGUSTÆ Vindelicorum & DILINGÆ,

Sumptibus Joannis Caspari Bencard, Bibliopolæ.

Anno M. DC. XCV.

IMPIUS INFELIX  
SEU TRIS  
MALEDICTIONES  
PECCATORIS

A. R. P. CLAUDIO TERTIER

Societatis IESU

Per omnes s[an]ctos anni Dominicae

Ex Gallico idiomate in Latinum

A. R. P. HERMANNO SETTELIN

AUGUSTI Vindelitorum & DINING

Anno M. DC. LXX



REVERENDISSIMO & AMPLISSIMO

DOMINO, DOMINO

FRANCISCO,

Imperialis Monasterii Ochsenhusani

ABBATI VIGILANTISSIMO,

Archi-Episcopalis Universitatis Salisbur-  
gensis ac Benedictino-Svevicæ Congregationis

PRÆSIDI DIGNISSIMO, &c.

DOMINO MEO GRATIOSO.

Reverendisime Præsul, Amplissime

Domine, Patrone Gratiose.



Ne offendat Pietatem Tuam, Reverendisime Præ-  
sul, Tuam, Amplissime, & Gratiose Domine  
Felicitem Infelix, & Impiis formidandus ho-  
minibus Libri istius Titulus. Optima est rerum sibi contra-

⋈

riarum

## DEDICATIO.

riarum inter se se comparatio, ut ex unius vitio alterius virtus magis eluceat. Videtur prima fronte in utramque hanc vitam Tuam comitem, Pietatem nempe, atque Felicitatem, effronter esse injurius, quisquis Paginis istis, in rebelles Deo animas acerrimo stylo armatis, & extrema denunciatis supplicia Innocentissimum Nomen Tuum præfigere audeat; nunc quidem in optimorum, ac Fortunatissimorum Antistitem classe collocandum; olim autem inter Sidera aureis characteribus referendum. Sed Judex paulò sincerior contentiosa injuriarum actione me non conveniet, si hujus consilii mei rationes ad æquitatis bilancem expendit.

Eum me argumenti severioris lucubrationi huic Patronum adhibere oportuit, qui suavissimo Nominis sui auspicio nimium Epigraphes, & Thematis rigorem in ipso statim operis aditu mitigaret. Isthæc autem gemina Pietatis, ac Felicitatis decora, præter innumera alia, in Reverendissimam & Amplissimam Paternitatem Tuam confluisse, quis præter Lividos, & in præclara Magnorum Virorum ignorantia versantes oculos non videt? Triplicem scio Pietatis Virtutem distingui à Sapientissimo Hipponensium Præsule, & augusti ingenii Doctore Augustino. Semel ea idem sonat, ac Religio, seu verus Dei cultus, ex quo omnia rectè vivendi officia ducuntur. Sensu alio Benignitatem, & Misericordiam constituit; & tandem pro officio

## DEDICATIO.

officio sumitur Parentibus, præcipuis secundum Deum, vitæ, & educationis Authoribus; Patriæque, & cunctis sanguine conjunctis tribuendo. Omnes hosce Pietatis modos cum eminentia tenes, & perfectissime explēs. Pulcherrima imprimis Religionis in Deum, Cælitesque exempla præis, quæ vehementer quidem movent, vehementius tamen occulta vi in eundem divini amoris æstum subditos abripiunt. Nihil agis inter homines, quod Deo teste dignum non sit. Sacra ubique animi in Superos devotissimi thura redoles. Primus ades, ubi Cælestia Davidis Carmina in Templo concinenda sunt; junctaque voce ad dicendas Numini Laudes linguas, animosque Tuorum excitas. Ne apicem quidem eorum Officiorum exigis, quæ Sanctissimis Vestris Legibus jubentur, quin ea ipsa à Te prius exegeris, & feceris imperata. Exploratum scilicet Tibi est, Religiosissime, & Amplissime Domine, noni Regnorum tantum, & Regum, sed Sacrarum potissimum Familiarum basin esse Religionem, quâ Pietatis anchorâ semel motâ, fluctuare rerum profanarum & Deo dicatarum navim necesse est.

Quid nunc de Laudatissimo illo ardore commemorem, quo rem divinam, & tenerrimos Clientum in Matrem, acerbissimæ Filii sui neci indolentem, affectus, periclitantemque animarum salutem in Steinhufiana Virginis

DEDICATIO.

Thaumaturgæ Æde insigniter promotes? quo in loco gravissimis onerati per omnem retrò vitam piaculis noxarum suarum veniam, & afflictissimi quique calamitatum suarum remedium à Diva ibidem Propitia exorant. Adjutorii Lapis est Steinhufianum illud Tuum Deiparæ, Nati sui Funerari ingemiscentis, Sacrarium, cui res & spes Tuas cum tota vicinia pridem solidissimè inædificasti.

Nec minus à benevolentia, & paterno in Subditos animo commendandus venis, Pientissime Cœnobiarcha. Cum Sole omnibus exoreris, ut beneficiis singulos illustres. Nemo est, qui se à calore Pietatis Tuæ abscondere possit. Peragit tranquilla potestas apud Te omnia, quæ violentia non impetraret. Id unum times, ne timearis. Hinc subjecti amare Te malunt, & pro Tua incolumitate metuerent, quàm Te timere. Recti quidem, ac æqui servantissimus es, ne aliena palpando delicta, ea connivendo Tua facias; es tamen pronissimus ad veniam, & velox ad præmia: non ignarus, tam turpia esse Religionum Præsidibus suorum supplicia, quàm Medico ægrotorum funera.

Sed singulari quoque in Sanctissimum Ordinis Vestri celeberrimi Parentem Benedictum, & Filiam Ejus, Paternæ Virtutis Æmulam, Religionem Benedictinam, Matrem Tuam, Cunctosque Matris hujus felicissimæ Filios Pietate  
emi-

## DEDICATIO.

emines. Nihil habes antiquius, quàm ut nova identidem incrementa capiat Familiæ tam Gloriosæ decor pristinus. Sciebant hoc Viri Clarissimæ Congregationis Vestræ Svecicæ Principes, & Amplissimi: non ignorabat Benedictina, quæ apud Salisburgenses floret, Scientiarum omnium Archiepiscopalis Universitas; hinc utraque sub Tuum fugiens Præsidium, Illustri Te supremi Præsidis munere ac honore cumulavit.

Vidimus Te hucusque ex triplici capite ad magni Augustini mentem Piissimum: nunc verò Felicitatem quoque, Pietatis ad omnia utilis Pedisequam, Tibique propriam, brevissimo obtutu dilibemus. Si Ethicos, Politicosque Aristotelis Libros excutimus sciscitandi animo, quid denique rei sit illa à tam multis desiderata, à paucis verò probè cognita Felicitas; Legemus in doctissimis illis foliis, id ex Philosophi sententia Felicitatis nomine venire, quod vitam sufficientem, optabilem, & nullius indigam præstat: ac rursus: Felicitatem virtutis operationem esse, atque usum perfectum. Orator Arpinas rerum honestarum prosperitatem indigitabit. Alii denique adjutricem bonorum consiliorum Felicitatem esse definient. Cum quocunque eorum sentiam, rectè de Amplissima, & Reverendissima Dominatione Tua sentio, si terque, quaterque Felicem Lætissimis Eam vocibus gratulabundus salu-



## DEDICATIO.

rem. Optatissimus enim sapientissimorum consiliorum  
Tuorum successus: quotidiana, & perpetua Virtutis in na-  
turam apud Te transeuntis opera: Rei familiaris inter-  
sumptuosos Longissimorum bellorum sumptus, & inevi-  
tabiles hybernorum rigores prosperitas: & vitæ denique  
Tuæ optabilis ratio, summaque sufficientia, quid aliud sunt,  
quàm liquidissima Felicitatis non vulgaris testimonia?

Et fac, hæc deesse omnia in rem præsentem argu-  
menta. Tua in eventibus minùs secundis animi Fortitu-  
do, & præsignis, quâ fulges, Sapientia, fatis Te, superque  
Felicem redderent, & faustitate domestica in sinu beatum.  
Videris sanè rebus adversis erigi, ab ea vi attoli, à qua  
deprimerentur alii. Non potest Tibi humilem gemitum, aut  
vocem exprimere Mavors Suevico-Rhenanus, non ferro  
tantùm, sed multo auro nutriendus. Provocas potiùs, quàm  
metuis fortunam quamcunque; adamanti simillimus, qui  
inter malleos durat, & sub incude nitet. Neque finis  
inter armorum strepitus Musas silere. Litteras foves, &  
Literatos Literatissimus ipsemet, gerens digna litteris. Præ-  
stantiorem Laurum judicas, quàm aurum; illumque feli-  
ciorem, qui caput habet scientiis coronatum, quàm co-  
ronam in capite.

Sed

### DEDICATIO.

Sed video, intelligoque, quòd in tanta de Laudibus Tuis innumeris loquendi opportunitate, & copia, silentium mihi imponat modestia Tua, quæ Te ita assuefecit, ut cum omnibus major sis, parem Te reliquis putes: hoc solùm major, quòd melior, & in æstimanda Nominis Tui dignitate moderatior, quem morem maximis semper Viris solemnem fuisse non nescio, in id unicè intentis, ut cum apibus operirentur, dum operarentur: Laterent ex parte, cum ex toto non possent; umbram amarent, dum in sole versarentur. Obsequar ergo, parcamque rubori Tuo, Reverendissime, & Amplissime Præsul, sed & Tu candorem meum æqui, bonique consule, quo Librum Tibi, Antistiti Pio, Felici, Benedictino, Impios Infelices, Deoque exosos homines libertate Ecclesiastica, & censorio calamo exagitantem inscripsi. Primus ego non sum, qui Nuncupationem, Operis hujus Reverendissimæ, & Amplissimæ Dominationi Tuæ destino. Latinum Concionum istarum Interpretem, quem alterum Partûs hujus nobilissimi Parentem jure veneror, Virum longiore vita dignissimum, sequor, & consequor, facioque, quod facturus ille fuisset, nisi mors præveniens paria ejusdem in dedicando hoc Volumine consilia antevertisset, mihi que jure quodam hæreditario in voluntatem, & vestigia ejus succedenti, honorarium hoc munus imposuisset.

Vive

DEDICATIO.

Vive Reverendissime Pater, Amplissime Domine, & eâ,  
qua soles, benevolentia, nutuque placidissimo tenue istud  
obsequium Facilis, Favensque admitte à Servo

*Reverendissimæ ac Amplissimæ  
Dominationis Tuæ*

Augustæ Vindelicorum,  
in festo Pentecostes

1695.

*Addictissimo*

Joanne Casparo Bencard.



# INDEX

## Materiarum & Punctorum singulorum Sermonum.

### Sermo Primus.

- Ad Auditores præviè disponendos. pag. 1.*  
 Auditori Christiano tres qualitates sunt necessariae, ut fructuosè audiat Verbum Dei. 3  
 Prima est, veram concipere ideam Prædicatoris Evangelici & Actionis, quam in prædicatione exercet. 3  
 Secunda est, habere intentionem conformem isti ideæ. 7  
 Tertia est, non habere ullam intentionem huic ideæ difformem. 12

### II. Sermo.

- Intentio Generalis. 28*  
 Deus effundit tres maledictionum species, super impium.  
 1. Ei maledicit in bonis externis. 2. In potentiis animæ.  
 3. In virtutibus ipsius apparentibus.  
 In morte, & post mortem illius. 29  
 Deus effundit supra justos tria pariter genera benedictionum oppositarum trinis maledictionibus peccatoris, ibidem  
 Sicut Amor Dei est fons benedictionum, ita odium est causa maledictionum.

) 2

1. Odium

## I N D E X

1. Odium Dei consideratur in suis principiis.  
Deus odit peccatum. Nihil odit proprie præter peccatum, 31
- Hoc odium est inseparabile à natura Dei. 32
2. Deus odit peccatum odio abominationis aut aversionis, & odio inimicitiae, seu vindictae. 34
3. Odium Dei consideratur in suo principali effectu. 38
- Deus per odium aversionis privat peccatores paternam suam Providentiam, quam gerit erga justos. 39
- Per odium vindictae destinat eisdem mala & pœnas juxta criminum ipsorum exigentiam. 42

### PRIMA PARS MATERIÆ

#### *Maledictionum super bona exteriora.*

#### III. Sermo.

##### *Impius Maledictus in bonis suis.*

1. Deus peccatorem privat benedictionibus suae Providentiae per odium aversionis, quod gerit erga peccatorem. 47
- Idem destruit bona fortunae illius, eum feriendo maledictione per odium inimicitiae. 49
2. Quamvis Deus relinquat impio bona, carent tamen benedictione; peccator premitur egestate in ipsarum rerum abundantiam. 64

#### IV. Sermo.

##### *Impius Maledictus in suo honore.*

1. Deus privat peccatorem gratiam sanctificantem, quae est fundamentum gloriae essentialis in homine. 72
2. Deus privat insuper peccatorem honore ipsius accidentali; Omnis honor, quem exteriùs recipit, non habet, 74

I N D E X.

habet, nisi falsam splendoris alicujus apparentiam.

80

3. Deus destruit falsum honorem, & confundit superbiam impii. 83

V. Sermo.

*Impius Maledictus in suis liberis.* 87

1. Deus punit liberos turpi egestate in odium parentum ipsorum. 88  
2. Extinguit illos repentinâ morte. 93  
3. Permittit ut liberi fiant parentibus pejores & vitiosiores. 101

VI. Sermo.

*Impius Maledictus in sua prosperitate.* 104

1. Prosperitas impii ordinariè est fons malorum, & infortuniorum. 107  
2. Hæc sæpius causa est damnationis ipsius æternæ. 118

VII. Sermo.

*Impius Maledictus in suâ adversitate.* 125

1. Peccator pœnas suas reddit perniciosas, quàmvis sint ex naturâ suâ indifferentes, & in intentione Dei optimæ. 126  
2. Easdem sustinet sine ullo solatio. 134  
3. Ex iis nihil proficit, imò per hoc medium, quod alios salvat & sanctificat, se condemnat. 136

SECUNDA PARS

*Maledictionum super potentias Animæ.*

VIII. Sermo.

*Impius Maledictus in suo intellectu.* 145

Peccator habet intellectum excæcatum.

X 3

1. Quia

I N D E X.

1. Quia negligit, & respuit lumina gratiæ per omiffionem vitiofam & ignorantiam crassam. 148
2. Quia obscurat, & destruit mentis suæ oculos per ignorantiam, affectatam & malitiosam, indulgendo suis passionibus. 152
3. Quia Deus illum excæcat per justam quandam vindictam negativè, occasionaliter, & permissivè. 157

IX. Sermo.

*Impius Maledictus in sua ratione Fidei opposita.* 162

Impius concipit animum fortem, cujus tamen debilitas, ac cæcitas apparet ex hoc, quòd

1. Fidelis insistat principiis certis & indubitatis, libertinus è contra rationi obnoxia errori. 164
2. Quòd fidelis sustentetur Auctoritatibus urgentibus, testimoniis valde ponderosis: impius verò adhæreat opinionibus particularibus, à nemine, nisi liberæ fidei & per versis hominibus approbatis & confirmatis. 172
3. Quòd fidelis perseveret firmus in suis cognitionibus per morum innocentiam, vitæ suæ integritatem. Impius autem semper dubius fluctuet ob inordinationem suarum passionum, & à Deo relictus. 178

X. Sermo.

*Impius Maledictus in servitute suarum passionum.* 181

1. Homo justus possidet veram libertatem. 182  
Permanentem & acceptissimam. 187
2. Impius verâ servitute opprimitur. 188
3. Ista servitus est perpetua & crudelissima. 190

XI. Sermo

## XI. Sermo.

*Impius Maledictus in remorsibus sua Conscientia.* 197

1. Mala conscientia est accusator & testis qui suis nos objectionibus convincit. 200
2. Est iudex, qui nos condemnat suis sententiis. 206
3. Est carnifex, qui nos plectit crudelibus tormentis. 212

## TERTIA PARS

*Maledictionum super virtutes apparentes.*

## XII. Sermo.

*Impius Maledictus in sua fide.* 220

Fides sine bonis operibus est maledicta & reprobata à Deo. Necessitas fidei bonis operibus connexæ desumitur

1. Ex natura & qualitate veræ fidei, quæ ut meritoria sit, sociari debet charitati. 222
2. Ex fine, ob quem Deus nobis donavit fidem. 229

## XIII. Sermo.

*Impius Maledictus in sua spe.* 238

Spes peccatoris est falsa & maledicta à Deo, quia

1. Impius non habet timorem Dei, sine quo recipere nequit primam gratiam ad sui conversionem necessariam. 239
2. Etsi impius reciperet gratiam, nihil tamen ei proficeret, nam carens timore Dei privatus est duabus principalibus virtutibus, quæ conferunt efficaciam gratiæ, sc. sollicitudine, seu cura salutis, & fortitudine. 248

XX

XIV. Ser-



## XIV. Sermo.

*Impius Maledictus in sua Pœnitentiâ sine dolore.* 254

Dolor impii est falsus dolor, ejus falsitas deducitur.

1. Ex ipsâ natura & proprietatibus veri doloris. 255
2. Ex motivis, quæ debent excitare istum dolorem. 266

## XV. Sermo.

*Impius Maledictus in sua Pœnitentiâ sine proposito se emendandi.* 272

Pœnitentiæ comes esse debet mutatio vitæ, hujus mutationis necessitas sumitur ex natura pœnitentiæ

1. Consideratæ, prout est virtus. 274
2. Consideratæ prout est Sacramentum. 283

## XVI. Sermo.

*Impius maledictus in sua Pœnitentiâ sine satisfactione.* 286

Pœnitentiæ debet copulari satis factio operum, eoque

1. Pœnitentiâ debeat reparare gloriam Dei offensi. 287
2. Quòd sit medicina, quæ debet sanare morbos animi. 296

## XVII. Sermo.

*Impius Maledictus in sua Pœnitentiâ usque ad horam mortis dilata.* 300

Pœnitentiâ & confessio in hora mortis peracta à peccatore in malitia habituato, est saluti inutilis & à Deo maledicta. 301

1. Hæc veritas probata est à Authoritate Ecclesiæ loquentis per ora Pontificum, Conciliorum & SS. Doctorum, sectantis testimonia utriusque testamenti. ibid.

Duabus

I N D E X.

Duabus item rationibus sequentibus.

2. Vera Pœnitentia sine pravâ dispositione in horâ mortis fieri nequit, cùm sit difficillima, impediatur ab hostibus potentissimis, ejusque peccator nullum habeat usum. 307
  3. Ad veram conversionem ex parte Dei requiritur gratia, ex parte hominis cooperatio gratiæ. Quò difficilior est conversio, eò gratia debet esse major & cooperatio extraordinaria. Sine miraculo itaque hanc gratiam non obtinet in horâ mortis. 313
- Quòd si consequeretur istam gratiam, non apparet, quomodo corresponderet gratiæ acceptæ. 316

XVIII. Sermo.

- Impius Maledictus in suâ morte.* 323
- Primum malum impii est interventio subitanæ mortis. 324.  
( & 333
- Secunda Maledictio est tristitia & horror quidam, præcipitans eum in desperationem. 338

XIX. Sermo.

- Impius Conversus in inferno.* 341
- Ista maledictio consistit in his.
1. Intellectus & voluntas ipsius se affigunt considerationi Dei, ut summum est bonum, de quo vix unquam cogitavit antea. 343
  2. Cognoscit seipsum, ac videt is enormitatem suorum scelerum cum pœnitentia dolorifica, sed inutili. 346
  3. Non versatur amplius inter delicias, sed inter supplicia & tormenta infinita. 352

XX. Sermo.

- Pro Festo Conceptionis Beatissimæ Virginis.*
- Beatissima Virgo similis est Civitati Dei; Conceptio ipsius fundamentis Sacræ hujus Civitatis.
- Excellentia horum fundamentorum desumitur:
1. E nobilitate fundi, cui illa sunt imposita, quæque sunt in montibus sanctis, id est meritis infinitis Christi Jesu collocata. 360
  2. Ex thesauris istorum fundamentorum, hoc est, gratiarum ac privilegiorum Virgini in Conceptione sua concessorum. 368

)( ( 2

XXI. Ser-

I N D E X.

XXI. Sermo.

*Pro Nativitate Domini nostri Jesu Christi.*

- Christus natus consideratus ut Deus miraculose conversus. 377
1. Ex Deo in hominem. Et hæc conversio exigit nostras admirationes. 380
  2. Ex iudice in Patrem. Et hæc conversio exigit nostras laudes & gratiarum actiones. 384
  3. Ex Deo offenso in Deum poenitentem. Et hæc conversio exigit nostram imitationem. 387

XXII. Sermo.

*Pro Festo S. Stephani Protomartyris.*

- S. Stephanus plenus gratiâ & fortitudine faciebat prodigia magna. 393
1. Prodigium fortitudinis Spiritûs quæ ei promeruit Coronam Doctoratûs. 397
  2. Prodigium fortitudinis Charitatis, quæ ei procuravit coronam Confessorum. 402
  3. Prodigium fortitudinis animi, quæ capiti ipsius imposuit Coronam Martyrii. 406

XXIII. Sermo.

*Pro Festo S. Joannis Evangelistæ.*

- S. Joannes fuit discipulus, quem diligebat JESUS. 414
1. Testimonia amoris Jesu erga S. Joannem. 417
  2. Reciprocatio amoris S. Joannis, qui videns se plus diligi, etiam plus diligebat JESUM. 426

XXIV. Sermo.

*Pro Festo Circumcisionis Domini.*

- Jesus exinanitus & exaltatus. 434
1. Exinanitio Jesu circumcisi descendente in abyssum humilitatis per 4. gradus humiliationis. 437
  2. Exaltatio Jesu per gloriam sui Nominis quod est magnum ob causam illius, qui id tribuit. 445
- Magnum ob causam illius, quod idem significat. 446
- Magnum in admirandis suis effectibus. 449



Impius



# IMPIUS INFELIX,

five

Tres Maledictiones Peccatoris.

## PRIMUS SERMO

PARASCEVICUS,

Ad præparandos Auditores.

*Beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud. Luc. 11. 28.*



Non sine ratione quidam ex antiquis pronuntiavit, vitium in animæ nostræ penetralia proserpere per tot oria, quot corpus numeraret organa sensitiva, virtutem vero non nisi per aurium portam eò ingressum suum moliri.

S. Paulus veritatem hanc convincente argumento Hebr. 11. 6. demonstrat: *sine fide*, supponit hic Apostolus, *impossibile est, placere Deo*, quia fides est initium omnium virtutum, quæ nos Dei majestati acceptos reddere possunt.

Fides est fundata in Verbo Divino, istud autem aliter nobis revelatum non est exterius, nisi per prædicationem Evangelicam. Rom. 10. 17. *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.* Et quomodo audient sine prædicante? per auditum itaque, recipiendo fidem, simul recipimus virtutis omnis initium.



Per

Per aures item haurimus virtutis augmentum & perfectionem, quia eodem Apostolo teste Verbum Dei servit propriè ad instruendum, ad convincendum, & corrigendum, uno verbo, ad hominem perficiendum juxta cor Dei, & disponendum ad omne genus bonorum operum.

2. Tim. 3. 17. *Ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.*

Ad consecutionem perfectionis Christianæ tria præcipuè requiruntur, intellectus sc. vivis luminibus irradiatus, voluntas sacris affectibus succensa, amor demum efficax in praxin variarum virtutum progrediens ad extra. Sed verbum Dei ejus, modi lumina communicat, *ad docendum*, evincit voluntatem ardoribus, quibus est inflammatum, *ad convincendum*; nosque perducit ad sanctitatem, *ad corripiendum*, & *erudiendum in justitia*. Regius

Pfal. 119. 105. Propheta id vocat *Lucernam*, quæ nos illuminat. Jere-

Thren. 1. 13. mias indicat esse *ignem*, qui nos succendit; Christus Verbum Patris substantiale hoc idem verbum Dei comparat

Luc. 8. 11. *semini cadenti in terram bonam*, seu cor bene excultum, seq. ibidem cum centenarii fructus fænore multiplicanti, S. Cyprianus asserit, quòd in Verbo Divino inveniamus lumen, quo ducimur, robur, quo sustentamur, medelam, *cujus ope perfanamur*.

Quandoquidem Dei verbum producat effectus adeò stupendos, quem nos ergo Zelum concipere, qualem animi applicationem ad hibere, oportet, illud ritè percipiendi? nunquid injuria haud levis esse videtur, tanto studio incumbere ad artem bene loquendi, e contra omnem negligere curam, bene audiendi: nonne injustitiæ Auditores arguendi, qui exigunt, ut concionatores se disponant ad bene prædicandum, nolunt tamen ipsi se præparare, ad illos bene intelligendos?

Disca-

Discamus itaque hodie dotes, seu qualitates, quibus **DIVISIO.**  
pollere debet fidelis auditor, earum tres invenio, in quas  
modò discursum hunc dividam. Prima est, veram in se  
concipere ideam Prædicatoris Evangelici, & actionis,  
quam adhibet in ipsa prædicatione. Secunda est, forma-  
re intentionem tali ideæ conformem. Et tertia, omnem  
excludere intentionem huic ideæ difformem. Gratia  
sancti Spiritûs, qui æquè bonos auditores ac bonos con-  
cionatores effingere novit, nobis æqualiter est necessaria:  
pro quâ obtinendâ accedamus Eundem mediante inter-  
ventu illius, quæ in sinu suo Virgineo concepit Verbum  
increatum, quando Angelus ei dixit: *Ave Maria &c.*

Veræ ac perfectæ rerum omnium ideæ eminenter **I.**  
continentur in intellectu Divino; quia utpote Creator **Punctum.**  
universalis omnium essentiarum, primitùs illas efforma-  
vit, & expressit in sua cognitione, mentem proinde ipsius  
consulamus, ad perdiscendam qualitem ac functionem  
prædicatoris, indèque inferamus, quales debeant esse Au-  
ditores.

Dubitare tam parùm, quàm principiis fidei renun-  
tiare licet, quin prædicatio sit opus institutionis Divinæ;  
sed omnino credere oportet, quòd Deus ipse omnis veri-  
tatis author loquens in lege veteri per Prophetarum ora-  
cula, in nova ore proprio sui Filii, post ipsum per Apосто-  
lorum suorum linguas, nòsque adhuc instruat per eorum  
successores legitimè ad hoc ordinaros, ac missos à Pontifi-  
ce, aut Episcopis, per authoritatem Ecclesiæ ministerium  
istum Apostolicum usurpantes, ut reconditos scripturæ  
sensus & veritates nobis exponant.

Hi itaq; ex illis sunt, quibus per missionem à Præla-  
tis acceptam Deus credidit Divinum istum semen, sine

quod, Isaia teste, detestandi magis effemus Sodoma & Gomorrha. *Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuisset, & quasi Gomorrha similes effemus.* Semen fecundum, quod profert germen vitæ immortalis; unde S. Hilarius prædicatores appellat *Satores aternitatis.*

Comment. in  
Matth. can. 4.

Sunt nubes illæ volantes, quarum idem Seraphicus Vates meminit, quæ motore Divino Spiritu ejusq; afflatu impulsæ undiquaq; deferunt abundantiam & fertilitatem.

Isa. 60. 8.

*Qui sunt isti, qui ut nubes volant?* nubes mysteriis prægnantes, destinatae ad irrorandas suorum Auditorum animas pluviis valde pretiosis, ut observat Apostolorum princeps:

1. Pet. 1. 2.

*In aspersionem sanguinis Jesu Christi.*

Si tales sunt, quales Deus esse vult, mox cognoscetis, quod sint tonitrua, grandine iræ Dei gravida, in impiorum capita exoneranda, quod sint fulgura flammis vindictæ Divinæ ardentia, ad reptobos è peccati veterno excusitandos. Verba Dei sunt intra illorum manus arcuum & penetrantium sagittarum instar, quibus Auditorum corda configant. Huc respexisse Psalter Regius, visus est

Psal. 17. 15.

Divo Augustino, dum cecinit: *Misit sagittas suas & dissipavit eos, fulgura multiplicavit, & conturbavit eos.*

Necdum ad veram Ecclesiasticam ideam hætenus per-  
tigimus, inquit hic Doctor, nisi consideremus concionatores; ut censores publicos, à Deo in Ecclesia constitutos, ut objurando peccata, nemini parcant. Ne attenderitis, vos contestor, abjectionem, vilitatem, defectus ipsius hominis: sed legite in cap. 28. Isaia commissionem à Deo ipsis delatam, his verbis expressam: *Clama ne cesses, annuntia populo meo scelera eorum.* Commissio renovata ac confirmata est per S. Paulum erga Timotheum discipulum suum:

suum:

ssum Dei nomine scribentem : Mi Prædicator, adjuro te coram facie Divinæ Majestatis, per gloriæ & meritorum excellentiam Christi, Judicis vivorum & mortuorum, per terrorem adventûs ipsius extremi, per potentiam regni ejus *annuntia verbum vitæ* citra defatigationem, non spe- g. Tim. 4. 2. ctes commoditatem, nec attendas humorem, genium te audientium, neque cures, num contristeris illos, audacter, instanter, efficaciter *Argue, obsecra, increpa.* Ecce, quidnam Deus à te tuiq; similibus exigat Deus.

Neque dum satis est sentire & vocare cum S. Paulo Prædicatores, Commissarios Christi, nisi subjungamus Divinum oraculum per Jeremiam Prophetam enuntiatum, quo declarantur esse os Dei; *Si separaveris pretiosum à vili, quasi os meum eris.* Jerem. 15. 19.

Progrediamur alterius, & dicamus, quòd Deus augustum illum munus & magnificum suæ Paternitatis prædicatum generandi nim. filios adoptivos per gratiam, quodammodo communicet Prædicatoribus, eos eligendo, ut S. Paulus testatur ad Galatas, ad regenerandos secundâ vice per Verbum veritatis illos, quos Christus primò in Cruce progenit: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis.* Gal. 4. 19. Vel potius sequendo conceptum Gregorii Magni, dicamus, Deum iis tribuere certo modo gloriam maternitatis Sacratissimæ Dei - parentis, Virginis, cum ipsorum ora vocésq; adhibeat ad parientem Christum in cordibus suorum fidelium, ita quidem, ut qui *Christi soror & frater est credendo, mater efficiatur predicando, quasi enim parit Dominum, quem cordi audientis infuderit.* Hom. 3. in Evang.

Proposita jam hæc Prædicatorum idea non mearum inventionum coloribus adumbrata, sed ab ipso Divino



penicillo in scripturis sacris, quarum interpretes sunt Pontifices & Ecclesie Doctores, expressa est.

Hanc itaq; in vobis pariter concipere debetis, quando eos bene audire desideratis; sicut etiam oportet nos alias esse illustratos luminibus fidei ad perspiciendum sub umbra carnis latentem in Christo Deum; ita necesse est, iisdem illustrationibus imbui ad cognoscendam sub tot tantisque defectibus & imperfectionibus humanis reconditam auctoritatem increatam Dei, quam Prædicator in sua personâ præfert. Hinc, nè illos adeatis spiritus vani aut curiositatis impulsu, sicuti quendam declamatorem aut Sophistam convenire soletis, sed Deum ipsorum ore vobis loquentem attendite: *Qui vos audit, me audit.* Credite, quòd cum actio, quæ in prædicatione adhibetur & exercetur, sit totaliter Divina in sua institutione, & in suo fine, consequenter etiam vestra actio, illos Dei internuntios excipiendo, supernaturalis debeat esse ac Divina.

LUC. IO. 16.

Tradunt etiam Doctores, aptissimam esse analogiam inter Verbum Dei, quod Prædicatores annuntiant, & Verbum increatum, quod in augusto Altaris Sacramento recipimus. Discamus igitur unum venerari iis, quæ alteri deferimus, obsequiis. 1. Adoramus Servatorem nostrum, prius quàm eundem Suscipiamus. nec quis præsumit, comedere hunc cibum absq; præmissa adoratione, advertit S. Augustinus. 2. Emundamus item animas nostras per præviam confessionem. 3. Accedimus Divinam mensam cum profunda humilitate, quæ est effectus veræ fidei. Similes actiones sunt præmittendæ concionibus; adorandus est cum primis Spiritus sanctus, cujus organum, per quod is loquitur, est concionator; petenda ab eo gratia & dispositio congrua; cum autem in cor vestrum exci-

exci-

excipiatis Dininum hunc rorem, istum sanguineum Christi imbrem, qui moraliter comitatur suum Verbum, emaculate illud per lavacrum præviæ contritionis à peccatis vestris: tandem locum in auditorio eligite cum seria mentis recollectione & profunda animæ humiliatione. Imitamini Magdalenam ad pedes filii Dei confidentem, ejusdem verba veluti rorem cœlestem ex ore Divinæ sapientiæ profluum colligentem; *Maria sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius.* Luc. 10. 39. En primum meum punctum.

Formatâ sic prædicatoris ideâ, conformare oportet intentionem eidem, qualis hic est in mente Divina, & actioni, quæ exercetur ab ipso in prædicatione. Duo auditorum genera in hoc puncto delinquant; quidam enim ad concionem se conferunt sine ulla intentione, exinde profectum capiendi, alii verò habent positivè contrarias & oppositas illi, quam hic exprimimus ideam. Et hoc est, quod nobis in consequentibus duobus punctis est pertractandum. II. Punctum.

Primum genus Auditorum deficientium est eorum, qui intellectum quidem sed nullum cor secum deferunt ad concionem, hos Oseas perstringit: *Divisum est cor eorum, nunc interibunt.* Osez 10. 2. Cordis nomine passim in Scriptura, juxta Doct. Angelici mentem, intelligitur pars animæ superior, consistens in intellectu & voluntate. Ad proficiendum ergo è veritatibus cognitis, necessarium est, ut binæ hæ potentie indiviso unionis vinculo arctè constringantur; ut intellectus in rationes suos defigat obtutus, earum momenta libret, uno verbo, is præcedat, ductum & lumen porrigendo voluntati, quem voluntas eodem mox tempore sequatur, ad hærendo per amoris affectus & desideria, bono sibi proposito & perspecto, per odium

odium fugiendo malum, ab intellectu sibi representatum.

Istæ duæ facultates sunt geminæ alæ, quarum ope anima in Deum sublevari debet, si ruinam effugere velit: *Ruit citius*, scribit S. Bernardus, *qui unâ tantum alâ volare contendit: & quò magis extollitur, pejùs colliditur.* Hujus funesta specimina nobis exhibet S. Paulus in infaustis illis Philosophis, quos in Epistola ad Rom. condemnat; remigârunt illi quidem alarum suarum speculationibus ad fastigium usque Divinitatis, transgrediendo omnem naturæ ambitum, & perspicendo necessitatem indispensabilem alicujus primi principii, ac bonitatem Dei cujusdam. Sed quia ipsorum cognitio non erat sociata, neq; sustentata fulero affectionum voluntatis, in ordine ad Deum agnitum adorandum, & amandum, quem omni cultu, summo amore dignissimum sciebant, *evanuerunt*, testimonio ejusdem Apostoli, *in cogitationibus suis*, & in medio volatu infeliciter se præcipitarunt in abyssum omnium vitiorum.

Rom. I, 21.

Necessum proinde est, ad hoc ut feramur ad sequentiam & praxim veritatum in concionibus propositarum, utrasq; potentias (intellectum sc. & voluntatem) esse unitas. *Unitum fac cor meum*, petit David. In hoc sapius Auditores nostri deficiunt; intellectum quidem, at nullam cordis voluntatem secum ad sermonem sacrum deferunt, hinc nullum pariter fructum exinde referunt. Idem etiam vos confirmabitis, quòd ii, qui non ex corde operantur, quantamcunque mentis applicationem adhibeant ad bene operandum, nihil unquam efficiant, præterquam modo imperfecto.

Spiri-

Spiritus Divinus id mirabili loquendi methodo nobis demonstrat verbis his ad Ezechielem Prophetam directis: *Fili hominis, filii populi tui, qui loquuntur de te juxta muros, & in ostiis domorum, omni tempore, & in omni loco varios inter se, & de te sermones spargunt, quænam autem illa, quæ ipsi secum & adinvicem conferunt? Venite, dicunt, & audiamus, quis sit sermo egrediens à Domino.* Subeunt valde numerosi templum, quasi eò intrarent, cum tamen ex toto eò non intrent, eligunt sibi quidem locum in tuo auditorio, sed eos in veritate adesse, minimè credas. Quòd si eos recreare cogites, attento se sistunt animo, at si illos convertere labores, excordes inibi deprehendes. *Veniunt ad te, quasi si ingrediatur populus, & sedent coram te.* Examine hæc verba: *quasi si ingrediatur.* Id est, verè Ecclesiam non ingrediuntur, intersunt sermoni apparenter duntaxat: corpore quidem, ad summum etiam intellectu præsentès, cor verò in perplexis causis intricatorum suorum negotiorum, in objectis suarum passionum defixum habent. Quapropter, prosequitur Deus Prophetam alloquens: *audiunt sermones tuos, & non faciunt eos, cujus rationem, simulque conclusionem subjungit Spiritus sanctus: quia in canticum oris sui vertunt illos, & avaritiam suam sequitur cor eorum.* Audiunt æternas veritates, Religionis mysteria spectant ad instar comœdiæ, aut declamationis profanæ; & quemadmodum visâ theatri exhibitione, eaque laudibus celebratâ, imò fortè profusis insuper lachrymis, quas malum herois, v. g. qui miserandis infortunii sui casibus scenam implevit, expresserat, spectatores recedunt, utpote rebus omnibus jam peractis, quod eò non venerint alio, nisi se divertendi animo. Pari modo audiunt illi sacrum sermonem,

nec sine admiratione & approbatione dictorum à Concionatore, inde tamen abeunt citra ullam seriam cogitationem conversionis propriæ: *Admirantur, sed non convertuntur.* D. Augustini querela est. Nunquid etiam Ecclesiasten adierunt, audierunt cum intentione se convertendi? minimè, hoc nunquam cogitârunt; quia cor illorum in tumulto inordinatorum affectuum latet sepultum, idque secum ad concionem non deferunt: *Avaritiam suam sequitur cor eorum*, hoc ipsum est, de quo malos illos Auditores arguit Deus per Prophetam Jeremiam: *Jerem. 5. 21. Audi popule stulte, qui non habes cor*, me tamen vis sine corde intelligere. Priusquàm me hîc conveniatis, cor quærite amissum, è creaturarû manibus vindicate, à quibus injustè possessum detinetur; nisi cor vestrum teneamus, nihil fructificare hîc possumus; hoc est, cujus aliquid ambio, ipsum est, cui imprimere, cogito, sensus timoris Dei. Ipsum est, quod transfigere intendo telis, chalybe verbi Divini obarmatis, ipsum est, quod incendere cupio beatâ superni amoris flammâ. Ipsissimum est, in cujus fundum projicere volo fœcundum semen vitæ æternæ. Intellectus vester est terra quædam sterilis, quæ aliud nil progignit, præter admirationum inutilium, & cognitionum mox evanescentium infructuosa lolia: quantumcunque docti & eloquentes, quos elaborare possemus, sermones tantum lucis mentibus vestris communicare nequeunt, quantum ipsi dæmones possident, qui etsi scientissimi, non desinunt manere pessimi In corde itaq; & non in intellectu duntaxat vestro recondere petimus veritatum æternarum semina: *Ponite ergo in cordibus vestris*, signan-  
*Jerem. 31. 33. ter exprimit Christus. Dabo legem meam in visceribus eo-*  
*tum,*

*rum, & in corde eorum scribam eam.* Promisit Divina Maestras suo populo per Jeremiam.

Verum concedamus vobis, vos æquè ac nos sapere, nescire nos quidquam novi vos docere: hoc ipsum tamen est, quod tam sensibilibus nos cruciat, in doctrina Christi nos consensuisse, inde multa didicisse, paucissima præstitisse, & post adeò prolixum elapsi temporis spatium non reddere justitiam veritati. Non ergo conciones institui-  
mus ad tradendas veritates jam agnitas, sed ad corda vestra animanda, ut executioni mandentur bona cognita, voluntate proin vestrà indigemus, ad profectum capiendum.

Ut occurramus huic defectui, recordemur moniti à Christo nobis insinuati: *siquis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscet, de doctrina ejus.* Siquis concionem frequentat, non ut discat velut in scholâ, sed ut practicè operetur. *siquis voluerit facere, experietur mirandos Verbi Divini effectus, sentiet velocissimum ipsius cursum velociter currit sermo ejus.* Saliens è corde meo supra meam linguam, è lingua mea ad aures vestras, de auribus in intellectum vestrum, ubi necdum cursum suum suspendet, sed plus ultra progredietur ab intellectu ad voluntatem vestram, ut producat inibi motus pœnitentiæ, odium peccati, amorem virtutis. De corde vestro profluet ad manus vestras, quas vario bonorum operum exercitio fecundabir; & per hoc medium justificabimini à S. Paulo, cujus judicio, *Non auditores legis justii sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur.*

Sunt alii Auditores, his, de quibus hætenus sermo, longe deteriores, qui non solùm nullam, sed positivè ma-

lignam præferunt intentionem; in istos ultimam discursus mei partem detorqueo.

III.  
Punctum.

Non loquor de iis, qui in sacris cætibus comparent ex mera consuetudine, ut politices externæ ritibus se accommodent; *Væ vobis hypocrite.* Nec de illis, qui ibi speciosam mundi vanitatem, non Christum inquirunt, qui cupiunt videre, aut videri.

Neque loquendi animus est de fœminis, sæculi pul- lastris, quæ ad sermonem se conferunt eo amictu & orna- tu, ac si ad choreas, ad lusum aut comœdiam properarent, quæ videntur sanctis conventibus nostris se intermiscere, ut prædicatori resistent, eodémq; tempore in diaboli causâ perorent, quo prædicationis officium impendi Christo oportet, quæ suggestum erigunt, seu cathedram pestilen- tiæ opponunt cathedræ veritatis; *Mulier quippe ornata,* elaboratæ libidinis suggestum compellatur à Tertulliano. Ecclesiastes annuntians Dei Evangelium, persuadere ni- titur humilitatem, modestiam, mundi contemptum, pœ- nitentiam, ejuscemodi e contra vanitatis mundanæ alum- na omnes se intuentes abstrahit ad superbiam, fastum, ve- stium luxum & amorem sæculi.

Solummodò loquor de iis Auditoribus, qui templum frequentant, curiositati suæ satisfacturi, non ut animabus suis præ famis necessitate languentibus, solidum nutri- mentum Christianorum dogmatum subministrant, qui aures pasci volunt, sed corda tangi nolunt, qui affectant, ut Sacer Orator exactè observet numerum, mensuram, cadentiam in suis periodis, non item, ut repræsentet vitæ deordinationes, quibus inestantur, passionum infami- am, quâ laborant, enormes flagitiorum excessus, quos in- currunt. Eos invektivâ meâ Peto, quos dudum atro no-  
ravit

tavit calculo Isaias Proph. *Filii nolentes audire legem Dei.* Isa. 30. 9.  
Qui illis, quos Deus constituit, ad detegendam ipsis propriam suam malitiam, & imminentein inde interitum præcavendum, dicunt; nè, quæsumus, gaudiorum, quibus in præfenti fruimur, perturbetis serenitatem, ne tristibus visionum vestrarum nuntiis voluptatum dulcedinem intoxicare velitis: *qui dicunt videntibus, nolite videre.* Ne Ibid. v. 10.  
terrorem incutiatis vestris oraculis, intentando jam minas mortis subitanæ, ignis modò inextinguibilis, rogi gehennalis flammæ, quas in scriptura invenitis. Hæc enim atram bilem movent; toties hæc nobis inculcantur, ut dictorum difficulter oblivisci possimus: *nolite aspicere nobis ea, quæ recta sunt.* lubenti animo vobis attendimus, *sed loquimini nobis placentia;* Liceat vobis, nos aliquantum fallere, dummodò gratiosè id fiat: *videte nobis errores.* Ad modernum stylum discurrete, nuntiate nobis, quòd Deus jam determinarit tempus & horam conversioni nostræ accommodam, neesse non sit pro gratiis efficacibus, auxiliis victoriosis obtinendis, tam anxie laborare, utp. semper paratis; quòdque modò conatus nostri essent frustranei; quòd possimus spem in Christianismo fundatam conservare, quamquam omnibus idololatrarum vitiis sumus prægravati; Dei bonitas nihilominùs maneat adedò excessiva, ut promptè nos semper recipiat, tunc etiam, cum mundo jam penitus displicuerimus. *Videte nobis errores.*

Ad eos denique me converto, de quibus Apostolus Timotheo suo prædixit, quòd sanam doctrinam rigori le. 2. Tim. 3. 4.  
gis Christianæ innixam tolerare nequeant: *Erit enim tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt,* in quorum auribus pruriunt subtiles, curiosi conceptus; qui se oblectant



fabulis potius quàm scripturæ veritatibus : à veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.

Dico igitur, quòd intentio horum corruptæ mentis Auditorum sit contraria ideæ, quam in prima discursus istius parte proposuimus, consequenter Deo injuriosa, Prædicatori contumeliosa, Auditori pernitiiosa. Deo inquam est injuriosæ, cum sit abusus & profanatio rei sacrosanctæ in Religione nostra. Cur, scribit S. Hieron. in epist. ad Galatas, vultis, ut commutemus Ecclesias nostras, quæ sunt scholæ & Academia Sapientiæ cœlestis, in Auditoria profana ac comica theatra, ubi non amplius conventus instituuntur ad provocanda suspiria, ad peccata coram Deo deploranda, sed eò convenitur ad insumendum, & fallendum tempus, ut curiosus discursus animum ibi divertat. Vultis, ut cathedris nostris eliminemus Eloquentiam illam Apostolorum & Prophetarum oraculis sacram, Reginam majestatem plenam, infinitudine quapiam palmarum, laurearum signis gloriosè ornatam, & oneratam proscribamus, tot gentium conversarum victricem dominam repudiemus, eique substituamus Rhetoricam humanam, comptam quidem, at effrontem meretriculam, cui nihil inest gratiæ, præterquam modica fraudulentæ verborum tinctura; *Ad Auditoria concurritur, ut oratio Rhetoricæ artis fucata mendacio, quasi meretricula quædam prodeat in publicum, non tam eruditura populos, quàm populi plausum quæsitura.*

Magnus gentium Doctor, scribens ad Romanos ait, quòd in virtute gratiæ, quam recepit, ut prædicator fieret  
 Rom. 13. 16. Christi, sanctificet Evangelium; *Sanctificans Evangelium Dei*, quam autem sanctitatem conferet S. Paulus Evangelio, quod aliàs jam omnino sacrosanctum est? an non istud  
 potius

potiùs sui præconem sanctificat? Apostoli mentem Card. Cajetanus his verbis exponit: *Sanctificans Evangelium, id est tantâ reverentiâ tractans Evangelium, quantâ Sacrificium.*

Negari nullatenus debet, quin admirabilis analogia reperiatur inter sacrificium Missæ, & Prædicationis officium, sicut enim prius est institutum ad conficiendum, realiter verum corpus Christi, ita posterius est ordinatum ad constituendum moraliter corpus Salvatoris mysticum. in Sacrificio Missæ incruento Christus, tanquam hostia. Immolatur vi verborum consecrationis; in prædicationis officio Auditores fiunt victimæ, & mactantur gladio Verbi Dei, postquàm feliciori metempsychôsi de veteri Adamo in hominem novum, qui est Christus Jesus, transmigrârint. Sicut autem impietas esset extremè detestabilis, Sacrum Mysten eò inducere, ut habitum lythurgicum, preces Missæ, verba Sacramentalia adhibeat ad exhilarandos & recreandos spectatores, sic profanatio non minus censeretur execranda, exigere à prædicatore, ut cathedram conscendat in abusum Sanctitatis sui ministerii, in eorum veniat numerum, quos arguit Apostolus: *Adulterantes Verbum Dei, ut Evangelio utatur non ad conversionem cordis, sed ad refocillationem auris, non ad suscitandas animas è profundo peccati lethargo, sed ut suavius & securius eidem indormiant.* 2. Cor. 2. 17.

Nunquid effrons, impietate plena temeritas est, velle Prophetæ, Apostolo fucum oblinere, scenicas vestes personis tam seriis injicere, prædicantes introducere in loquendi arte poëtis, comicis assuetâ? An hoc non est cum Deo lusum inire, velle, ut, qui est *Antiquus dierum*, verborum novitatem in circulis, gynæceis usurpatam assumat?  
Certè

Certè antiqua hæc spiritûs Divini Rhetorica, etsi rugas in facie contrahat, magis tamen sapientum oculis arridet, quàm fucata pigmenta cum omni colorum nostrorum apparatu. Hæc quippe sola & unica est, quæ concordare novit characteres adeò differentes simplicitatem & majestatem sermonis.

Quòd si hæc intentio Deo videatur injuriosa, erit insuper Sacris Præconibus contumeliosa, siquidem eos de gradu suæ nobilitatis dejicit, eòsq; damnationis æternæ periculo exponit.

Sunt illi, prout supra jam vidimus, in mente Divina Vigiles per Ecclesiam dispositi, ad agendas vigilias super populum Dei, à quo impendentia mala avertant. Quem in finem S. literæ passim eos *Videntes* appellant, eoquòd lumine Divini Verbi collustrati, mentis suæ acie futura penetrent: quorum tamen oculos corrupti Auditores isti fascinare, excœcare moliuntur: *qui dicunt videntibus, nolite videre.* Sunt illi Omnipotentis tonitrua, vox Domini fulminantis, qui confringit Cedros Libani, & petras comminuit. At isti, Musicos ex iis fingere, cupiunt, ut aures sibi demulceant: *Coacervabunt sibi magistros prurientes auribus.*

Isa. 30. 10.

2. Tim. 4. 3.

Sunt nubes fecundæ, Christi Jesu sanguine redundantes, quæ salutis abundantiam circumferunt, & hi desiderant, ut efficiantur nubes ventis gravidæ, verbis sc. inanibus, inutilibus curiositatibus repleantur.

Sunt robusti bellatores Israël, quibus Deus exercituum commisit gladium sui verbi, arcum telis munitum, ad penetranda corda, ad extinguenda vitia, ut sic universæ inferorum phalangi se terribiles reddant. Isti autem tantis heroibus manibus extorquere conantur arma tam gloriosa,

riosa, e contra ipsorum capitibus imponereserta rosarum, dare manibus fasciculum florum, eosq; ut homines molles, effæminatos traducere.

Habent illi honorem, exercendi officium Apostolicum, succedendi Spiritui & Zelo Chrysofomi, Basilii, Gregorii, Ambrosii, Augustini, aliorumq; illustrium Oratorum Ecclesiæ, quos tamen isti fallacium Sophistarum, numero, infamium declamatorum gregi aggregare nituntur.

Sunt illi electi ad regenerandum Christum in cordibus fidelium, mediante Verbo veritatis. *Genuit nos verbo veritatis*, qui tamen hoc Divino semine spoliantur, ne genitricibus filii Dei, sed infames adulteræ efficiantur, quæ in suis functionibus quantumvis divinis, nemini alii placere, quærant, nisi sibi ipsis, suisq; auditoribus; *Adulterantes Verbum Dei*. Num ergo hoc non est idem, ac vel le Sacros Oratores suis privilegiis ac prærogativis exuere, eisdemq; omnem suam gloriam adimere? Jac. 1. 18.

Plus adhuc dico, id aliud non esse, quàm ethnicae plebis crudelitatem denuò in lucem producere, quæ sedem in Amphitheatro occupabat, animum divertendi in profusione sanguinis, & in dispendio vitæ pauperum aliquot gladiatorum. Reipsa perversi ejuscemodi Auditores tempus pariter insumere quærunt, seque exhilarare in jacturâ salutis æternæ infallibiliter impendente, his Præconibus, qui paræneses suas juxta illorum placita ac vota instituunt. 2. Cor. 2. 17.

Delicati isti Auditores nolunt, ut illi tam acriter in-  
vectivas in sua detorqueant flagitia, nolunt, ut tam vehementes cauteritatis illorum conscientia aculeos infigant,  
ejus fundum penetrando, profundè adeò rimentur, de-

C

ploran-

plorandum ipsorum statum tam vivaciter delineent, cui transacta in sceleribus vita miser os involvit: *Qui dicunt videntibus, nolite videre.*

Mi Prædicator, facile contingeret, ut admonearis de vitiis publicis perstringendis, in istâ parochiâ prædominantibus, de odiis, inimicitîis, quæ familias proscindunt, de injustitiis, quæ ibi committuntur, de corruptis vitæ nîm licentiosæ moribus, quæ ibidem redundant.

Fortassis tibi indicabitur, illustrium hîc ædes observari, adhuc perdurantibus pœnitentiæ feriis diversoria, ludicra theatra, lusus, jocos frequentantium; alias notari, ubi publicè carnes comederentur non citra Religionis scandalum, aliiq; cibi sumerentur tempore interdicto. Hæc tamen, crede mihi, è suggestu ne redarguere, tentes, aërem percuties, tam parum, ac prædecessores tui utilitatis exinde referes. Subtiles potiùs ex secretis Theologiæ adytis conceptus erue, floridas insperge descriptiones, periodos sic stringito, ne leges & limites exerrent suos, id omne, quod discursum tuum despicebilem posset reddere, procul evites; in medium profer læta, curiosa, exquisita. Ecce hæc & similia sunt, quæ Sacris Oratoribus inculcantur. Longè tamen aliter sonant Divini Oraculi fensa, quæ non sine horrifico comminationum tonitru per Ezechielem tibi denuntiantur, audi & time: Nisi impio audacter ea proponas, quæ acceperis ex ore meo. Quænam illa? num attributa, majestatem Divinitatis, mysteria Theologiæ recondita? hæc minimè; at viam, quam incedit, vitam quam ducit, tendere ad mortem æternam, & nisi eum ad meliorem frugem reduxeris, cum damnatis apud inferos fore illius portionem: *Si dicente me ad impium: morte morieris: non annuntiaveris ei; neq; locutus fueris*

*fuers ei, ut avertatur à via sua impia, & vivat: ipse impius in iniquitate sua morietur, interim tamen tuum silentium sine vindicta non dimittetur, scias prædicator, in eadem fossa, quam alteri non obstruxisti, te absorbendum, Sanguinem autem ejus de manu tua requiram.*

*Ibidem.*

Nescio num omnes Concionatores minas has, ut par est, apprehendant, scio tamen, earum terrore D. Paulum non modicè aliquando perculsum, dum urbe, in qua Evangelium disseminarat, excessurus, protestari, auditus est: *Contestor vos, hodierna die, quia mundus sum à sanguine omnium*, ac si diceret, in testimonium advoco conscientiam meam, minimè imputandam mihi ullam culpam, damnationis, si qui è vobis illam incurrerint; quia in proponendis quæstionibus vanis me non detinui, sed omnia Dei in vos decreta, ejusque voluntatem manifestè declaravi; *non enim subterfugi, quò minùs annuntiarem vobis omne consilium Dei.*

*Act. 20. 26:*

*Ibidem.*

Quem in locum sic comentatur Theophylactus: quicumq; obligatus ad hoc, delinquentem non avertit à malo, cui, eum propria vitia videntur involvere, quicumque eundem de interitu non præmonuerit impendente, & si lapsus, per pœnitentiam non surrexerit, is se culpæ & mortis alienæ reum constituit: *Ergo, qui non annuntiat, reus est sanguinis, hoc est cadis. O curiosæ vanitates, & vanæ curiositates! heu meræ subtilitates! quæ in concione mera homicidia sunt.* Unde evidenter patet, quòd nemo optare debeat, vel possit, ut prædicator suas exegesés tali modo instituat, quo propria, aliorumque salus periclitetur, seque, suosque exponat damnationi æternæ.

Dico demum tertio, explicatam superiùs sinistram intentionem ipsis etiam Auditoribus quàm maximè per-

nitiosam esse. Primò, quòd illi peccent contra naturam concionis, quæ à Deo ordinata non est, ad satisfaciendum curiositati, sed ad procurandam sanctimoniam audientium. Secundò, quòd Prædicatorem spoliare cogitent omnibus se juvandi mediis, quibus, in hoc salutis suæ negotio promovendo, opus habent.

Ad hoc autem bene concipiendum, notetis, velim, ejuscemodi Auditores curiosos, aures sic corruptas trahere, concionatorem juxta suum genium effringant. Primò volunt, nè quid populare, plebi notum proferant. Sed potius doctrinæ sublimiori, raris conceptibus, subtilibus dogmatibus studeant explicandis. Secundum est, ut compositio ipsius sit doctè elaborata, verbis duntaxat selectis contexta, elegantibus periodis rotundè conclusa. Tertium, restinguat ignes & ardores illos, quos Apostolico fervore succensi prædicatores palam exfuscitant, & in Auditores suos spargunt. Hæc verò aliò non spectant, etiam Epicteti, Senecæ, aliorumque profanorum sapientium censurâ, quàm ut Eloquentia vera in verbositatem inutilem, in adulteram infamem commutetur; in æstimatione Dei & Sanctorum ejus ista nil sunt aliud, nisi enervare vigorem Verbi Divini, ac reddere ipsius prædicationem penitus infructuosam.

Quem in finem, quærebat Seneca, conquerens de quibusdam Sophistis multum anxiiis & occupatis in verbis eliminandis, ridiculis syllogismis construendis, quibus posterior: cura incumberet, mores discipulorum suorum corrigendi: *tu mihi verba distorques, & syllabas digeris?* Quem juvat, tales proponere ineptias? tempus istud concessum non est, ut jocis, risu, corporis relaxatione insumatur, cathedram conscendendi facultas credita vobis, non ob  
aliam

aliam nisi miserabilium causam, qui infinitudine quapiam vitiorum oppressi laborant, quos erigere, juvare, vobis incumbit. His, præeundo, ducatum ac duces vos præbere, auxiliares manus porrigite, ipsorum damna pro viribus avertite; *quid mihi lusoria illa proponis? non est jocandi locus, ad miseros advocatus es.*

Me quod attinet, similibus dictionis & doctrinæ subtilioris aucupatoribus respondere soleo, cathedram pro theoria in scholis, in Ecclesiis verò pro praxi erectam esse; arcana illius penetrabunt, si ibi subtilizare placuerit; sed officium istius est, mores corrigendi. Jam novimus reponunt illi, quid pro concione à prædicatore sit proclamandum, sæpius id jam audivimus. Concesso hæc, eos omnia nōsse, *sciunt equidem, sed non faciunt*; hinc vocantur ad sermonem, si non eruditionis, saltem salubris confusionis gratiâ ob tantam rerum notitiam, tam modicam earum praxiū & experientiam.

Quare volunt illi, ut Oratores sacri, qui ex officio suo profitentur se medicos, applicent remedia nova & infueta, cum infirmitates tamen, quibus adeò exetuciantur, sint profus similes iis, quæ peccatores olim derinebant afflictos temporibus Prophetarum & Apostolorum? Deum ipsum attendite, nos in Scripturis Sacris hortantem, & docentem, non esse pharmaca magis efficacia pro curandis animabus ægris, & perfectæ sanitati restituendis, quàm considerationem mortis, seriam judiciorum Dei contemplationem; multa peccatorum millia ad meliorem frugem per hæc media reductorum, efficacem istius medicinæ operationem abundè nobis persuadent. Poterimus ergo nos, nisi manifestam imprudentiæ, exigui animarum Zeli notam subire velimus, postponere remedia, non ram



à sanctis præscripta, quàm cum optato fructu usurpata, quorum item virtus nobis adeò est perspecta, in illorum substituere vices recentia, iisque omnibus incognita, qui salutem & incolumitatem peccatoris expetunt? Non, nihil minus; si avaritiæ cestro estis perciti, impudiciæ laqueis irretiti, dolis, mendaciis assueti, detractionibus dediti, moribus dissoluti, iniustitiarum onere oppressi, quibus malis & morbis pariter laborabant illi, qui Apostolorum sæculo vixerant, præstantibus vobis antidotum applicari nequit, quàm illud Apostolicum Corinthiis olim à Divino Archiatro D. Paulo præscriptum sequenti aphorismo: *Nolite errare, neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt, hæc itaque damnationis sententia lata dudum est, quæ revocari nequit, qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt, nolite errare, aliud vobis nolite imaginari.*

I. Cor, 6. 9.

Sed hoc ipsum, subinferet quispiam, proponere si lubet, exponite stylo tamen expolito, cum terminis selectis, per antitheses & gratas allusiones. Isti postulato triplici responsione occurro. Prima fundatur in S. Paulo, cujus assertio est, se Evangelium nostrum non accepisse ab hominibus, sed ab ipso Deo, consequenter id nobis prædicandum, non ad placitum hominibus modum, sed secundum intentionem Dei; atqui Deus, tradit idem Doctor gentium, testificatus est nobis, quòd salvare decreverit humanum genus non per conciones, laborioso ingenii conatu excoctas, raris conceptibus ornatas, sed per simplicem humilitatem, quam perverso vocabulo mundus, *stulti-*

*Stultitiam nominat: Placuit Deo per stultitiam prædicationis I. Cor. I, 17.  
salvos facere credentes.*

Altera responsio est petita ex Sancto Gregorio; qui se n-  
tit, prædicationes nostras genuinas esse filias scripturæ sa-  
eræ; quapropter indecens fore, affirmat, filias hæc ni-  
mis superbo verborum fastu amictas, prodire in lucem, ne  
ruborem modestiæ & simplicitati tam sanctæ matris adeo  
demissè incedentis, exprimant. Præterea oportet, ut  
actiones & dictiones in concionibus expressæ nativum  
originis suæ locum, unde prodierunt, in se demonstrent,  
unaque se, æquè in forma ac in materia Christianas pari-  
ter esse, ostendant. Ultimo demum loco respondeo, ho-  
mines à nobis ad Dei Verbum convocari, non ut exinde  
bene loqui, sed bene agere addiscant; minimè volumus,  
ullam ad dictiones nostras fieri reflexionem, sed sub ea-  
rum involucris latentem nucleum, objectum solummo-  
dò, quod pertractamus, salutis scopum attendi cupimus.  
Nostra intentio est, vobis delibandam propinandi bonita-  
tem ac sanctitatem Spiritûs Divini, non item subtilitatem  
& delicias spiritûs humani.

Non minus hallucinantur, qui movent querimonias  
in vehementiam Oratoris Ecclesiastici, motus ipsius ni-  
miùm concitatos, clamores importunos incusant. Fal-  
luntur illi, & nesciunt Verbum Dei creatum analogum  
esse cum Verbo increato in sinu Patris æterni, ubi genera-  
tur istud non solum, ut lumen de lumine; sed veluti quæ-  
dam amoris flamma, quæ aliam succendat. Sic pari mo-  
dò, satis non agit Evangelicus Præco, si illuminet; requi-  
ritur enim, ut motuum suorum vehementi afflatu suorum  
Auditorum corda inflammare, & incendere enitatur.

Si re-

Si tepidi & frigidi Auditores isti vivaciter sibi ob oculos ponerent momenta causæ, quæ tractatur, Divinæ Majestatis contemptum, commodum ac damnum æternæ salutis, reverà stupore perculsi vix caperent, quòd nostri animarum Curatores non cum majori amoris intensione prædicationis officium exercerent.

Proh Deus! quis credat, quod tamen experimur, omnia nimirum præmodùm primævi Christianorum Zeli deleta vestigia, pristini fervoris extinctos ignes? passim jam advertimus in maritali consortio turpes impuritatis notas, corruptionis labem in familiis, dissolutionis perversionem in juvenili ætate, videmus in commercio infidelitatis technas, in mercibus alterationis fraudulentiam, in foro justitiæ timiditates, malitias, oppressiones, in communi plebe excessus, deordinationes prædominari. Eò devenimus, ut habeantur & vendantur impietas & laxitas pro fortitudine animi; juramenta & blasphemias pro singularibus linguæ elegantis; maniacæ ludendi consuetudo pro honesta, sceminarum etiam, occupatione; fornicatio pro leviculo lubricæ carnis defectu; adulterium, enorme illud nefas, omnia transcendens flagitia pro sorte bonæ fortunæ; Simonia palliata, & profanatio patrimonii Christi Crucifixi pro legitimo contractu; uno verbo, conteguntur omnes nequitias quantumvis abominabiles honesto virtutis velamine. His non obstantibus, quæritis nihilominus è nobis, *quid clamas?* quem in finem tot, tantique clamores & calores? sentimus flagella Divinæ Justitiæ, quibus indies ferimur, brachium Domini supra nos intuemur protensum ad nos durius prestandos, eoquòd è profundo scelerum lethargo aliàs evigilare nolumus; nobis tamen exprobratis, *quid clamas?* quocunq;

con-

conijciamus oculos, undique nil videmus, vel audimus aliud, quàm Deum contemni, malè à propriis tractari creaturis, pretiosum Christi cruorem pedibus conculcari, animas Christianorum in tam numerosa copia præcipites devolvi in barathrum æternæ perditionis, ruere millenas simul in flammis inferorum inextinguibiles: post hæc non desunt, qui mirantur tanquam à nobis alienum, si altius inclamemus, rescire avertent, *quid clamas?* Amantissimus Magister noster, vera Prædicatorum idea, prædicabat aliquando D. Marco teste, cum adeò intenso mentis ardore & animi æstu, ut amicorum quidam mysterium ignorantes judicârint, eumque mentis insanæ arguere præsumpserint: *Quoniam in furorem versus est.*

Matth. 3. 21.

O Deus! Divina Sapiencia nimio Zeli & furoris sacri impulsu extra se abripitur in negotio conversionis animarum, nos hæc scientes tam arctè tamen affigimur verbis exquisitis, gesticulationibus mensuratis, ac si nobis essent, concreta & infusa, contra spem ac promissionem Concionatoribus Divinitus datam: *Dominus dabit verbum.* Psal. 67. 12.  
*Evangelizantibus in virtute multa.*

Si vultis, ut consuetum nostrum prædicandi morem immutemus in alium novum, modum politicum, prius tria è manibus tollite, sc. Crucifixum, Evangelium, & Sanctorum Vitas, postmodùm afferemus gratas antitheses, eliminatos dabimus periodos, non nisi saccharo incrustata facturi verba: verbo, stylus noster tam æquo incedet gressu, ut nec ad nimiam laxitatem, neque rigorem declinando, offendant. Sed quamdiu videro Crucifixum, id est Deum in Sanguine & plagis coopertum, quamdiu in Evangelio legero: *Regnum caelorum vim patitur; qui non veni-*

riat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus; si oculus tuus scandalizat te, erue eum &c. Quamdiu audiero Sanctos, qui sudant & laborant, qui gemunt & plorant, qui gemunt & plorant, qui se affligunt, & post omnes has carnis afflictiones clamoribus istis immorientes: ô quàm horrenda sunt iudicia Dei! Quamdiu hæc oculis auribus meis fuerint exposita, tamdiu desistere nequeo, rejecto omni verborum fuce, simpliciter vobis loqui. In veritate, vosmet ipsos condemnatis, aut Crucifixus hic non est Prædestinatorum idea, vel Evangelium istud nos seducit, aut sancti versantur in errore.

Omnes hæc rationes evidenter convincunt intentiones talium curiosorum, indifferentium & corruptorum Auditorum esse perversissimas.

Ut verò simus in eorum Auditorum fidelium numero, qui ab ipso Divino Verbo albo notantur calculo: *Beati, qui audiunt Verbum Dei, oportet, disponamur, ad idem opere complendum, & custodiunt illud.* Formandæ ergo intentiones, conformes ideæ ac notitiæ, circa Prædicatoris officium Divinitus nobis concessæ, quales sunt: assistendi concioni, ut in Verbo Dei veluti in speculo observemus manes & maculas cordis nostri, ut in memoriam reducamus veritates æternas, roboremus voluntatem nostram in amore boni & in odio peccati, ut Hebræorum more sibi de manna prospicientium, nobis provideamus de Verbo Dei, quod eum Davide recondamus in serinio cordis nostri, quod fortius peccati tentationibus resistere possimus: *In cor-*


*Pla. 118. 11. de meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi.*

Uno

Uno verbo, finis & intentio nostra sit, recipiendi Verbum Dei in ordine ad custodiendum illud, id est opere ipso adimplendum: *Custodia sermonis Dei, adimpletio ejus est*, ait Euthymius. En conformem Apostolorum SS. Pauli & Jacobi sensum non audientes tantum, sed audita exequentes Christianos commendantium: *Estote autem factores verbi, non auditores tantum.* Jacob. 1. 22. *Non enim auditores leges justi sunt apud Deum, sed factores.* Rom. 2. 13. *legis justificabuntur.*

Ecce isti sunt, qui in præsentem characteristicam prædestinatorum præferunt, & hausto profectu ex Divini istius Verbi auditione per omnium Christianarum virtutum praxin, ejusdem aliquando recipient fructus in cælo, quod nos deducat Pater,  
Filius, Spiritus Sanctus  
Amen.





# IMPIUS INFELIX,

feu

Tres Maledictiones Peccatoris.

ODIUM DEI, ORIGO MA-  
LEDICTIONUM IMPII.

*Induit maledictionem sicut vestimentum, & intra-  
vit sicut aqua in interiora ejus, & sicut oleum  
in ossibus ejus. Psal. 108. v. 18.*

**D**Eus olim Prophetam Ezechielem, legatum desti-  
natus cum peculiari imperio se conferendū  
ad suum populum fronte ærea, voce terrifica,  
tonitru imitante, cui suorum scelerum enormem  
gravitatem palam exprobraret, eundem visione qua-  
dam admirabili illustrare dignatus est; ostendit ei librum  
mysteriis refertum, inscriptæ enim erant *lamentationes &*  
*Ezech. 2. 9. carmen & v. e.* Initium dabant luctuosæ nœniæ iis decan-  
tandæ, aut potius lachrymosis suspiriis deplorandæ iis, qui  
in profundum peccati semet præcipitârunt. Latius car-  
men debebatur ex audita Propheticæ comminationis  
conversis, è peccati abyssu eluctantibus animabus. Ana-  
themata, maledictiones, Vx denique respiciebant pecca-  
tores

IMPII

tiores in malitia obstinatos, suis vitiis pertinaciter insistentes.

Eandem cum Propheta commissionem mihi delegatum subituro in objectum meorum sermonum per istius Adventus decursum elegi impium, sive peccatorem in malo obduratum triplici maledictionum generi obnoxium. *Induit maledictionem sicut vestimentum.* Funestus hic habitus, impio injectus, designat maledictiones, quas Deus in peccatoris externa effundit, illi maledicendo in bonis fortunæ, in prole, in prosperitate & adversitate exteriori. En primam partem meorum discursuum Adventus.

*Intravit sicut aqua in interiora ejus.* Hæc verba significant maledictiones, quibus Deus interiora peccatoris obruit, intellectum videlicet excecatione, voluntatem perversitate, & subjectione sub tyrannide passionum, conscientiam ipsius importunis torquendo remorsibus. Hæc partis secundæ materia erit. *Sicut oleum in ossibus ejus,* eousque dicta maledictio penetrat, in ossium, sc. peccatoris, intimam medullam.

Ossa in Scriptura sumuntur pro virtutibus; innuitur proinde, impium esse maledictum in suis virtutibus apparentibus, maledictum in sua fide, in spe, in devotione sua ac poenitentia. Denique maledictum in morte sua & post mortem, in tempore simulque in æternitate. Ubi jam habes tertiam mei objecti partem. Summam occasionem ad finem sermonum differendi de trina benedictionum specie, quas electis suis dispensat Deus, unaque docebo vos in prima parte artes prorsus innocuas, multiplicandi fortunæ bona, conservandi honorem vestrum, posteritati item vestræ omnem prosperitatem procurandi.



In altera viam aperiendam recipiendis in animas vestras fidei luminibus, fovendo amoris Divini foco, immittendæ paci & tranquillitati conscientiæ. In tertia subministrabo media, se exercendi in praxi solidarum verèq; Christianarum virtutum. Unico verbo, artem bene vivendi & bene moriendi.

**DIVISIO.** Hodie me converto ad radicem omnium maledictionum, quæ est odium Dei, tam contra peccatum, quam contra peccatoris statum. Considerabimus odium primò in suis principiis; secundò in sua natura; tertio in magis principali & pernicioso sui affectu.

*Isa. 27. 9.* Sancte Spiritus, qui venisti in mundum, ut arguas mundum de peccato, benedicas obsecro, intentioni meæ, tribue, ut sermonum meorum sit *iste omnis fructus, ut auferatur peccatum ex corde meorum Auditorum, sicut vocavit olim Isaias.* Spiritus amoris da nobis, ut bene concipiamus infelicitatem istius odii, fontis tot, tantarumque maledictionum inde promanantium: id nos enixè flagitamus per interventum illius, quæ benedicta est supra omnes Creaturas, & cui devotè supplicamus verbis Angelicæ salutationis, *Ave Maria.*

**I.  
Punctum.**

In fronte præsentis discursûs, fundamenti loco pono tres Veritates Theologicas, prima est, quòd Deus gerat proprium ac verum odium contra peccatum; Secunda, quòd præter hoc alium nihil odisse possit propriè; tertia est, quòd dictum odium à natura Dei sit inseparabile.

*Psal. 7. v. 4. & 6.* Prima illa veritas erat Davidi quotidianæ meditationis objectum; *Manè, canebat hic psaltes, adstabo tibi & videbo, quoniam non Deus volens iniquitatem tu es. Odisti omnes, qui operantur iniquitatem.*

Nolo,

Nolo, diutiùs hîc immorari curiosis Scholasticorum subtilitatibus, sed, sequendo communem Theologiæ nostræ sensum; dico; sicut Deus amore quoq̄iam universali complectitur omnes essentias ab omnipotentia sua procreatas, & omnia suarum manuum opera respicit oculo benigno Divinæ complacentiæ; *Diligis enim omnia, quæ Sap. 11. 25. sunt, testatur sapiens, & nihil odisti eorum, quæ fecisti.* Sic veraciter & propriè odit, quod aliunde, quam ex se originem trahit, peccatum sc. & peccatoris statum.

Sapiens; sanctaq; hæc Dei voluntas semper in nobis invenit materiã odii & objecta amoris; *Odit & amat, est glossa D. Augustini, odit tua & amat te, odit ea, quæ fecisti, amat ea, quæ fecit,* substantia quippe corporis & animæ nostræ est bona, & est effectus Divinæ bonitatis & potentia, hanc amat ille: peccatum nostrum est effectus debilitatis ac malitiæ nostræ, quod execratur ille; *Odio sunt Deo impius & impietas ejus. Sap. 14. 9.*

Nihil est, quod propriè mereatur odium Dei, præterquam peccatum. Quemadmodum Rex Ahasverus olim, ut Sscripturã loquitur maligno intuebatur vultu, imò cum rigore puniendos duxit illos, qui temere, non vocati, oculis Regiæ ipsius majestatis offerre se præsumpserunt: pari modo, peccatum duntaxat talis est insolentiæ, ut se intrudere ausit coram oculis Dei, quantumvis id positivè Deus nunquam voluerit; idcirco solum Deus extremè abhorret, & ad primum ejus conceptum, vel conspectum, odium, iram, vindictam spirat.

Istud peccati odium est à natura Dei inseparabile, tam arctè Divinitatis fundo annexum, ut si odio non insequeretur delictum, desisteret esse Deus, quàmvis illud veniale etiam levissimum esset. Ratio hujus manifesta desumitur

mitur

mitur ex Theologia: calor, qui simul compatitur secum minimum gradum frigoris, non est calor summè intensus; sic Deus noster non esset summa & perfectissima bonitas, si odium ipsius se non extenderet ad minimum licet mali gradum. Omnes quidem Dei perfectiones eum ad hoc odium urgent, primariò tamen Sanctitas. Conceptus excellentissimus, quem de Deo formare possumus, dum ipsum adoramus, est juxta D. Ambrosii sensum, qui respicit illius Sanctimoniam; Sanctitas est flos & magnificentia Divinæ Majestatis: hæc consistit in odio & elongatione sui perfecta ab omni prorsus vitiorum labe, æquè ac in amore & possessione omnium verarum virtutum.

Secundò, contemplanatio sui, suarúmque immortalium perfectionum dictat Deo, de se formare æquissimum sequens judicium; quòd sit ipse omnino infinitè amabilis, & per sequelam necessariam, peccatum sit infinito odio dignum, cum natura peccati sit contradictoriè opposita naturæ Divinæ.

Deus est origo omnium essentialium, & fecunda radix omnis vitæ; peccatum est quædam privatio, ac germen infelix mortis. Deus est per seipsum bonus bonitate summâ atque infinitâ; peccatum est unicum & supremum malum, nullam includens ullius boni mixturam. Non est contrarietas inter Deum & peccatum, qualis reperitur inter creaturas, illa enim non fundatur in substantia, sed solum in accidentibus; siquidem teste Philosopho substantia non admitit contrarium; res se minimè sic habet cum Deo & peccato; Deus ipsi contrarius est per propriam substantiam, quia substantia Dei est virtus, ipsaq; bonitas, & hæc bonitas ipsi reddit odibile peccatum; unde sequitur, quòd Deus per seipsum sit peccati hostis, adeò  
quidem,

quidem, ut Verbum æternum à Patre non generetur, nec à Patre & Filio Spiritus Sanctus majori cum necessitate procedat, quàm odium peccati promanet ex fundo essentia Divina.

Ardens Zelus, quo Deus est succensus, ampliandi suam gloriam, insuper concitat ipsum, ut non nisi odisse possit hunc filium perditionis, qui sacrilegis suis machinationibus evertere laborat ipsius thronum, extorquere manibus ejus Deitatis sceptrum, resistendo Divinis legibus, seque opponendo supremæ authoritati. Præterea, Deus est infinitè communicativus in dispensatione bonorum suorum, ardentissimè desiderans hominem ditandi thesauris gratiæ ac gloriæ suæ, hinc necessariò iterum odio peccatum persequendum ei est, utpote, quod effusioni & communicationi suorum bonorum fluxum sistit, remoram interponit. Deus itaq; obligatus est erga peccatum & peccatoris statum concipere odium infinitum, cujus origo derivatur primò, ex ipso fundo essentia Dei; secundò, ex cunctis Divinis perfectionibus; tertio ex justo Zelo, quo ardet in gloriæ suæ incrementum, & denique ex amore, quem gerit ad creaturas, quibus gratias suas impartiri cupit.

Velle ergo peccare, simulque velle interea possidere partem amicitia Divina, est idem, ac velle, ut Deus seipsum abneget, inque destructionem propria suæ Divinitatis consentiat.

O Deus! utinam hæc veritatum maxima, quam Lactantius Firmianus appellat firmum Religionis robur, & pietatis Christianæ sustentaculum; *In ea enim summa est ratio, & cardo totius Religionis.* Utinam hæc veritas, inquam, melius esset perspecta cognitione practica in no-

stris postremis Ecclesiae saeculis ! Fateor, quòd zelum meum super hac materia prorumpentem, aliquando vix continere sciam. Audio sapius homines mihi conquirentes: capere nequeo, quæ fortuna sinistra me in felicem flagellet, tempore jam ab aliquo in domo mea nil deprehendo nisi invidias, confusiones; quò plus laboris impendo, eò minus lucri mea negotia refundunt; non ad verto nisi ægritudines, judiciarios processus, dispendia, à quibus familia mea miserè jactatur, & vastatur; subit mentem, cogitatio, dicunt illi, quasi Deus malum me esse, velit Ego verò, qui bene novi malignam eorum conversationem, modicam fidem, injustitiam in ipsorum commercio, agrè respondere soleo, nec nisi concitatori animo & voce eos interpellans; quomodo? quid? num vobis imaginari audeatis, quòd Optimus Deus vos malos esse velit, an non commutem fidei articulum creditis, nonne scitis. Deum nullatenus esse Deum amplius, si non odio insectaretur impudicos, fraudulentos, impostores &c. odium istud derivari ex ipsamet Deitatis naturâ? Exponamus jam istius odii naturam. Id alterum meum punctum est.

II. Nostri Doctores Scholastici dividunt odium in duplicem speciem, unum dicunt abominationis, aliud odium vocant inimicitia. Prius odium est aversio Divinae voluntatis, vi cujus detestatur Deus, & concipit horrorem peccati, juxta illud: *Abominatio Domini est omnis arrogans.* Item: *Quos exhorruisti Domine, quoniam odibilia opera tibi faciebant.*

Prov. 16. 5.  
Sap. 12. 3.

Solus cujusdam inimici conspectus nos turbat, stomachum, bilem commovet; aversio, quâ in eum rapimur, in causa est, cur in eundem vix respicere dignemur, illius societati renuntiamus, quid quid is egerit, displicet, etiam dona,

donâ, si qua offerret, in nostri offensam & injuriam hæc cedere, interpretari non dubitarem. Constat, quod Deus passionum nostrarum sit incapax, & cum sit immutabilis, laborare nequeat motuum exorbitantium pericyclofi.

Nihilominus Spiritus Sanctus volens, ut pro captu nostro comprehenderemus, quid in secretario Divini peccatoris statueretur in objectum istiusmodi aversionis, peccatum sc. omnes eos adhibet terminos, eaq; attribuit huic in peccatores odio, quæ nostris ipsi exhibemus hostibus. Primò ab illis suam avertit faciem, ne ipsius oculis incurrant; nam *mundi sunt oculi tui, ne videas malum, & respicere ad iniquitatem non poteris*, inquit Propheta. Habac. 1. 13.

Quòd si videat peccatores, notat alius Sacer Vates, id fieri cum dolore cordis, amaritudine mentis: *exacerbant me in opere manuum suarum*, seu, ut quædam versio exprimit: *amaricant spiritum meum*. Fatetur ipse cordolio se feriri in aspectu creaturarum, peccati labe infectarum: *Tactus dolore cordis intrinsecus*. Ille, cujus cæteroquin *delitiae sunt, esse cum filiis hominum*, aut innocentibus, aut penitentibus, se tamen ab iis mox abstrahit, longius recedit, quamprimùm peccarunt: *Vae eis, cum recessero ab eis*. Jerem. 32. 30.  
Gen. 6. 6.  
Osee 9. 12.  
Gen. 3. 9.  
Matth. 25. 12.  
 Ipsos minimè respicit, nescire se simulat, ubi sint, quòd devenerint; hinc quærit: *Adam ubi es*, neque ulterius vult agnoscere: *Nescio vos*.

Horum actiones sunt Deo abominationes, & videtur etiam illorum execrati sacrificia. Quantumvis isti, asserit D. Paulus, fide essent præditi pro transferendis montibus sufficiente, & si linguis loquerentur Angelorum, post admissam tamen culpam, quâ Dei amicitia sunt exuti, nihili æstimarentur hæc aliæque, nec unquam in computum

venierent pro retributione vitæ æternæ, sunt quippe opera mortua, ad salutem profus inutilia. Memorata Dei aversio eousque se extendit, ut peccatori interdicit suum nomen pronuntiari, suâque nolit ab ipso encomia decantari, ut per suum interpretem Davidem nobis insinuasse visus est: Id colligit aureus Chrystostomi intellectus ex choro, quem Dei jussione Regius Cytharædus iste instituit, ex omnium creaturarum ad invicem concertantium vocibus, ad suave melos Divinæ gloriæ componendum, ac concinendum. Glacies, nives, inhumana hyemis frigora huc convocantur, cœcæ tenebræ, inconditi noctis horrores non excluduntur, fulgura & fulmina in Musicali arena locum inveniunt: *Ignis, grando, nix, glacies, Spiritus procellarum*, ipsimet pariter dracones hunc in circumvenire, invitantur: *Laudate Dominum de terra dracones & omnes abyssi*. Solus & unicus peccator, instar excommunicati non tolerati, expressè prohibetur, tam mirabili concentui se immiscere: *Peccatori autem dixit Deus: quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?* Quando excellens quispiam Citharædus advertit chordam unam aliis discordem, concordari non posse citra Musicalis harmoniæ dissonantiam, eam iratus abruptit, & in ignem projicit. Similiter videns peccatorem Deus solis labiis se honorantem, eumque vocem propriam cum aliis creaturarum vocibus inconcinne combinare, audiens, indignabundus perpetuam ei indicit pausam, eoquod harmonici concentus suavitatem in turbet. *E Cithara bene modulante chordam dissonam refecat, ne reliquarum vocum harmonia vitietur*, aurea Sancti Chrystostomi gnoma est. Non sine aculeo sunt illa melliflui Doctoris verba, presbyterum alloquentis: nonne

tu à Deo peculiariter es electus, ut altare accedas, ad placandam ipsius iram, eumque cum suo populo reconciliandum; *quomodo placas, si non places?* tu Beneficiarie, Canonicæ, cui ex Dei instituto commissum est, ut obeas super terram officium istud Angelorum in cœlis, qua ratione te ingerere præsumis cœlicis phonascis, quomodo gratas Deo laudes intonare tentas, cum cor tuum peccati turpitudine inquinatum sit, eidem displiceas, quæso: *quomodo placas, si non places?*

Epist. 41.

O cor Christianum, quàm es infensibile, si hac veritate non tangeris, non moveris! mediastinus in ædibus heri sui quietus agere non posset, si hunc erga se malè affectum nôllet, nec nisi ægerrimè in servitiis suis tolerare animadverteret. Profanæ historiæ nos instruunt, non rarè plures magnatum assentatores; aulae sectarios præ merolanguore vires, spiritusque vitales amisisse, cernentes omnem spem, apud suos principes redeundi in gratiam, intercisam esse. Absalon cæteroquin pessimæ indolis, aborturientis naturæ monstruosus partus, protestari tamen non erubuit, se malle potius mortem, quàm vitam cum assidua parentis Regii aversione & absentia conjunctam. Et tu Christianæ facilè tantam jacturam tolerare, vitam quietè transigere possis cum hac infallibili licet notitia, è principiis fidei desumptâ, quòd sis odium Dei, abominandus, detestabilis Deo, maledictus à Deo, imò, quòd non ampliùs esset Deus, nisi te respiceret ut suum inimicum? Cum probè teneas, quàm agrè te Maximus Universalis istius Monarcha in mundo sustineat, aërem tibi, quo respiras, exprobrer, panem, quem comedis, obtrudat; quòd eo te vultu contueatur, quo tu perditissimum spectares latronem, omnia tua funditùs devastantem bona,

E 3

omnia



omnia nefarie usurpantem sibi, quæ propriis filiis parata reliquisti? Quòd denique, quemcunque in locum aut loci angulum te recondas, te met oculus Divinis exponas velut objectum abominationis, quæ juxta Propheticum loquendi morem Spiritum Dei replet amaritudine? Terminus hic est quidem metaphoricus, reverà tamen rem magnam in Deo nobis exprimit.

Canon. *aud. q. 3.* binæ excommunicationis meminit publicæ sc. & occultæ. Hæc posterior infausta fors est omnium, qui in statu peccati mortalis degunt. *Deus, qui videt in occulto, prospicit animam vitiiis fervientem, tradis eam Sathana, discedit à mente ejus, & relinquit domum cordis ejus vacuam.* Omnes proinde hoc aversionis odio per peccati vinculum obstricti, sunt occultæ excommunicationis nexibus illigati.

Hoc ne serio pensasti, Charissime frater, quærit ex te D. Hieronymus, quòd eo temporis momento, quo gratiã Dei excidisti, quo peccatum lethale incidisti, facto ipso jam incurreris excommunicationem, maledictus in tuo corpore, ac in tua anima, maledictus semper, ubique, *Maledictus ingrediens, maledictus egrediens.*

O Deus cordis mei! ardentè suspirat D. Bernardus, prius me destrue, potiùs millies me annihilas, velim, quàm ut permittas, me fieri subjectum tui odii, quàm ut comparem Divinæ Majestatis tuæ oculis in tali statu, in quo. *De cænofo lacu prurientis pectoris mei incessanter ebulliant illiciti animi motus inundanter & impingentes in serenitatem præfulgurantis vultus tui,* hæc ille.

III.  
Punctum, Veniamus modò ad partem tertiam, & dicamus, quisnam sit præcipuus & maxime nocivus effectus istius odii.

Effectus

Effectus iste Divinæ aversionis in eo consistit, quòd Deus subtrahat peccatoribus suam paternam & singularem providentiam, quam erga justos exercet. Hanc veritatem ut nobis imprimeret Deus, is se apud Prophetam Zachariam comparat Pastori, manibus tenenti duas virgas Zach. II. 7. pro suarum ovium directione, prima est amabilis, altera terribilis. *Assumpsi mihi duas virgas, unam vocari decorem, & alteram funiculum.*

Scio quidem, quòd priori virga adumbrari velit Sanctus Cyrillus favores ac gratias novæ legis, hæc autem posteriori rigorem antiquæ legis. Novi, quòd Rabbi Moses suaviorem attribuat sapientibus & fortunatis iis Principibus, qui suaviori moderamine Israëlitarum gentem gubernârunt; magis rigidam tyrannis, idola latris, qui servitutis iugo suos oppresserunt subditos.

Cum communiore nihilominus interpretum sensu judico, illâ speciosâ virgâ figurari, speciosissimam simulque amabilissimam Dei providentiam, & paternam, quam probis impendit curam; rigorosâ verò indicari severam, ejusdem in reprobos vindictam; hæc apprehendit Divinus Pastor, quando videt nos nuntium remittere virtuti, ut vitiorum commercia lectemur, gratiæ suæ jacturam facere; per quam item nobis innuit, quòd non nisi ordinariam erga nos Providentiam gerat, strictum justitiæ rigorem observet. *Tuli virgam meam, qua dicebatur decus, & absceidi eam, ut irritum facerem fœdus meum.* Ibidem c. II. 8.

In isto statu videmur similes gregi derelicto, cujus curam Pastor ille bonus habitam antecedenter peculiarem non continuat, nec amplius consuetas olim amoris delicias subministrat. *Non pascam vos, quod moritur, moriatur; & quod succiditur, succidatur; quæcunq; miseræ,* Ibidem v. 9.  
iniri-

inimicitia vos infestent, quælibet pestes, fames, bella vos conficiant, disperdant; qualiacunque vectigalia, aliæve recens impositæ exactiones vos opprimant, vel exhauriant. minimè sum sollicitus, ait Deus, non curo, curæ enim meæ, quam ovibus meis impendi, ipsimet vos subtraxistis. Tentationes quævis indies multiplicentur, malignæ habitudines vos captivent, passiorum tyrannidi cedatis licet in prædam, subitanea mors ingruat, vos suffocet, omnia simul secum à vobis abstrahat, *quod moritur, moriatur*; me enim interponere, impendentia mala avertere, non obligor. Vos non estis ulterius populus meus ad obediendum & serviendum mihi, nec ego Deus vester ero in ordine ad vos tutandos. *Non populus meus, & ego non ero vester.* Terribilis planè & horrenda comminatio!

Ah! si verum est, quod verum esse experientia demonstrat, mundum esse mare quoddam immanibus procellis tumidum, scopulis & syrtibus horrendum, continuis tempestatum motibus obnoxium, esse desertum draconibus, aliisque virulentis bestiis infessum: si hæc vita sit perpetuus conflictus, prælium non rarò cruentum, sit millenis vicissitudinibus, singulis momentis, ex quibus hujus vitæ series contexitur, subjecta; si sit homo creatura tam debilis, sensu & consilio sano adeò vacuus, quid aget peccator infelix, odium, abominatio Dei, cujus paterna tutela est spoliatus?

Quò se vertet cæcus in medio tot retium & præcipitiorum? pumilio iste adversus cœtum tantorum gigantum quomodo perstabit? quid sperare potest abjecta phaselus omni ductore destituta, nisi postquam aliquantum temporis cum procellosis turbinibus, sævis tempestatibus ludit, triste naufragium? Verbo, quid efficiet peccator.

bene.

*Osæ 1: 29.*

benedictionibus Dei subtractis, Divinis auxiliis & favori-  
bus destitutus, ab integro hostium exercitu vallatus audi-  
que, ac infestatus, nisi cum desperabundo Saule exclama-  
re: *Coarctor nimis, siquidem Philisthiim pugnant adversum* 1. Reg. 28. 15.  
*me, & Deus recessit à me?* infortunia, persecutiones me in-  
cessanter obruunt, hostes mei ex omni parte instant, &  
quod malorum extremitas est, quòd Deus me prosequa-  
tur odio, quòd peccati mei reatus Deum procul à me dis-  
cedere compulerit: *Ve vobis viri impii, minatur Ecclesia-*  
*sticus, qui dereliquistis legem Domini, in maledictione erit* Eccles. 5. 12.  
*pars vestra.*

Exprimamus fatale hoc odium paulò sensibilius, &  
dicamus cum nostris Theologis, Deum contra peccatores  
non concipere duntaxat odium abominationis, sed odium  
insuper inimicitiae ac vindictae, vi cuius ab ipsis exigat  
poenas & supplicia, quae flagitia illorum promerentur.

Ad hoc autem meliùs explicandum, videtur neces-  
sarium, cantandam mihi palinodiam, omnia, in isto  
sermone prolata, esse retractanda: etsi aliud nil enun-  
tiâsse meminerim, præterquàm in Sacris literis funda-  
tum.

Dixi cum Regio Psalte, quòd Deus avertat faciem  
suam à peccatoribus; idem verò Propheta testatur alibi,  
Deum desiderio se de illis vindicandi, defixo eosdem ob-  
lutu contueri: *Vultus autem Domini super facientes mala.* Psal. 33. 17.

Docui cum Isaia, quòd Deus sit longè à peccatori-  
bus, at Jeremias contradicere videtur, quòd eos sequatur,  
& undique persequatur. *Persequar eos in gladio.* Ipse Jerem. 29. 18.  
Dei Filius fateretur peccatores in ea penes se esse aestima-  
tione, ut nequidem tales nôsse velit: *Nescio vos,* qui Matth. 25. 12.  
tamen in Apocalypsi satis declarat, quàm exactum ha-  
beat

Apoc. 3. 10. beat numerum ac noticiam actuum illorum: *Scio opera tua:*

Quid istæ contradictiones innuunt? eos videt, eos non videt; illos relinquit, & non relinquit; cognoscit, & non cognoscit? hunc difficultatis nodum facile resolvit Magnus Gregorius, *scit illos in examine, nescit in amore*, distinguit S. D. respicit illos non oculo amoris sed terroris & vindictæ, prout per alium Prophetam iteratis comminationibus idem confirmat: *Ponam oculos meos super eos in malum, & non in bonum*, est inter illos, non ut ipsis protectionem impendat, sed pœnam, supplicia infligat, semper hîc interest.

Amos 9. 5.

Oblivioni licet tradatis, quantumvis omnia in præfenti discursu recensita, dummodò ultima ista cogitatio mentibus vestris maneat altè repôsta, hæc enim sola sufficiet, eò vos permovere, ut asserere debeatis omnino deplorandam esse miseram peccatorum sortem. Quæ infania, cubitum ex. gr. concedere hac nocte, & clausis oculis strato indormire cum certa persuasione, quòd capiti immincat Deus illâ vigilante virgâ armatus, quam Jeremias olim prævidit: *Virgam vigilantem ego video*; qui nos ardente furoris igne respiciat vultu, qui que consideret tempus, locum ferendi & interimendi suum adversarium: quòd brachium Domini pro tutamine nostro protensum priùs, modò extensum sit ad nos delendos: quòd pectus illud, ubi non nisi cogitationes pacis & patris fovebantur antehac, meditetur cogitationes afflictionis imposterum, & rigores omnes judicis ad iram provocati?

Jerem. I. II.

O Veritas! quæ jure tremorem cunctis artibus nostris præ horrore incutiat, scire nim., quòd Deus noster, alioquin summus Protector & Benefactor in tineam nos

CORRO-

corrodentem quodammodo evadat: *Ego quasi tineæ,* Osee 5. 12.  
*Ephraim, & quasi putredo domui Jacob.*

Popule Christiane, has veritates universas credimus meritò, siquidem sunt infallibilia Spiritûs sancti oracula; qua ratione possumus autem nos tam prolixo temporis spatio quietè huic peccati lethargo immorari? nõne cum Davide excandescere nobis liceat: *Zelavi super iniquos,* Psal. 72. 3.  
*pacem peccatorum videns?* S. Gregor. Nazianzenus hunc locum exponens, *non peccata,* inquit, *sed pacem peccatorum zelat,* cui ipsi profundissimè immergi, soporem tam securè captant, quasi Deus, quem offenderunt, esset Deus excæcatus, & idolum aliquod absque sensu, sine motu.

Si quis è Regni proceribus, vel principalis minister. Statûs Aulici in nos irritatus fuisset, jamque in nostrum jurâisset interitum, quæ mentem anxietas occuparet! Deus est irarum & furorum plenus. *Vidit Dominus, & ad iracundiam concitatus est.* Deut. 32. 19.  
*Vidit,* indicat Propheta, non item, quid viderit; quod equidem nescio, si tamen ejus scientiam haberem, vos non parum affligeret. Vidit istud adulterium, istum incestum, istud furtum; & Sanctus Sanctorum irritatum se sensit, juramento se solenni obstrinxit, quòd peccatum illud impunè dimittere nolit, se de suis inimicis vindicare velit: *Vivo ego in æternum, si acvero ut* Ibid. 7. 40. 41.  
*fulgur gladium meum, & arripuerit judicium manus mea, reddam ultionem hostibus meis.*

Qualis consternatio, qualis terror in urbe obsessa, quando munimenta tormentis solo æquata, muri prostrati, vel in scalis jam observantur hostes! Peccator, fides utique te docet, quòd Dei offensi immensitas te ambiat, circumsideat ex omni parte; Deus est supra capitis tui verticem, Deus est sub pedum tuorum plantis, Deus est à

Job 9. 4.

dextris æquè, ac à sinistris tuis, & tu eum necdum adversaris. *Quis restitit ei, & pacem habuit?* inquit Job perpende paululum, quis tu, quis Deus sit; quale consilium, quod opponas consilio Dei? quónam brachio brachium Domini eludes, quo scuto te munies, ut Dei dexterrimi certissimos ictus securus evadas, & effugias.

Finiamus, en in fine pro juvenanda memoria vestra, brevem habiti sermonis mei epitomen.

Vocavit aliquando Deus Isaiam Prophetam & in ejusdem persona omnes Prædicatores, cui cap. 3. in mandatis dedit: volo, ut itineri protinuste accingas, obiturus legationem. Ecce, Domine, promptus adsum, mitte me. Majestatis meæ nomine vadè ad homines reprobos, & justos, ne utiquam attendas ipsorum dignitatem aut qualitatem, sed audacter impio denuntia; *Vae impio in malum,* maledictio erit portio tua, omne malum in te irruat, teque obruat.

Deinde ex me salutem dicas amicissimam justo, eiq; insinua causam ipsius optimè constitutam; *Dicite justo, quoniam bene.* Sed, Domine mi, pro dignitate & amplitudine materiæ hæc oratio nimium angustis verborum limitibus est circumscripta: num Majestati tuæ non placeat, prolixiori discursu me, necque ipsos instruere, quò clariùs elucescat Divinæ Eloquentiæ energia? non, nec syllabam addas, velim, quod reliquum ipse cordis fundo imprimam.

At, Maxime Deus, voluntatis tuæ est, ut me conferam ad perquirendos bonos omnes æquè, ac omnes malos? Omnino, ne unico quidem excepto, neminem prætercas.

Quo-

Quomodo verò penetrabimus adeò superbæ magnificentiæ palatia, num licebit nobis, pedem figere in aulis, in cœnaculis peristromatis tam pretiosè instratis, raris picturarum miraculis exornatis, ubi non alia præter auri & amœniorum colorum fulgura, omnia loca illustrant, & his luxu divitiarum ebris, qui honoribus alios supereminent, omni voluptatum genere diffluunt, horum alicui vis, vaticinemur, malum in limine adesse? Cur nos talem proclamemus pessimæ sortis hominem, quem infinita adulætorum turba, fortunatissimum, ipsius fortunæ pullam, acceptissimum deprædicat? Risui & lusui exponemur, undique. His non attentis, perge, inquam, mi Propheeta, is ipse est, ad quem in specie te ablego. Vis insuper, summe Deus, ut huic iusto, isti fideli servo dicamus, cui modico abhinc temporis intervallo vicini injustitia meliorem hæreditatis partem abstraxit, *quoniam bene se cum eodem res habet?* Num subeamus etiam viduæ illius humile tugurium, quam inveniemus funebri involutam velo, lachrymarum suarum fluentis quasi innatantem, undecunque orphanorum, pupillorum turba stipatam? Nè dubites, Isaia, mox tibi commissa exequaris. Quocunque in loco seu statu deprehenderis justum & injustum præscriptam ipsis dictabis lectionem. Sit impius licet evectus ad supremum favoris & gratiæ Regalis fastigium, velut alter Aman, quamvis in palatio mensæ suæ affideat divitis Epulonis adinstar, liberè pronuntia: *Vae impio in malum.* Quòd si inveneris innocentem in obscuro carceris hypogæo devinctum jacere, uti Josephum, in leonum fossa sepultrum ut Danielem, in ventre Ceti hærentem ut Jonam, aut in fimeto cum Jobo luctantem, adhuc *Dicite iusto, quoniam bene.*



Hæc Dei verba innituntur fundamento veritatum, quas vobis annuntiavi. Non potest esse nisi summè malus, qui est causa omnis mali, qualis est ira ac odium Dei: econtrà nequit esse nisi bonus, quacunque demum paupertate vel ægritudine prægravetur, qui possidet supremum bonum, quod Deus est, & partem habet in Divinæ gratiæ ac amicitæ possessione.

Si ergo malum pertimescitis, bonum verò diligitis, fugite malum, quarite bonum, ut oportet. Persequimini malum in pestifera sui radice, quæ est peccatum; prosequimini bonum, quod consistit in amore & gratia Dei, quam consequetur tamen gloria sempiterna  
Amen.





# I. MALEDICTIO,

In bona Exteriora.

## I. IMPIUS MALEDICTUS IN SUIS BONIS.

*Si audire nolueris vocem Domini Dei tui Mittet  
Dominus super te famem & esuriam Percu-  
tiet te Dominus egestate. Deut. c. 28. v. 15.  
20. 22.*

**R**ures præterierunt sæculorum decursus ab eo  
tempore quo Ecclesia anathematis fulmine  
hæresiarcham, nomine Manes, omnésq; dam-  
natæ ipsius doctrinæ asseclas ferit, præsumentes Summi  
Creatoris Omnipotentiam in partes scindere, arrogantes  
ejusdem medietatem diabolo, quem ipsi principium re-  
rum visibilium, dispensatorem bonorum sensibilium con-  
finxerunt.

Similiter damnavit errorem certorum hæreticorum,  
de quibus meminit S. Epiphanius, sustentium sub spe-  
cioso, sed falso prætextu amoris erga paupertatem, divi-  
tias ex natura sua malas, non aliunde quam è dæmonum  
manibus recipiendas esse.

Nos sentimus cum Spiritu Sancto in Scriptura, quòd  
Deus sit Principium, causa cunctarum realium essentia-  
rum,

*1. Paral. 29.  
12. 16.*

rum, quòd gloria & divitiæ spectent ad ipsum, quas item pro suo lubitu dispenfer: *Tua divitia, tua est gloria tua sunt omnia.*

Ille est, qui ditavit Abrahamum, multiplici fœtu cumulavit gregem Jacobi, super thronum Ægypti Josephum evexit, qui pedum pastoritium Davidis permutavit in regale sceptrum, qui que jure absoluto distribuit coronas & diademata Universi. Ille assignat populis in suo Amore bonos Principes, perversos in sua ira, doctrina D. Augustini est: *Qui & Augusto regnum dedit, ipse & Neroni, qui & Constantino, ipse & Juliano.*

*1. Reg. 2. 7.*

Verbo id complexa est pia Samuelis mater: *Dominus pauperem facit, & ditat, humiliat, & sublevat.* En rationem, quâ Sapiens hæc femina doctrinam suam obsignat: *Domini enim sunt cardines terra, & posuit super eos orbem.*

*c. 2. v. 8.*

Deus est, qui mundum condidit per suam omnipotentiam, & gubernat per suam Providentiam. E solido isto principio deduxit illa hanc sequelam: *Non in fortitudine sua roborabitur vir, felicitatis stabilitas, bonorum temporalium copia non dependent à viribus & industria humana.*

Supposita hac veritate, quòd fortunæ nostræ temporaneæ æquæ ac æternæ sint in manibus Dei, revocate in memoriam alteram veritatem, quam heri vobis exposui, quòd nim. Deus odio abominationis, simulque odio vindictæ feratur in peccatores.

**DIVISIO.**

Ex his binis veritatibus Theologicis, binas alias veritates morales infero, quæ Sermonem meum in duas pariter partes dividunt.

Prima veritas: impius per suas offensas impedit domus suæ incrementum; quia dum meritò incurrit odium Dei,

Dei,

Dei, ei exsiccantur benedictionum Divinæ Providentiæ fontes, ipsaq; Providentia irritata, destruit illius bonæ fortunæ. Odium abominationis causat, quòd Deus à peccatore longiùs abscedat, nec suas in eum benedictiones effundat: Odium vindictæ Deum obligat, ut in peccatorem maledictionis suæ ferrum distringat: *Percutiat te Dominus egestate.* Deut, 28. 22.

Secunda veritas: quamquàm peccatori Deus bona impunè dimittat, at quia benedictionem non habent annexam, impio non sufficiunt, sed famem etiam in abundantia procreant caninam ac continuam. *Mittet Dominus super te famem.* Ibid, 1. 20. Ut autem meliùs penetremus hæc duas veritatum maximas, supplices expetamus Spiritûs Divini lumina. *Ave Maria.*

Universum hoc mundi theatrum pro justo duntaxat extructum fuit, prima enim architectantis Dei intentio non fuit, operari in favorem reproborum: *Omnia propter electas.* Amor, quo rapiebatur Deus in virtutem ipsum à se prodire ad extra, suæque Omnipotentia magnificentiâ demonstrare compulit in productione creaturarum relucentem. I. Punctum.

Unde sequitur, deducit S. Anselmus, quòd Deus peccatores respiciat velut usurpatores violentos sui domini, hostium instar, bona sua devastantium, & pro talibus, qui nequiter invadunt genuinis Dei filiis relictam hæreditatem: *Ingeritur operibus Dei contumeliosa quadam oppressio, & fit deus gravis abusus.*

Creaturæ ipsæ etiam maximè insensibiles gemunt sub ista tyrannidæ, asseverat D. Paulus, & cum primis dolent, se contra inditam sibi inclinationem abduci ad serviendum vanitati & iniquitati peccatoris. *Vanitati creatura* Rom. 8. 20. 22.

G

TYRA

*ura subiecta est non volens . . . . omnis creatura ingemiscit,  
& parturit usque adhuc.*

Bene scio, quòd Deus sit suorum bonorum Dominus absolutus, de quibus nemini ullam teneatur reddere rationem, sicque ea consequenter distribuere possit ad placitum proprium: simul tamen scio, quòd ea ipsa necessitas per quam rerum omnium constituitur principium, eundem indispensabiliter obliget, velle, ut sit illarum finis ultimus; quòd Sapientia, Justitia, Sanctitas, verbo, omnes Divinæ Perfectiones ab ipso exigant, ut illius dona omnia usurpentur ad gloriam Conditoris. Deus ergo bona sua impiis, qui ipse abutuntur, communicare nequit, ejusque Providentia multare eos debet, ut alieni involatores & raptores. Quà propter Hugo de S. Victore notat, singulas creaturas etiam si mutas eo ipso temporis momento, quo sui nobis copiam tribuunt, breviter, attamen efficaciter, auribus immurmurare nostris tria verba: *Accipe, redde, cave.* *Accipe beneficium, redde officium* sc. gratitudinis, *cave supplicium* impendens iis, qui Dei muneribus abuti, non reformidant.

Lib. 1. de  
doctr. Chri-  
stiana, c. 3.

Permittite mihi præsentem discursum magis roborare, adhibito hunc in finem pulchro D. Augustini argumento, docentis, quòd in ordine Providentiæ, quam Deus erga hominem gessit, sint quædam res, quæ uti præcisè, & alia, quibus aliquis frui debet. Uti quæpiam re, notat Augustinus, est eam amare, quatenus est utilis, ac juvare potest ad assequendum bonum, quo frui oportet. Frui autem re aliqua, est rem amare propter amorem rei ipsius, scq; illi affigere tanquam suo fini. Advertite itaque, pergit S. D., principia fidei nostræ non admittere aliud, præter Deum, quo perfrui possumus, & debemus. Cùm solus  
ille

ille sit ultimus finis noster, nostraque æterna felicitas, cui inhærendum amore constanti; *mansoria dilectione.* Ergo *utendum est hoc mundo, & non fruendum,* si sequi velimus propositum Divinæ Sapientiæ, quo mundum, mundana universim ordinavit, ac disposuit ut media, nos conducta ad salutem sempiternam: *Facta est pro salute nostra per Divinam Providentiam hæc dispensatio temporalis, quæ debemus uti.*

Nunquid verum est, quòd peccatores passionum suarum directioni subjecti, dictum ordinem invertant? Non utuntur, verùm abutuntur creaturis: dum earum, usu urgeri deberent in tendentiâ ad Deum, se iis per amorem inordinatum & per inversionem extraneam, ut loquitur S. Augustinus, affigunt, ditari cupiunt, non ad serviendum Deo, sed desiderium habent etsi imperfectum, serviendi Deo, ut divitias accumulent. *Fruuntur nummo uti Deo; quia non nummum propter Deum volunt, sed Deum propter nummum colunt.*

Necessarium proinde est, ut Providentia Dei, quæ has leges violatas, suumque ordinem destructum conspiciat, sibi refractarios repellat, qui bona illius acquirere, augere, conservare laborant ad finem contrarium fini, à Divina Providentia præstituto.

Ista est summi momenti instructio, quam Salvator noster nobis in Evangelio tradit: *Querite primum Regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* Matth, 6, 33.

Instituatis, quæso, reflexionem supra verbum illud, *primum*, ac si dicere vellet, ex me dependet omnis fortunæ temporalis successus vester; ego sum, qui desideriorum vestrorum appetitum explere valeo, ac volo, quod tam parum in controversiam vocare debetis, ac, quòd sim Deus vester.

Jam vobis declaro, nisi subordinationem Providentiæ meæ observetis, nullum vobis exhibendi favorem, me animum habere, nisi intensiorem conatum adhibeatis de divitiis cælestibus potiundis, quàm terrenis opibus, nisi potiùs cordi & curæ sit, congerendi bona spiritualia, quàm corporalia. *Quærite primum;* Necquicquam sperare, præsumatis, priùs vobis concedendum accessorium, quàm inquiretis, quod est principale: neque obtinebitis à me reliqua cum tanto mentis ardore concupita, si cor vestrum mihi affectionum suarum primitias antecedenter non consecrer.

S. Cæsarius  
Hom, 20.

Meliorem doctrinæ istius interpretem invenire nequeo, Magno Cæsario Arelatensium Episcopo in Hom. 20, ubi elegantem paraphrasin verborum illorum Christi in Evangelio, producit. Nos habemus nostras, ait is; Deus pariter proprias suas habet intentiones; nos possidemus aedes, hæreditates, fundationes, villas; nec minùs Deus possessor est domuum, hæreditatum suarum, vinearum, agrorum ad se spectantium. Desideria vestra sunt ampla ædificia erigendi, familiam & posteritatem ampliandi, prolem vestram ad primæ dignitatis culmina evehendi. En stupendam Dei bonitatem, qui idem vobiscum sentit, hæc omnia admittit, suppono enim, ea vos quærere per media licita & honesta.

Ephes. 1. 4.

Præterea Deus ingens habet desiderium, quod D. Pauli testimonio ab omni jam æternitate conceperat; *Ele- git nos in ipso, ante mundi constitutionem, ut essemus Sancti,* quamprimùm decrevit vobis donare vitam, simul intendit in vobis demonstrare robur suæ gratiæ, elevando vos supra naturæ infirmitates, dolores & delicias carnis, suggestiones dæmonum, tentationes mundi, ut vitam ageretis puram,

puram, justam & innocentem: *Ut essemus sancti, & immaculati in conspectu ejus, in Charitate.* Ibidem.

Vultis itaque, ut Deus suam curam, suamque operam propositorum vestrorum executioni impendat? ipsius etiam Divinæ intentionis memineritis: desideratis ne, ut vestris conatibus benedicat, vosque adjuvet, tales largiendo successus, quales ipsimet vovetis? cooperamini illius gratiæ, nec labori parcite, quatenus intentio, quam de vobis formavit, opere compleatur. Uno verbo, Deus hominem, quem vos bonum efficitis, divitem reddet, dummodo vestræ conducat salutem. *Querite primum regnum Dei.*

Vos possidetis domos, vineas, Deus æquè proprias tenet: *Habes tu villam tuam, & Deus habet suam, villa tua, terra tua; Villa Dei, Anima tua.*

Vultis igitur, ut Deus non solum tueatur vestras ædes, sed adhuc novum superaddat incrementum indies, vestris agris benedictionem & fertilitatem infundat, optatos successus vestro tribuat commercio. Idem ipsius, & quidem ardentius votum est; unà tamen petit, ut ejus excolere laboretis vineam, quæ est anima vestra, ut ejusdem exornare domum studeatis, quæ est cor vestrum. Ex dictis nil vobis agere placet, relinquitis vineam ejus incultram, domum ejus desertam: cur itaque eidem permissum non sit, parem seu Talionis pœnam in vos statuere?

Ah! mi dilectissime popule, docebat citatus Sanctus hic Archi-Præsul, en quæ radix inopiæ nostræ, quæ causa ruinarum nostrarum, defectionis nostrarum familiarum: hanc, vos obtestor, bene observetis. Deus pari nobiscum passu ambulat, nos ad eum modum tractat, quomodo tractamus ipsum. *Ideo tribulationes quotidie sustinemus, quia*

Cæsaribus  
Hom. 20.



Deus vicem nobis quodammodo reddit, num hoc non magis quam æquitati sit conforme? *Nolumus nos amare animam nostram, quam Deus amat, & ille dimittit villam nostram, quam nos amamus, ut pereat.*

Nónne hoc ipsum Deus suo populo exprobravit per Aggaum Prophetam? Vos deploratis, significari jubet ille, adeò maligna tempora, quòd ex mercimoniis nullum reportetis lucrum, negotia prosperè non succedant, clamores vix alii percipiantur, præter querelas ob mercium, jacturam, illustrium domorum everfiones, quòd fraudes, miserix indies crescant. Paululum vos híc reflectite: *Ponite corda vestra super vias vestras, scrutamini, quem vivendi modum teneatis, ingredimini fundum conscientix vestrx: Respexistis ad amplius, & ecce factum est minus.* Foveatis in animo sublimes conceptus, extollendi in altum vestram familiam, locupletandi liberos; interim tamen egestate graviori laboratis, quàm antea. Defectus non est industriæ, nec laboris, *seminastis multum, intulistis parum, omnem impendistis operam, utramque adhibuistis manum, sacrum cum profano miscere non erubuistis: non est usura, fraus, dolus quem non practicastis, ad vos ditandos; dextrè novistis simoniam etiam in subsidium convocare, quatenus ex bonis Ecclesiæ hauriatis lucrum. Interea ipsimet propriis bonis exhausti, singulis diebus debita majora contraxistis, & exsufflavi illud.* Ego per viam infelicium processuum damnum majus in mense vobis intuli, per immissam infirmitatem enormiores expensas in anno vobis extorsi, quàm in decem lucrari possitis. *Quam ob causam, dicit Dominus.* Unde autem hæc omnia? penetrare ipsam mali originem, quæ est: *Domus mea deserta est, & vos festinatis unusquisque in domum suam.* Propter hoc

Agg. 1. 5.

Ibid. v. 9.

Ibid. v. 6.

v. 9.

v. 9, 10.

*hoc super vos prohibiti sunt cæli ne darent rorem.* Cùm mea negotia vobis cordi & curæ non sint, hinc nec multùm vestra curo: quia vos ipsos meæ intentioni, quæ est vos sanctificandi, contra ponitis, ideo me vicissim oppono vestræ, quæ est, vos divitiis cumulandi. Vos invertere tentatis finem à mea Providentia in directione & gubernatione mundi præfixum, quapropter hæc Providentia favorabilem se vobis minimè exhibebit; & quia succursu illius manetis exuti, nunquam proficietis; laborabitis quidem, sed labores vestri maledicentur, exinde steriles erunt, & inutiles.

Resumamus discursum nostrum, & dicamus, si verum est pro tempore æquè ac æternitate, quòd *neque, qui plantat, neque qui rigat, valeant aliquid, si Deus neget incrementum.* Si verum est, ut psalmista canit, quòd *in vanum laborent, qui domum ædificare moliuntur sine supremi Opificis cooperatione.* Si verum est Christi de se pronuntiatum: *qui non colligit mecum, dispergit.* Et, si ex altera parte, prout jam probavi, Deus assistentiam non ministrat, nec benedictionem impertit iis, qui temporalia bona non appetunt in ordinem, quem ipse præscripsit, & propter finem, in quem ab eodem sunt primitus ordinata, hoc est ad suam gloriam, nostram verò salutem; sequela ergo infertur manifesta, peccatoribus hunc finem & ordinem subvertentibus nil aliud expectandum esse præterquam paupertatem, ruinam & maledictionem. *Si non audieris vocem Domini Dei tui, percutiet te Dominus egestate.* Luc. II. 27.  
Deuter. 28.  
15.

Sed quid opus est, diutius huic materiæ immorari? de quonam in præsentia moveretur quæstio? ut habeatur notitia, quibus piissimum Numen temporales suas benedictiones

etiones communicare velit: arcanas Divini cordis intentiones nullibi clarius expressas reperiemus, quam in propriis ipsius verbis, in Deuteronomii cap. 28. relictis, ubi videre licet Dei voluntatem cum notandis circumstantiis, quibus eam magis authenticam reddere, placuit.

Primò, istam declarationem appellat tractatum, fœdus, quod cum gente sua iniit, cui is se solenni jurandi formula obstrinxit: *Ut transeas in fœdere Domini Dei tui; & in jure jurando, quod hodie Dominus Deus tuus percutiet tecum.*

Secundò, hanc declarationem in præsentia omnium pariter tribuum instituit. Omnes enim eò se conferre, statuit, juvenes & senes, viros & mulieres, nobiles & ignobiles. *Vos statis hodie cuncti coram Domino Deo vestro.*

Tertiò, protestatur, quòd facienda declaratio respiciat non tantum præsentibus, sed victuros deinceps consequentibus in super sæculis; *Nec vobis solis hoc ego fœdus ferio, sed cunctis præsentibus & absentibus.*

Denique, præcipit sex tribubus Israël, conscendere montem Garizim, sex aliis se locare ex parte opposita in monte Hebal; vult idem, ut 6. priores, audientes benedictiones, quas supra fidelem suum populum effundere, promissurus esset, pleno choro & unanimi cordis jubilo respondeant, *Amen*, seu fiat, placet; ut 6. posteriores, percipientes maledictiones, quibus infidelem & inobedientem suum populum ferire intenderet, pariter univocè respondeant, sed tono lugubri, contestativo timoris quo corripentur. *Amen*, sive fiat. Siquidem hoc æquissimum est.

Peractis his omnibus præviè dispositionibus, suam demum declarat voluntatem; si legem Domini Dei vestri  
custo-

custodieritis, plenis ille manibus suos in vos profunder  
favores, pandet thesauros suarum gratiarum super grana-  
ria & cellaria vestra, verbo, benedicet omnibus laboribus  
& conatibus vestris: *Emittet Dominus benedictionem super  
cellaria tua, & super omnia opera manuum tuarum. Abundare,  
te faciet Dominus omnibus bonis tuis.*

Ibid, c 28.v.  
8. 11.

Sed si è contrario obtemperare renueritis legi Dei,  
percutiet ille suis maledictionibus omnia bona vestra, &  
omnes hereditates vestras: *Venient super te omnes maledi-  
ctiones istae, & apprehendent te. Maledictum horreum  
tuum, & maledictus fructus ventris tui.*

Ibid, v. 15. 17.

Ecce tractatum, quem Deus celebravit nobiscum,  
en condiciones, quas in promulgatione suæ legis propo-  
suit, unaq; voluntatis suæ decreta detexit. Si itaq; fami-  
lia vestra sit composita ex hominibus, Divinas leges vio-  
lantibus, suâque impietate legislatorem summum ad iram  
proritantibus; num talis non mereatur promissis Dei spo-  
liari benedictionibus, ejusq; maledictis subjici in bonis suis  
tum temporalibus, tum etiam spiritualibus? Nec superest  
ullum malo remedium, quôdque immunem præstare  
queat, præterquam mutatio morum, conversio vitæ.

Neque refert, etsi dicatis, multas ibi ad Deum pre-  
ces fundi, procurari Missarum oblationes, copiosas distri-  
bui eleemosynas. Hæc omnia quidem bona sunt, prin-  
cipale tamen deest, innocentia sc., fidelitas erga Deum.  
Eliminate procul peccatum istud adeò habitatum illam  
injustitiam, hanc blasphemiam, impudicitiam talem. Fru-  
straneus est omnis labor vester, si Deus ei benedictionis  
suæ lumen subtrahat: *Vanum est vobis, ante lucem surgere* Psal. 126. 2.  
Vultisne parte istius luminis frui, & gaudere, obrinere à  
Deo dies vitæ beatos? vos qui patrum familias officia.

H

admi-

administratis, cavete à peccato, ne maledictus hic cælestium benedictionum prædo ullibi occultatus delitescat: sufficit nonnunquam in unico puero, aut puellâ, servo, vel ancillâ eum reperiri, ad destruendam penitus integram familiam,

Mi Deus, Ah! quàm compatior pauperi huic familiæ, tam multo jam tempore afflictæ. Verum est, patrem esse virum conscientia observantem, matrem non minùs fœminam haberi virtutis amantem, filias honestam & pudicam agere vitam, omnes conversari in timore Dei, excepto uno filio juvene, libertati, blasphemia dedito, ad omnem nequitiam prostituto: is ipse est, qui cœli cataractas obstruit, ne illud in benedictionum imbres resolvantur, qui Dei iram evocat contra ejuscemodi familiam. Vobis, pii parentes, quam toleratis in præsentis jacturam, compensabit Deus, præmiando virtutes vestras in cœlo: interea tamen ob filium hunc perditionis vos temporali pœna affliget, imò valde metuendum, nè tota domus vera intereat.

Sed mi Deus! quàm sentio in calefcere mea præcordia præ zeli fervore contra illos, qui nulla prorsus tanguntur anxietate, num lex Dei observetur in suis ædibus, num sui domestici sint melioris notæ, non sunt solliciti.

Dominus bene novit hunc Commissarium, scribam suum esse infamem, turpem sectari vitam, istum Veredarium horrendum esse blasphematorem: Domina non ignorat, illam famulam minùs esse devotam, rarò, nunquam Deum precibus exorare non confiteri nisi obiter tantùm, & quidem ex sola consuetudine. Sed nil interest, hic servus de reliquo est admodum fidelis, ista ancilla multùm laborat, magnam proli adhibet industriam. O Deus!

Deus! quanto vobis detrimento exsolvenda erit ejusmodi fidelitas, industria. Nunquam suam vobis benedictionem Deus communicabit, quem domo ejecistis; quamdiu occupabunt illi ædes vestras, tamdiu maledictionum grandinem è cælo irato super bona vestra detrahere, non cessabunt.

In memoriam revocate vobis historiam Achan, in libro Josue c. 7. graphicè depictam, ibi videbitis, quomodo unius solum militis inobedientia secundissimum victoriarum cursum, ovanti toti Israelitarum genti, cohibuerit.

Eò ira Dei increvit, ut non solum Philistæis suum, populum in prædam, cædem, ruinam cesserit, sed insuper sit protestatus, se imposterum eorum partes tueri nolle, nullum præstare, se velle favorem ulterius, priusquam hic legis prævaricator esset exterminatus: *Non ero amplius vobiscum, donec conteratis eum.* Ad placandum Deum, necessarium erat, apprehendere Achan, deducere vinctum, cum uxore ac liberis, oves prætereà, papilionem & omnia bona ipsius mobilia in vallem Achor, ibi lapidibus infelicem hunc obruendum, qui erat anathema populi, cum omni sua possessione per ignem abolendum, superaddito funebri sacrasmo illo: *quia turbasti nos, exturbet te Dominus in die hæc.* Josue 7. 12. Ibidem v. 25.

O Deus! quàm efficaci eloquentia mutus & tristis iste lapidum ac cinerum congestus perorat cumulus, modo & motu magis vehementi, quàm ego vobis binas has veritates persuadere conatus sum; quarum prima, quòd peccatum in domo aliqua perpetratum inhibeat supernæ felicitatis rorem, cælestium benedictionum cursum. Secunda, quòd remoram tam infaustam unius etiam peccatum

tum procurare sufficiat. Quid efficiet ergo tota domus vitiis infecta; & si juxta Propheticum testimonium, *filii colligunt ligna, & patres succendunt ignem?* Pater est vitiosus, impius, nullius omnino Religionis, mater ludicris assueta, prodiga, liberi sunt nimia libertatis amantes, filia garrulitati, mundana dedita vanitati, famuli ebrietatibus, blasphemis infames. Si talis sit, num non indigeat scopam irae Divinae inquinatissima haec familia? quod si inibi appareat quaedam prosperitas, nunquid necesse est, ut videbimus proximis diebus, fallacem illam prosperitatem notam fore evidentem ipsius reprobationis?

Attende itaque Civitas flagittis immersa vocem Dei tui per os meum ab exordio Adventus istius tibi inclamantis: *Sanctificamini in crastinum: haec enim dicit Dominus Deus Israël: Anathema in medio tui, si desideres, ut Deus tuis inquilinis, tuisque domesticis divitias, sanitatem conferat, temporaneis benedictionibus gratosè te visuet; expelle Anathemata, quae objectum te constituunt odio Dei; radicitus extirpa has inimicitias, haec odia, has invidias, detractiones, istam mollem ac effeminatam vitam, ista desideria damnata, istas voluptates deordinatas.* *Auferte malum ex vobis ipsis.* Quisque è cordis sui medio funditus ejiciat peccatum illud, quod tanto jam tempore ibi regnum tenuit, idque poenitentiae emundet lavacro. Quamdiu peccatum hoc alicubi locum occupat, impossibile est, ibidem benedictiones Divinas locum ullum reperire.

Haecenus probare contendi, rationes solidas ac convincentes producendo, quod Deus foveat odium aversionis in impium, se ei subtrahat, omnem ejus fortunam impediatur modo quopiam negativo, per privationem, subtractionem.

tractionem suarum benedictionum : jam vobis demonstrare , superest , quòd simul per odium inimicitiae & vindictae in ruinam Deus positivè præcipitet peccatorem , ipse destructorem illius familiae agere velit, eum suis maledictis feriendo. *Percutiat te Dominus egestate.* Deut.28.22.

Fides, ratio, experientia omnium sæculorum adeò firmiter stabiliunt propositam veritatem, tamque sensibilem exprimunt, ut prolixiori discursu sit minimè opus.

Paupertas in impiorum hospitiiis dudum divertere consuevit: *Egestas à Domino in domo impii.* Salomonis Prov.3.33. effatum est. Ipse Deus per Prophetam Aggæum fatetur se sterilitatis & siccitatis authorem: *Vocavi siccitatem super terram.* Agg. 1. 11: Idem per Zachariam Prophetam protestatur, quòd sua maledictione voracis instar flammæ peccatoris habitationem funditùs sit consumpturus: *Hæc est maledictio, quæ egreditur super faciem omnis terræ: & veniet ad domum furis & ad domum jurantis, & commorabitur in medio domus ejus, & consumet eam, & ligna ejus & lapides ejus.* Zach.5.3 4.

Sive consideremus peccatum in sua natura, sive spectemus Deum, qui fuit offensus, occurrent rationes insolubiles, ad demonstrandum peccatoris interitum, oriturum ex vindicta & maledictione Dei. Quòcunque se ingerit peccati pestifera lues, undiquaque mox diffundit suam virus, consequuntur instabilitas, defectiones, ruinae. Vix pedem cælo intulit, Angelos infecit, quos, etsi essent tam perfecti antea, non ulteriori tamen momento subsistere valeantes, è cælis in abyssum inferni præcipites deturbavit: *In veritate non stetit,* loquitur Christus de capite rebellium Angelorum. Joan.8.44.



Peccatum est, quod concussit fundamenta Monarchiarum maximè florentium, de quibus æquè, ac Jerosolymarum urbe verificata fuit lamentabilis strophæ Jeremia: *Thren. 3. 8. Peccatum peccavit Jerusalem, propterea instabilis facta est.* Imperium Assyriorum finem accepit in Sardanapalo ob infames ejus voluptates. Medorum in Astyagedesit ob causam crudelitatis, & parricidii istius ultimi Regis.

Perfarum inde manibus extorsit sceptrum fastus & superbia Darii. Macedonibus demum abstulit, ad Romanos transtulit summum diadema, Persei Græca fides, seu perfidia atque infidelitas: & quemadmodum Romani, ut advertit S. Augustinus, obtinuerant à Deo Imperium, Universi in præmium virtutum suarum moralium, sic pariter eodem fuerunt exuti, quamprimùm virtutes omni vitiorum sorte ac sordibus permutârunt.

Experientia ista nobis quasi palpabilem reddit veritatem Spiritus Sancti in Ecclesiastico expressam, esse manum quandam Omnipotentem in cælo, quæ ad plectenda scelera & injustitias, sceptrâ confringat, coronas comminuat, thronos evertat, imperia transferat ab uno populo ad alterum, à familia flagitiosa, ad aliam magis innocuam: *Eccli. 2. 8. Regnum à gente in gentem transfertur propter injustitias, & injurias, & contumelias, & diversos delos.* Si proinde peccatum imperia subvertit, populos destruit, nationes integras depopulatur, à potiori illud desolationem, egestatem ac ruinam ædibus inferet particulâribus.

Æquitati planè congruit, ut Deus impiis bona temporalia, quibus abutuntur, subtrahat; ut è manibus suorum hostium sua dona, suosque favores eripiat, ex quibus

bus hi ingrati procidunt arma ad inferendum Deo bellum.

Justum est, ut de inimicis suis se vindicet pro conservanda sua gloria, & tuenda suorum verborum autoritate. Millies ille Prophetarum ore protestatus fuit; quod solus ipse esset fundamentum inconcussum, immotum rerum omnium; quod supra ipsius potentiam, supra ipsius protectionem fiduciam nostram stabilire oporteat, quod ipse sit unicus, à quo felices intentionum nostrarum successus sperare possimus. Quæ non profert ille de creaturarum fragilitate, cui peccatores inniti tentant? mille nis item vicibus contestatus est, quod essent umbræ, vapores evanidi, fragiles arundines, fabulum mobile, abjecta scoria.

Interea tamen, his non attentis, peccatores respectum nullum gerunt, nec erga eum, qui loquitur, neque ad aliquid ullum, quod loquitur: fingunt suos conceptus, inchoant sua negotia absque prævia consultatione & petitione succursus Divini; adhibent media pessima, quæis mediantibus finem suorum conatum consequantur, incedunt vias à Deo reprobata, utuntur praxi detestabili, Deoque odibili. Tali modo operari, nunquid est manifestè profiteri, Deum ego pensi non habeo, ut opes augeam; bene instituiam œconomiam meam sine Dei auxilio, mea prævidentia sine Dei Providentia sufficit? Videtur talis Deo ulterius exprobrare: pertingam ego ad votorum meorum apicem, te licet invito, divitias cumulabo etiam te nolente, in istius negotii cursu progrediar, te quantumvis reluctante.

Reverà hæc blasphemix sunt valde horribiles; hæc injuriæ sensibiliter admodum cadunt in Deum, tam ardentem,

tem, gloriæ propriæ Zeloten, ut eas tolerare non possit. Minatur etiam, temerariam istam præsumptionem illorum se vindicaturum, ipsisq; pariter demonstraturum debilitatem, imò nihilum, supra quod se, suaq; firmâssent.

**Levit. 26. 16'** Sciatis, ait in Levitico: *Quia visitabo vos velociter in egestate frustra seretis sementem, quæ ab hostibus devorabitur.*

Acriores adhuc minas intentat per Prophetam Sophoniam. Veniam, visitabo peccatores in vitiorum volutabro defixos, in scelerum profundo submersos, id rigoris in eos exemplum statuam, ut advertant, quàm perverfè in orde suo sentiant, & dicant: Deus se mundanis negotiis non immiscet, nec bonum nec malum inferet nobis. Anihilabo omnes eorum conatus, ipsorum domus subvertam, terras illorum devastabo; breviq; experientur robur

**Soph. I. 12.** mei brachii, severitatem meæ vindictæ: *Visitabo super viros defixos in sæcibus suis: qui dicunt in cordibus suis: non faciet bene Dominus, & non faciet malè.*

Perceptis omnibus his rationum momentis, opponetis mihi, & quidem Divinæ Scripturæ authoritati innixi, ostendetis experientiam apparenter saltem contrariam; dum plures nefarios admodum opulentos, mundi prosperitate plerumque affluentes in medium producere cogitatis. Paucis verbis isti objectioni satisfaciam, explicando vobis secundam veritatem, quæ secundum meum constituit punctum.

**III.  
Punctum.**

Sed appello à falsa oculorum crisi, ad infallibile rationis vestræ iudicium; vel ut melius dicam, à ratione vestra per sensus corruptâ, ad rationem elevatam & illustratam lumine fidei: facilè imponit oculis nostris impostor mundus, dolis, fraudibus dudum assuetus. Spiritus Veritatis hanc deceptionem nobis detegit, cum nos in Pro-  
verbiis

verbiis monet: *Est quasi dives, cum nihil habeat; & est <sup>P</sup>rov 13.7. quasi pauper, cum in multis divitiis sit.*

Quisnam verè dives censendus est? ille, qui vera bona possidet. Duo proinde sunt necessaria ad hoc, ut quis verè dives habeatur, vera bona, horumq; bonorum possessio. Teneo itaque, quòd divites sæculi, ut loquitur Sanctus Paulus in ista, quæ apparet bonorum abundantia, nec bona vera habeant, neq; illa possideant.

Pro meliori captu Mysteriorum hujus noteris, velim, insignem quandam veritatem à S. Jacobo traditam, juxtaquam bonum verum, cœleste donum est concessum nobis à Numine, non solum ad nos ditandos, & ab eo ut principio, ac Authore omnium rerum promanans, sed inde, ut parente nostro & omnis boni fonte effluens; *Omne datum optimum & omne donum perfectum, desursum est, descendens.* <sup>Jacob. 1.17.</sup> Notate signanter hæc verba: *datum est donum.* Ratio istius autoritatis est, quod non pari modo de bonis fortunæ, uti de bonis gratiæ & gloriæ sit sentiendum. Hæc enim perpetuò manent bona, nunquam possunt fieri mala: sed fortunæ bona sunt ex se indifferentia, possunt, esse, suntq; sæpius mala, & quidem origo veracium malorum, id est vitiorum & peccatorum. Ut proinde in censum verè bonorum veniant, non sufficit, iis abundare, sed requiritur unà, ut à Deo in nos deveniant per effectum benedictionis ipsius.

Quid autem est hæc Dei benedictio? duo continet ex parte Dei: voluntatem amabilem, quæ eum movet ad communicandum tale bonum, item dispensationem, quandam gratiarum, auxiliorum ad hoc necessariorum, ut ejusmodi bonum felices nos constituat. Ista benedictio causat, quòd bono accepto simus contenti, quòd no-

bis profit, quod bonum ejus usum inde capiamus; nobis deserviat in instrumentum acquirendæ virtutis, ac in medium consequendi nostrum ultimum finem. Ista benedictio est anima, spiritus bonorum temporalium, est ipsorum substantia, ipsorum fundamentum & virtus: absque illa auri, argentiq; talenta, dignitates, officia ac reliqua fortunæ bona sunt mera ludibria, bona prorsus inania, quæq; corticem bonorum duntaxat præferunt.

Quapropter Spiritus Sanctus in Proverbiis testatur, quod hæc bona exteriora omnia veraciter ditando homini non sufficiant, sed eis annexa Dei benedictio præstare, id possit: *Benedictio Domini divites facit.* Quod interpretes nostri non tantum causaliter, sed formaliter etiam intelligi volunt; hoc est; Benedictio Dei non solum efficit, ut sine intentionum nostrarum perfruamur, ut prosperitas nostras familias locupletet; sed ista Benedictio insuper divitem facit, sicut beatitudo beatum, sapientia sapientem constituit. Est igitur hæc benedictio interna & invisibilis, quam Deus bonis externis & visibilibus associavit, quæ nos effectivè ditat, ut desideriorum nostrorum, capacitas compleatur, causat, nobisq; bona illa sint proficua æquè in tempore ac in æternitate.

Hinc evidenter jam liquet, divites peccatores, id est avaros, injustos, prodigos sua bona nequaquam excipere de manu Dei, nec Providentiæ & Benedictionis cælestis affluxu ditari. Occupant quidem Dei bona, at Deus hæc ipsis non impertit cum voluntatis illius amabilis adminiculo, quæ erga justos est affectus. Impii isti usurpatores sunt, apprehenderunt hæc bona, eaq; retinent modis & mediis illicitis; & Deus talibus favere nequit, qui per propria scelera divitias consequuntur. Certum est,  
Deum

Deum in præfenti vita malis in prædam cedere fortunæ bona, posse ea quidem invadere, iis perfrui; sed in ordine ad suam benedictionem minimè ipsis licet eò pertingere, utpote quæ iustis hominibus reservata est. Vivant quantumvis peccatores in omni abundantia, quoscunq; thesauros possideant, nunquam erunt aut divites, aut felices. Quamvis defraudent, spolient alios, die noctuq; laborent, corporis animaq; vires exhauriant, ut divites evadant; semper erunt miserabiles, siquidem sunt exsortes gratiæ & benedictionis Divinæ, quæ in bona exteriora veram bonitatem refundunt. Quemadmodum etiam Deus tunc, cum populum suum per immisam famem affligere cogitat, non tantum terræ fruges & alimenta subtrahit, sed, ut Scripturæ phrasi utar, *auferi omne robur panis*, unde Isa. 3. 1. sequitur maledictionis istius complementum: *Comedetis, & non saturabimini*; sic pariter abstrahendo suam benedictionem commoditatibus temporaneis, obicem ponit Deus, quò minus exsatiarent, aut satisfaciant; ut, qui iis affluunt, in medio divitiarum suarum, inopia prægraventur. *Divites dimisit in ares.* Luc. 1. 53.

Dicebam, quidem, commentatur in hæc verba S. Ambrosius, quòd vosmet decipiatis: id, quod vos æstimatis divitiarum abundantiam, non est nisi egestas & paupertas, *inanitas est, quod putatis ubertatem.*

Addite, quòd aliquis verè dives esse, necdum possit, etiamsi veris bonis abundet, requiritur enim, ut eorundem insuper sit dominus & possessor. Ob hunc possessionis titulum Scriptura Abrahamum divitem pronuntiat: *Erat autem dives valde in possessione auri.* Absque hac Genes. 13. 2. possessione bona vocantur à Seneca, *pondera terrena*, quæ nos opprimunt, seu ut melius loquitur S. Cyprianus non-

sunt amplius fortunæ subsidia, sed splendida, & quæ nos torquent, *speciosa supplicia.*

Verissima jam doctrina est, cui æquè moralis Philosophia, ac PP. Theologia concordat, quòd ad bonorum possessionem necessarium sit, nè quis à bonis possideatur, id est, ut ab eorum affectione sit separatus, & liber, oportet. Nunquam illorum eritis domini sine hac renuntiatione, quam Christus omnibus suis discipulis necessariam inculcat: *qui non renuntiat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.*

Hujus rei figuram habemus D. Eucherio teste in Israelitis. Quamdiu illi erant mancipati Ægypti servitio, laborabant probrosâ egestate: postquam verò animos resumunt, hoc jugum excutiendi, illam spoliant, seq; dominos bonorum omnium Ægypti constituunt; *dum incalitur, affixit, dum relinquitur, locupletavit.* Pari modo illudit mundus iis, qui deordinatarum affectionum suarum vinculis se mancipatui ipsius obstringunt, semper sunt indigi in ipsa rerum affluentia: è contrario, qui se inde expediunt, eum effectū, vel affectū deserunt, ditescunt. *Sic est, magnam à sæculo rapit prædam, qui se abstrahere contendit à sæculo.*

Citra talem abstractionem, docebat Seneca, possidebitis divitias, eo modo, quo febrim; *sic divitias habent, quomodo febrim habere dicimur, cum illa nos habeat, simulq; torqueat.* Ita ejuscemodi bona non tenetis, sed ab iis vincti tenemini, tyranni sunt, qui vos opprimunt, vos excruciant: *nec intelligit miser auro se teneri, & alligatum magis possideri, quàm possidere.*

Notate secundò, quòd abstractio cordis, quæ tanquam necessaria exigitur ad illa bona possidenda, solius naturæ

naturæ viribus comparari nequeat. Ethica potest quidem cognoscere ipsius necessitatem, eam tamen tribuere non valet, quæ non nisi per gratiam Dei à nobis obtinenda.

Observatio, quam Tertullianus l. 3. contra Marcionem affert, bellè quadrat intento nostro, ubi advertit, quòd Patriarcha Isaac, priusquàm optaret Jacobo bona temporalia, terrestres divitias, voverit rorem cæli, gratiam sc. & benedictionem cœlestem; *Det tibi Deus de rore cæli* Genes. 27. 28. *& de pinguedine terra.* Notate, quæso, inquit Tertullianus, ordinem benedictionis Patriarchæ; *Advertenda* L. 3. cont. Marc. *est hîc structura ipsius benedictionis, prima est promissionis cœlestis, secunda est terrena opimitatis.* Hoc mysterio, subjungit ille, Spiritus Sanctus nos instruit, quòd si mediante auxilio Divinæ gratiæ à terræ fœcibus avulsi, cœlum versus nos ipsos sublevaverimus, brevi simus futuri possessores divitiarum terræ; *à sæculo avellimur, & illa postea terrena consecuturi.*

Retinamus nostram argumentationem. Ut simus divites in bonis temporalibus, eorum requiritur possessio, ad possessionem exigitur, animum à bonis avellere possessis, quæ sui avulsio obtineri nequit sine gratiæ & benedictionis Divinæ subsidio: id demonstrare contendi. Sed divites impii non habent gratiam, quâ se bonorum temporalium vinculis extricent, ergo remanent constricti, ergo possessionis titulo non gaudent, ergo veraciter divites esse nequeunt. Intereatamen multum habent, sed unde, de quo gloriari possunt? multum habent de avaritia, multum de ambitione, multum de dira fame, quæ illos discruciat, multum de desideriis, quæ semper ulterius crescendo, se multiplicant in infinitum. Cum propriis suis bonis, observat D. Paulus, *incidunt in desideria multa inutilia &* I. Tim. 6. 9. *nociva*



*noctiva, qua homines demergunt in interitum & perditione.*

Jacob, 4. 2.

S. Jacobus nobis assignet definitionem omnium fallorum divitum, & qui nos fallunt: *Concupiscitis, & non habetis.* Vos divites desideriorum ignibus semper exarsistis, & instar flammæ, quæ eò altius eluctatura, quò majori ex incendio illa suboritur; ita quoque enascuntur ex omnibus his fortunæ bonis excessivis exorbitantes nimium concupiscentiæ: *Concupiscitis, & non habetis;* ergo inopum instar indigetis. *Concupiscitis & non habetis,* quia desideratis bona, quæ alii vobis cedere minimè cogitant, *Concupiscitis, & non habetis,* quia desideria vestra sunt infinita, nullum verò bonum infinitum reperitur in terris, *Concupiscitis, & non habetis,* quia juxta mensuram, quâ obtinetis, bonum desideratum, contempnit, inde vos ipsos affligitis; sicque per istam insatiabilem avaritiæ ingluviem, dicebat Seneca, totum perditis, quicquid acquiritis, *Avaritia multa concupiscendo, omnia amittit.*

Pfal. 38. 7.

En maledictionem itaque Dei in divites destinatam, en famem caninam, quæ illos corrodit, cujus Psalmista meminit, dum canit: *Convertentur ad vesperam, & famem patientur ut canes, & circumibunt civitatem,* quales cursus, quales recursus in plateis Babylonis, quæ curæ, quæ confusiones, in quibus tamen omnibus, & in tanta bonorum circumfrentia sunt pauperes, soli quippe justi verè denuntiantur à Regio Præcone divites: *Divites egerunt & esurierunt; inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.*

Pfal. 33. 11.

Obtestor vos per Deum! aperiamus paululum fidei oculos, proficiamus è luminibus Christianorum dogmatum, perdiscamus, quòd nil lucri haurire liceat etiam de hoc

hoc mundo, in diaboli consortio; & quod peccator, quantumvis divitem & felicem se jactet, ac ostendet, sustineat paupertatis necessitatem, miseriam & famem compassionem dignam. *Percutiat te Dominus egestate mittet super te famem & esuriam.* Deut. 28. 29.

Respondeo itaque omnibus iis, qui dicunt, *quis ostendit nobis bona?* quodnam ad divitias pertingendi, medium? Dei verbo: *Si audieritis me, bona terra comedetis.* Psal. 4. 7. Isa. 1. 19.

Respondeo cum Tobia viro; qui hujus promissi experientiam cepit; *Multa bona habebimus, si timuerimus Deum, & recesserimus à peccato, & fecerimus bene.* Divitiis abunde cumulabimur, si præviè timorem & amorem Dei possederimus. Tob. 4. 23.

Respondeo denique cum Spiritu Sancto: *Honora Dominum de tua substantia, & implebuntur horrea tua satietate.* Prov. 3. 9. Exercete vos in virtutum campo, erogate elemosinas, Deus vos beabit divitiis. Et istæ benedictiones temporaneæ super terram erunt per modum arrhæ benedictionum, quæ nos manebunt per omnem æternitatem in cælis  
Amen.





## II. IMPIUS,

Maledictus in suo honore.

*Si audire nolueris vocem Domini Dei tui eris perditus, in proverbium ac fabulam omnibus populis, calumniam sustinens. Deuter. 28. v 15. 37. 34.*

**R**ofanus ille Philosophus rectè sentiebat, quòd naturæ author bona eo modo distribuerit, ut bestiis indulserit voluptates, hominibus honores detulerit: idcirco congruum esse, ardere homines zelo tuendæ suæ gloriæ, tanquam prærogativæ peculiaris & velut hæreditatis propriæ, ad se spectantis.

Aristoteles in suis Ethicis insuper animadvertit, quòd solus honor tale sit bonum, quod sæculi hujus principibus attribui possit; & consequenter sit consummatio majestatis humanæ. Illustris ista passio, quæ corda nostra ad superna erigit, ex se non est mala; siquidem juxta dictum, Eliphaz, amici Job, Deus est, qui ponit homines in sublime; vel, uti Septuaginta legunt, qui facit homines in altitudinem. Ille nos elevat supra nos, transitum præbens nobis à passione ad rationem, à ratione ad virtutem, à virtute ad gratiam, à gratia demum ad gloriam progrediendi. Dignatur nos honorificis compellare titulis, ad extollendos in altum animos, capacibus. In minorum Deorum numerum nos ad legit: *Ego dixi Dii estis; nos Deos vocat, notat S. Augustinus, ne simus homines.*

psal 81. 6.

Vult

Vult itaque Deus, ut verus honor sit virtutis præmium, qui etiam promittit, in hac vita fideles suos ser vos coronare gloria immortalis; *Gloria & honore coronasti* Psal. 8. 6. *eum*, sed econtrario ordinavit, ut peccatum sociaretur ignominie & confusio; & minas malis intentat, jam in præfenti se eos oneraturum probris, qui suam aspernari aulint supremam authoritatem; *Qui contemnunt me*, 1. Reg. 2. 30. *erunt ignobiles.*

Ista maledictio tres secum trahit effectus, qui tria DIVISIO. dabunt puncta huic sermoni. Primus est, quod Deus per odium averfionis erga peccatorem, se eidem subtrahat, subtrahendo se, gratiã suã sanctificante illum privet; ac per hoc medium omne fundamentum gloriæ essentialis ipsius destruat, ita ut Dei & Sanctorum iudicio impius sit homo perditus, nullius honoris, fabula, lusus dæmonum; *Eris perditus in proverbium, ac fabulam.* Deut. 28. 37.

Secundus est, quod per idemmet averfionis odium, & sequelam necessariam Deus hominem peccatorem, spoliet honore ejus accidentario, quod idem est, ac si reddat incapacem recipiendi extrinsecus quandam solidam, aut veram gloriam. Si tamen recipiat honorem, sit falsus, caducus, periturus.

Tertius maledictionis memoratæ effectus est, quod Deus per odium quoddam inimicitie & vindictæ conjuret in illius ruinam ac infamiam.

Spiritus Sancte, qui requiescis super humiles, & superbos confundis, inspira nobis desiderium conservandi verum honorem nostrum per obedientiam, quam debemus Deo, & per humilitatem ipsius, quæ se demittendo, qualitatem duntaxat ancillæ assumens, ad summam Divinæ Maternitatis dignitatem fuit sublimata, quando ex ore Angeli nuntiantis, audivit. *Ave Maria.*

K

Quem.

1. Tim. 1. 17.

I.

Punctum.

Quemadmodum Deus est, ad quem vera gloria spectat: *Soli Deo honor & gloria*; ita etiam in solo Deo reperitur idea veri honoris. Theologia dividit gloriam Dei in essentialem & accidentariam; illa est necessaria, hæc verò contingens; illa est ab æterno, hæc in tempore initium sumpsit; prior est ei intrinseca, posterior extrinseca,

Gloria Dei essentialis consistit in radiorum splendoribus, qui componunt diadema ipsius Majestatis. Claritas ejusdem, interior, aliud non est, quàm intuitiva visio & notitia, quam is habet de sua potentia, de sua sapientia, de sua bonitate, aliisque perfectionibus suæ essentialis. Dictamen hoc summæ æquitati convenientissimum, quod Deus format de infinita suorum attributorum supereminentiâ, est proprius & verus suus honor, qui nec augetur, nec imminuitur unquam.

Gloria Dei accidentaria consistit in Majestatis suæ manifestatione externa, & in hoc, quòd creaturæ rationales luminibus Divinis collustratæ, eum adorent, eidem serviant, ac benedicant tanquam bonorum omnium Authori.

Suppositâ istâ gloriæ Dei ideâ, quæ est regula & mensura gloriæ humanæ, facile mihi erit probare, impium per peccatum suum se conjicere in talem statum, in quo nec gloriam essentialem, neque accidentalem possidere valeat, quæ sit solida & permanens.

Si permittere vellem Senecæ super hac materia discursum instituere, doceret, quòd verus sapiens nec quærat nec inveniat suum honorem, uti neque suam felicitatem alibi, quàm in seipso; quòd propria conscientia cuivis deserviat per modum theatri, ubi se ostendet ad recipiendos plausus, quos virtus sua promeretur: *Nullum theatrum virtuti conscientiam movet.*

Idem

Idem de quadam mentis debilitate argueret eum, qui vellet suæ gloriæ rivum è fontibus derivare extraneis, è fundo alieno; non supra vulgum sapere, censeret eum, qui judicaret hominem honore ac laude dignum propter magnitudinem rerum, quæ non sunt in ipso, imò sapius nec ab ipso; *Quid stultius est, quàm in homine alienum laudare? lauda in ipso, quod nec dari, nec eripi potest.*

Vera nobilitas & excellentia honore digna latet in fundo spiritûs, *animus facit nobilem.* Ingens servorum, caterva, militum numerosa turma, superba palatia, munita castella, & quæcunque exterior splendida pompa, quibus mundus vulgi oculos fascinare solet, potius est infirmitatis nota, quàm veri honoris insigne.

Sic discurreret iste Philosophus: sed solidior est doctrina Apostolica D. Pauli; *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientia nostræ.* 2. Cor. 1. 12.

Nos Christiani non quærimus gloriam nostram exterius; nec eam petimus ex iudicio hominum, neque eam stabilimus in vanis laudibus, quas ignorantia tribuit, quas adulatio venales exponit, quas timor ruetur, quas hypocrisis suffuratur, & quas sibi vitium usurpat. Sed invenimus gloriam nostram essentialem intra nos ipsos, & in fundo conscientia nostræ. *Gloria nostra hæc est. &c.*

Cautè observetis, velim, hæc verba, monet ad citatum Apostoli textum, D. Bernardus. S. Pauli mens non est, ut innitatur iudicio nostro, quod de nobis ipsimet efformamus, gloriam nostram superstruamus dictamini conscientia nostræ: quoniam id superbiendi ansam præberet, à quo Apostolus iste longissimè abest, cum dicat: *Non enim, qui se ipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat.* 2. Cor. 10. 18.

S. Paulus proinde non loquitur de testimonio, quod nostra conscientia tribuit, sed quod recipit; *Non testimonium conscientia perhibentis, sed percipientis.*

Rom. 8, 16.

Unde autem recipit ejusmodi testimonium? A spiritu Veritatis, eodem Apostolo teste: *Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei, nobisq; securitatem præstat, si vivamus in timore & amore Dei.* Hoc itaque testimonium Spiritus Sancti est, qui operatur gloriam nostram. Gratia illa est, quæ nos supra naturam nostram evehit, per quam regeneramur in Christo Jesu, & qua mediante acquirimus, asserit S. Joannes, *potestatem filios Dei fieri.*

Joan. 1, 12.

Ista gloria eousque nos extollit, ut Angeli Cherubici & Seraphici Spiritus secundum suam naturam præcisè spectati, nihil sint respectivè nobiscum comparati.

Plus est, quod subjungo, si Deus laboraret in ordine naturæ producere creaturas magis perfectas semper in infinitum; si communicaret eis capacitatem intellectus adeò amplam, qui infinitatem quandam scientiarum comprehenderet: Si illis partem suæ immensitatis tribueret, sive id fieret per quandam diffusionem essentiæ, posito, quòd esset aliquid spirituale, sive per quandam reproductionem, posito, quòd esset ens materiale: si denique creaturam ad eum altitudinis gradum sublevaret, ut polletet potestate creandi Soles novos, integros mundi globos (in scholis controvertitur, num tantam potestatem puræ creaturæ Deus communicare possit) nihilominus. Sustineo adhuc, quòd gloria omnium harum essentiarum tam perfectarum unita, intuitu animæ characteristicâ gratiæ insignitiæ, nihil sit æstimabile.

Ratio

Ratio hujus clara est in Theologia D. Pauli, quia omnes istæ creaturæ quantumvis nobilissimæ Deum alia relatione non respicerent, quàm creaturæ ad Creatorem, servi ad dominum: nos verò dono gratiæ participamus relationem erga Deum, qualem filii dicunt ad parentem proprium: *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum si autem Filii & heredes.* Istud est fundum tam felix & dives, è cuius venis eruimus quid quid hominem illustrem & gloriosum reddere potest. Quodnam desideratis hîc? num natalium eminentiam, stemmatis nobilitatem? *Qui ex Deo nati sunt*, per hanc quippe gratiam in Deo renascimur. Jungimur glorioso cum Deo fœdere amicitæ; efficimur fratres, simulque. *Cohæredes Christi*, & genuini principes de sanguine ipsius. Petitis fortè amplissimas opes? *Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus.* An magnifica ambitis officia? *Ut ambuletis dignè Deo*, per gratiam istam in tantum nobi litantur actus nostri, ut Dei placito reddantur digni. Rom. 8. 15.  
17.  
Joan. 1. 13  
Rom. 8. 17.  
2. Cor. 4. 7.  
Colof. 1. 16.

Dictam veritatem per principia Theologica firmiter roboratam, quòd nimirum gloria Christiani essentialis consistat in possessione gratiæ sanctificantis, & in adoptione illâ Divinâ; evidenter sequitur alia, quòd impius destructâ gratiâ per peccatum, unâ destruxerit & perdidit simul suam gloriam essentialem: sic per consequens conformiter ad hanc Dei comminationem, de qua agimus, sit homo perditus, nullius honoris: *Et eris perditus*

Imò prorsus nihil est homo impius, siquidem, ut Psaltes canit, per peccatum suum, *ad nihilum redactus est in conspectu Dei malignus.* Non sine mysterio ponitur: *in conspectu Dei*, ejusmodi mutatio & destructio non ap-



paret in oculis hominum, sed coram oculis Dei & sanctorum. Concedite igitur peccatori omnes essentias imaginabiles, accumulate divitias, infundite sapientiam; fuge, esse eum nobilem, esse beatum, esse potentem, credite, in Regem coronatum. Pontificiæ celsitudinis folium conscendisse. Quæ & quanta sunt hæc bona? sed mera sunt accidentia, quibus substerni, necesse est, esse quod piam substantiale, quo illa sustentari queant; hæc sunt esse vœua, quæ indigent esse quodam completo, quo repleantur ac perficiantur. Quodnam illud est? S. Paulus id vobis indicabit: *Gratia autem Dei sum id, quod sum*, 1. Cor. 15. 10. Quare? quia gratia est aliqua participatio plenitudinis essentiæ Divinæ; quando itaque Deus per odium, quod erga peccatorem gerit, istam gratiam aufert, ruit mox omne fundamentum, & plenitudo harum essentialium in ruinam tendit, & *eris perditus*. Per gratiam homo timet Deum, amat Deum, custodit legem Dei: cum autem Divina sapientia hominis esse, propriè loquendo, in adductis modò attributis constituat, dum docet: *Deum time*, Eccl. 12. 13. & *mandata ejus observa, hoc est enim omnis homo*, ergo, infert mellifluus Doctor, quando amisistis gratiam per peccatum, omnia omnino perdidistis, nihil amplius estis, *sine hoc nihil est omnis homo*.

Ex prædicta gratiæ jactura sequitur, quòd impius à Deo maledictus, qui antea extitit objectum Divinæ complacentiæ, Angelorum admiratio, incentivum invidiæ diabolicæ; nihil sit ulterius quàm fabula & lusus, quia illum non alio respiciunt oculo, nisi quo ipsi intueremur nobilem quendam nobilitatis insignibus exutum, jam pro plebejò declaratum, ut Presbyterum SS. Ordinum gradibus

bus dejectum, veluti Regem penitus despoliatum, *eris perditus, in proverbium & in Fabulam.* Deut. 28.

Peracta tali degradatione, & consequente annihilatione ista per amissionem honoris essentialis nil peccatori restat, unde rationabiliter gloriari, liceret.

Si gloriandi materiam hauriret è fonte sanguinis majorum illustriumi aut derivaret ab antiquitate stemmatis, nihil opponerem, ne inutili clamore aures ullius offenderem: sed luminibus fidei illustratus in cordis secreto sentirem, & quod Christus olim dixit in simili eventu, pronuntiarem tacitè: *vos ex patre diabolo estis*, Generosi fanè natales, sublimis consanguinitatis arbor, cujus demnata radix diabolus est. Quòd si jactantiâ tumeret ob divitiarum copiam; mox Apocalypticâ exprobratione tumorem comprimerem: *Quia dicis, quòd dives sum, & nescis, quia tu es miser, & miserabilis, & pauper.* Si talis sublimes de se formaret conceptus, in officiorum suorum amplitudine fundatos, suggererem: *Qui facit peccatum, servus est peccati*, vel cum D. Chryostomo: *servus est diaboli, et si decem millia coronarum gerat in capite.* Si fastu efferetur propter expeditiones, functiones suas, demissiùs sentire, docerem eum ore & oraculo Isaïæ: *Non est iudicium in gressibus eorum ... opera eorum opera inutilia, ova aspidum ruperunt, & telas aranea texerunt.*

Jure itaque cum Psalmista exclamârim: *Filii hominum usquequò gravi corde, ut quid diligitis vanitatem, & queritis mendacium?* filii hominum, inquam, qui essetis alioquin filii Dei, cùm tanto ardeatis calore tuendi punctum honoris, cur tali languetis tepiditate, conservandi fundamentum omnis gloriæ vestræ, quod est gratia Dei? *Diligitis intereà vanitatem, & queritis mendacium: non* atten-

II.  
Punctum.

attenditis, quòd gratia ista, quæ debet fundare essentiam gloriæ vestræ, simul sit etiam principium veræ existimationis, & veræ, quam anhelatis, laudis. Sine illius contubernio nunquam ullo gaudebitis honore, non essentiali, nec accidentali. Hoc est secundum meum punctum. Pro persuasione secundæ hujus veritatis prolixus discursus non requiritur, peccatorem sc. maledicto Dei obnoxium, incapacem esse possidendi exterius ullum honorem accidentalem: sequela ista necessario oritur ex priori, qui excludit solem, excludit radium; qui exsiccat fontem, exsiccat rivulos inde manantes.

Quid autem est honor hominis accidentarius? est testimonium quoddam ipsius excellentiæ & nobilitati internæ præstitum: est aliqua æstimatio, quæ concipitur ex bonis ejus qualitatibus. Si igitur impius per suum peccatum destruit, prout jam supra vidimus, omnia bonarum qualitatuum suarum talenta; Fundamentum cui nostra existimatio, laudes nostræ deberent insistere, tollitur, honor proin, qui defertur ipsi solidus non est amplius.

Hoc tamen vobis observare, placeat. Non dico, quòd peccantibus nullus honor sit deferendus, quando sunt superiores nostri, istum enim heterodoxum & erroneum foret, Verum tamen subsistit, quòd tales peccaminosi in se, & ex se spectati, nihil habeant, quod honorem promereatur, sed extrinsecus amictum ostentant suorum officiorum ac dignitatum, quibus virtute justitiæ debetur honoris respectus; siquidem omnis potestas à suprema Dei potestate originatur, juxta D. Pauli dogma.

Dico itaque quòd honor ille non terminetur in impio, sed solum in ea, quam secum trahit appendice, in ex-  
termo

terno habitu. Quapropter Philosophus Romanus perstringens fallacem splendorem illum, in quo mundani se supra sæculi istius theatrum jactitant, quærit: *Quid miraris, & stupes? pompa est, ostenduntur istæ res, non possidentur; contemnes illos, si spoliaveris*, omnis hic apparatus nec habet gloriæ micam: homo non est ipsa vestis, non est ipsum officium, nec ipsum beneficium. Officium est magnum, bene novi, sed officialis est minimus; dignitas est sancta, sed qui eam occupat, profanus est. Exuite peccatorem, tollite omne id, quod non est in ipso, nec ex ipso, verbo, quidquid mutuum accepit, videbitis nihil in ipso manere residuum, quod non sit contemptibile. *Contemnes illos. &c.*

Num pluris æstimetis colubrum, ait Epictetus, in cista eburnea, vel aurea capsâ reconditum? idem prorsus de peccatore judicium ferendum, locatur in mansione honorifica, exornatur spectabili dignitatis gradu: interim semper mancipium turpe manet suorum vitiorum. Draco est adhuc, quamquàm squammæ auro splendeant obductæ.

Omnis hic honor non alio nititur fundamento, præterquàm potentiâ, opibus, fastu peccatoris, in quibus solidus honor, vera gloria subsistere nequit.

Accedit, quòd Deus subtrahendo se peccatori per odium aversionis, permittat, ut lumina rationis in ipso passionum nubibus eclipsentur, illustrationes fidei vitiorum umbrâ extinguantur; sic miser malignæ sui directioni relictus semet præcipit et duobus modis. Primò, proponendo suæ ambitioni objecta se indigna, utpote bestiis & diabolo communia. Secundo, inquirendo falsum istum honorem modo quodam stultitiæ sociato & extravagante, ac consequenter probroso & infami; ita qui-

dem, ut se elevare enitens se demum præcipitem agat in dedecus extremum, quod est reprobatio ipsius.

Quid judicatis esse hanc superbiam ac vanitatem peccatorum, petit S. Gregor. Nyssenus? Respondebitis mihi, esse quampiam elevationem deordinatam & heteroclitam. Verum est, concordat id Psalmographi effato: *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.* Nil tamen obstat, notat hic S. Doctor, quin etiam mea doctrina veritati conformis adhuc subsistat, quando teneo: *Superbia est ad inferiora descensus*, demissio ad res viles, homine cum primis Christiano prorsus indignas.

Nolim hîc in locos communes digere copiosam materiam de vanitate & vilitate falsarum magnitudinum mundi istius; solum, quæso, observetis cum Card. Petro Damiani, quòd Divini Spiritûs penna in libro sapientiæ totum pervolitet universum, & in omnibus elementis accuratè designet id, quod maximè vanum & debilitati obnoxium, indeq; tabulam mundanæ vanitatis & gloriæ construat. Aërem lustrat, ejus stipulas, minimosq; ipsius atomos, cum quibus venti jocantur, ac ludunt: *Tanquam lanugo, quæ à vento tollitur.* Speculatur undas, spumas atque bullas iis innatantes: *Tanquam spuma gracilis; quæ à procella dispergitur.* Considerat ignem, ex igne fumum oriri, confestim post ortum mori; *Tanquam fumus, qui à ventre diffusus est.* Terram non præterit, quin doctrinam item eruat: *Tanquam memoria hospitis unius diei prætercuntis.* Ecce, quale sit objectum gloriæ, quod peccatorem in idololatram transformat.

Reverà non sine singulari Dei Providentia toties olim in somno objecti, se fistebant honoris & gloriæ mundanæ gradus, Sic Josephus obdormiscens, perspexit suam

suam super thronum Ægypti elevationem : Idcirco, *omnis potentia*, innuit D. Ambrosii glossa, modo debito in se spectata, *somnium est, non veritas.*

Quamdiu somnum capitis in sinu cujusdam fraudulentæ prosperitatis, vobis imaginamini, esse bonum magno perè æstimandum, sed mox, ac mors importuna occultè irrepit, vobis somnum excutit, oculos aperit, dum claudere cogitat, experiemini, vos aliis majores non esse. *Evigilas, & magnitudo recessit.*

Quòd si ita sit, an non talis Christianus in suo honore maledictus est : cum ad regnandum cum Deo, & ad possidenda in hac etiam vitâ omnia jura regni cœlestis, per gratiam creatus, se abiciat ad viles adeò quisquillas, suam quærat oblectationem, ut S. S. exprimit in stipulis, spuma, fumo, mendaciis unius momentanei somni ?

Nec solùm Deus per hoc primum aversionis odium maledicit impio in suo honore, permittendo, ut ipse propriâ malitiâ excecatus destruat, & annihilet, omnem, quam sperare potuisset, gloriæ essentialis atq; accidentalis segetem. Sed per odium inimicitia, quo in illum fertur, positivè insuper cooperatur ad destructionem & everfionem omnis falsi honoris in peccatore. Quod tertium meum punctum est.

Deo satis non erat decreto inviolabili sancire, quòd omnes arrogantes in altum se erigentes deprimere velit : *Omnis, qui se exultat, humiliabitur* : nec satis, implacabile, quod adversus superbiam conciperet, odium nobis declarasse censuit, etiamsi per totius scripturæ decursum persequeretur superbos, nisi peculiari vinculo, & quidem per interpositam sui juramenti majestatem, ad idem se obligasset apud Prophetam Amos : *Juravit Dominus Deus in* Amos 6, 3.

III.

Punctum.

Luc. 14-11.

Amos 6, 3.

L 2

anima

- e. 8. 5. *anima sua, dicit Dominus exercituum: detestor ego superbiam Jacob. . . si oblitus fuero usq; ad finem omnia opera eorum. Jurare in anima sua, penes Deum idem valet, ac per necessitatē suæ essentiæ, per immutabilitatem suæ vitæ, per virtutem suæ potentia, & invariabilem veritatem suam, (hæc innuit vocabulum animæ) se execrari superbos, qui gloriam propriam quærent cum dispendio honoris Divini, qui iniquitatem adhibent veluti currum ad seipfos in sublime evehendos, prout de iis Propheta differit: *Vae, qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quasi vinculum plaustræ iniquitatem, quibus juravit, quod flagitiorum ab ipsis patrum nunquam oblivisci, sed rigidè ulcisci velit.**
- Isa. 5. 18.

Quid ergo impius post toties iteratas & quidem juramento firmatas Dei comminationes aliud expectare debet, præter infamiam & confusionem? *Confusi sunt, quoniam*

Psal. 52. 6. *Deus sprevit eos, vaticinatur Psaltes; Deum spreverunt; in quo deliquerunt, in eo pariter puniti: nam & ipsi à Deo sprete, consequenter item coram hominibus confusi sunt.*

Politicus ille, qui Religionem inter meras Cæremonias collocabat, spiritum habens præ excessu ambitionis suæ vertiginosum, tot, tantisq; se involvit noxis in administratione suorum negotiorum, ut omnibus in mundo prope fit ludibrio, & ipse propterea in ruborem se dare compellatur. Temerarius hic juvenis & semi-atheus, qui per suas nequitias æstimationem sibi conciliare audebat, adèd sensibiles incurrit contumelias, seq; in fortunarum suarum jacturâ eò delapsus vidit, ut ipse fateretur, omnem omnino honorem suum deperditum, interiisse: *Confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos.* Domicella ista mundani fastus idolum, cujus non aliæ cogitationes occupabantur animum, quàm ut oculos hominum pasceret, latus suum

nume-

numerosâ adulatorum sibi deserventium turmâ stiparet, justo Dei judicio in linguam detractoriam incidit, quæ ejus famam coram hominibus denigravit, infamem, exosam omnibus reddidit.

Alia, quæ in virtuosis actibus se exercendi, horrorem concipiebat, nè passim ut devotula traducatur, ac derideatur, de factò jam diæteriis proscinditur, famæ perditæ notatur stigmate, & ipsius exorbitantiæ materiam subministrant publicis cœtuum colloquiis. *Confusi sunt.* Uno verbo, quicunq; impiorum æternitatem contemptui habentes, unicè laborabant, quomodo se spectabiles mundo redderent, plausum ferrent, se deceptos deprehenderunt, Deus est, ut cum Spiritu S. in Proverbiis loquar, causa, quòd *nomen impiorum putrescat*, ipse exsiccat radicem honoris imaginarii ipsorum, & delet memoriam illorum in perpetuum, sicut præfagiit Sapiens in Ecclesiastico. Prov. 10. 7.

Quantùm vis ejuscemodi comminationes iræ Divinæ contra impium, superbum latæ, durante vitæ ipsius spatio non complerentur, nõnne tamen maledictio ejus admodum notabilis esset, et si in actum non redigeretur, præterquam in mortis hora: *Ecce ego ad te superbe, dicit Dominus Deus exercituum; quia venit dies tuus, tempus visitationis tue, dies extremæ confusionis, æternæ condemnationis.* Jerem. 50. 31.  
*Confusi sunt in sempiternum.*

Ah! quid nobis proderit, nos duxisse vitam cunctis mortalibus probatam, si moriamur in solius Dei reprobatione? quid juvabit implèsse historias, annales cumulasse nostris illustribus actis, si nomen nostrum sit expunctum è libro vitæ? quod captabimus emolumentum, si fama nostra per universas Europæ nationes percrebruerit, Deus verò in hora mortis enuntiet de nobis: *nescio vos?* quid præ-



præstabit, comparuisse cum splendido & magnifico apparatu supra mundi istius proscenium; si Deus nos tandem exuat omnibus his falsis ornamentis, nudos sepeliat in tenebrosis inferorum ergastulis? *Confusi sunt.*

Vos ô superbi damnati, nunc confusi, capita aliquando coronata, Majestates humanæ, in mundo olim adoratæ, at modò fabula & lusus dæmonum, loquimini, vos ego adjuro, voces vestras è medio flammaram infernalium sustollite, meos Auditores instruite; indicite nobis, quanam sunt in præsentis statu conceptus vestri, qualia formatis judicia modò circa eminentium dignitatum culmina, illustrium officiorum functiones in sæculo? quibus nominibus compellatis sceptrâ, coronas, regnorum gubernationes? Vocatis nunc umbras, fumos, mendacia, infantium crepundia; *Transierunt omnia illa tanquam umbra . . . . quid nobis profuit superbia, aut divitiarum jactantia quid contulit nobis?* nihil, siquidem Deus contra nos irritatus infamem damnatorum characterem frontibus nostris incidit, & æternæ confusionis ignominiam nos cooperuit. Hoc est complementum comminationis Divinæ per Jeremiam Prophetam promulgatæ: *Dabo vos in opprobrium sempiternum, & in ignominiam æternam, quæ nunquam oblivione delebitur.*

Addiscamus ergo hodie, sed cognitione quadam, practicâ, quòd nullibi inveniatur verus honor nisi in statu filiorum Dei; quòd nulla existimatio melius sit fundata, quàm ea, quæ stabilita est supra judicium Dei: nec solidæ in hoc mundo resplendeat gloriæ fulgor, nisi virtutis illustretur radiis, quæ nos deducat ad gloriam æternam. &c.



### III. I M P I U S,

#### Maledictus in suis Liberis.

*Si audire nolueris vocem Domini Dei tui, maledicta reliquia tua . . . maledictus fructus ventris tui. Deut. 28. 15. 17.*

**T**ertullianus, disputans contra hæreticum Marcionem, animadvertit, quòd Deus probè gnarus intensæ inclinationis, quâ parentes feruntur erga suam prolem, innati desiderii, quo ardent ejus felicitatem promovendi, hoc ipso naturæ impulsu uti voluerit ad illos erga virtutem attrahendos, & à vitiis ècontra abstrahendos, adjunctâ comminatione, ut si legibus latis ipsius debitam obedientiam præstare abnuant, in eorum infantibus puniendis se vindicare vellet. Has minas adhibet, notat Tertullianus, ut si respectus ille, quem ipsi debent suo Patri, supremo Creatori, & si timor incurrendi odium Dei, terror infligendarum pœnarum, ad illos in officio suo continendos, non sufficerent, saltem amoris stimulo, quo in suos liberos incitantur, ad obsequium urgerentur, ne Divinæ offensæ vindictam proles infelix luat : *Ut si non sui, saltem liberorum amore Divinis legibus obtemperent.* Ingens planè impii est infelicitas, quòd peccatis suis maledictionem Dei etiam ad suæ posteritatis seriem propaget, eaq; propriam sobolem infestet.

Oceur:

## DIVISIO.

Occurrunt in scriptura tres maledictionum species circa propositam materiam, quæ præsentem discursum in totidem puncta partientur. Prima maledictio cadit in bona, quia Deus liberos plectit turpi egestate in odium parentum ipsorum. Secunda contingit vitam, eos enim præmaturo facto in mortem abripit. Tertia maledictio concernit & inficit mores, cum Deus permittat illos fieri deteriores ac peiores, quàm fuerint parentes. Imploremus Spiritus Sancti auxilium, ut has tam proficuas nobis bene concipiamus veritates, salutando virginem. *Ave Maria.*

I.  
Punctum.  
Exod. 20. 5.

*Ego sum*, inquit Deus, *Dominus Deus tuus fortis, Zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem.* q. d. ego justissimum foveo in me Zelum, meam gloriam tuendi, qui meam iram provocat in violatores istius, adeosdem puniendos tum in se, tum in suis posteris, propius & remotius descendentibus ex illis.

Scio quidem, quòd plures Doctores, inter alios S. Hieronymus in Ezechielem, S. Augustinus contra Adimantum, S. Gregorius in Moralibus existiment, has minas non ad alios extendi filios, quàm ad illos, qui suis parentibus æquè succederent in vitiis, ac in hæreditariis divitiis. Favet huic SS. PP. opinionioni textus Chaldaicus, cujus hæc verba: *Visitans peccata patrum in filios transgressores.* Ita ut juxta hanc expositionem Deus patienter toleraret iniquitates parentum, usque dum filii imitarentur eorum scelera, suis sceleribus complerent mensuram, quam Deus in suâ præscienciâ ipsis præfixit, juxta Christi effatum, ad Judæos prolatum: *Implete mensuram patrum vestrorum*, istâ verò completâ primùm effunderet iræ suæ

Matth. 23. 32.

torren-

horrentem super capita talis facinorosa posteritatis, quam penitus disperderet.

Hæc expositio est solidissima, & sufficeret pro stabilienda veritate nostra, quam propono; quia infantes plerumque vitia suorum parentum contrahunt per naturalem contagionem. Sentio nihilominus cum S. Thoma, & sequente ipsum Tostato, Hugone de S. Victore, quod dictæ comminationes adimpletæ verificentur non solum, in persona prolis criminosa, sed insuper innocua.

Iste vindicandi modus Deo in veteri lege adeo erat communis, ut Scriptura miraculo adscribat, dum horrendam ruinam parentum Core, Dathan & Abiron cum liberorum incolumitate junctam, recenset: *Factum est Num. 26. 11} grande miraculum, ut Core pereunte, filii illius non perirent.*

Neque hic Divinæ Justitiæ stylus videri nobis debet alienus, siquidem illius exemplaria observamus etiam in justitia humana, cujus ista parellion & imago est. Sic filii rebellium in suos principes suis privilegiis spoliantur. Posteritas nobilis alicujus, qui crimine Majestatis læsæ se polluit jure nobilitatis prærogativas amittit.

Plures numerantur in doctissimo præsentis Auditorio, qui sæpius quàm ego, legerunt Codicem, & in eo sanctiones consideratione dignissimas duorum Magnorum Imperatorum Arcadii & Honorii, vi quarum vita prolis, cujus parens crimen læsæ Majestatis incurrit, unice dependet à Cæsareæ clementiæ indulgentia: *Paterno enim deberent perire supplicio, in quibus paterni, hoc est hereditarii criminis exempla mutuuntur: tales item filii ab eisdem multantur in fama; Infamia eos paterna semper*

comitetur. In eas denique rediguntur angustias, ut mortem vitæ præferant. *Sint postremò tales, ut his perpetuâ egestate sordentibus, sit & mors solatium, & vitæ supplicium.*

Si itaque ad homines sub fræno respectûs humanæ Majestati debiti continendos, tam rigidæ sanciantur leges, ad eò severæ ordinantur animadversiones, Deus pari austeritate uti nequeat, vel non debeat, ut nos intra obedientiæ limites retineat, ac quam tamen infinitis titulis obstringimur?

Ergo, si penes vos parentes, amor Dei tam efficax non sit, vos abstrahendi à peccato, amor prolis vestræ id efficiat. Reveremini minas, quas Deus intentat, maledictiones sc. in posteritatem impiorum effundendas pleno ore, super vitam, super bona & super mores illorum prolium.

Differentiam in pluribus scripturæ locis Spiritus S. assignat inter homines probos ac reprobos, in hoc positam, quòd priores filios post se relinquunt, qui parentum suorum hæreditatem in pace & quiete possideant: *Justus, qui ambulat in simplicitate sua, beatos post se filios derelinquet.* Versio Septuaginta interpretum legit: *filiis post se beatitudines relinquet*, per testamentum universam temporaneam felicitatem. De reprobis è contrario scribitur: *Filiorum peccatorum peribit hæreditas, & cum semine illorum assiduitas opprobrii.*

Deus non solùm minatur, quòd liberis è manibus eripere velit bona, quæ injusta donatione à parentibus suis obtinuerunt; quòd æquissima Providentiæ compensatione eò sint devolvendi, ut elemosynam colligere cogant.

Prov. 20. 7.

Eccles. 41. 9.

cogantur ad ostia eorum, quos parentes ipsorum exspoli-  
liarunt: sed adjungit: *Filii ejus atterentur egestate.* Ver-  
bum Hebraicum expressius significat: *Confringentur, op-* Job. 28. 10.  
*primentur.*

Quando me, cum veritate dico, ad concionem di-  
spositurus, hæc omnia in Sacris voluminibus lego, vehe-  
menter obstupesco infidelitatem istorum, qui nomine fi-  
delium gloriantur. Excandescio in falsos illos Christianos,  
qui corpus & animam internecioni tradunt, seipfos con-  
demnant, ut divitias filii relinquunt, sed quales? Divina-  
rum maledictionum. Miseri mortales in ipsis mortis fau-  
cibus, inferno jam proximi sibi nihilominus blandiri au-  
dent de successurâ sibi inclytâ familiâ, præampla domo.

Ampla domo, hoc volo. Sed insensati eam super  
arenæ cumulum struxerunt, eodemq; tempore peccato-  
rum suorum afflamine ventos Divini furoris concitârunt,  
quapropter ipsorum liberos sub ruinis istis sepeliri & op-  
primi necesse est. *Filii ejus opprimuntur egestate.* Amplam  
vocant domum sed non addunt, quòd per suas injustitias,  
sua adulteria, suas blasphemias eò detraxerint Dei male-  
dictionem, quæ juxta Prophetiam Zachariæ voracis instar  
flammæ devastabit universa: *Commorabitur (maledictio) Zachar. 5. 4.*  
*in medio domus ejus, & consumeret eam, & lingua ejus, & lapi-*  
*des ejus.*

Relinquunt, dicunt illi, numerosam & opulentam  
posteritatem; quæ sublimis arboris instar profundas agit  
radices, in longum & latum suorum fœderum brachia ex-  
pandit. Rectè, sed nolunt fateri, quòd per scandalosam  
suam vitam ipsum cor, seu medullam arboris hujus putre-  
dini, indeq; mox ariditati secururæ subjecerint. Nullam  
faciunt mentionem, quòd abominandis suis flagitiis

Daniel. 4. 10.

Deum irritarint, & armarint in vindictam contra descendentes ex suo stemmate, & quod is, qui, teste Daniele, vigili excubat oculo super vitam hominum, jam pronuntiavit sententiam, totam arboris molem radicitus extirpandi: *Ecce vigil & Sanctus de caelo descendit. Clamavit fortiter, & sic ait: succidite arborem, & praeindite ramos ejus excutite folia ejus, & dispergite ramos ejus.*

Uitata, sed tamen malitiosa & falsa mundanae doctrinae paraxia est, ut plerumque alia; bonum esse, filium parentis alicujus damnati esse, eoquod hic multa bona corradendo, illi felicitatem, sibi damnationem procurare laboret.

Job. 21. 19.

Eccles. 41. 10.

At ego cum Spiritu Divino sentio, damnosius nihil esse, quam in haereditatem bonorum condemnati succedere. Utriusque testamenti pagina nos instruit, nunquam bona a parentibus male parta, intra haeredum manus proficere, sed magis deficere, nec raro Deum humeris filiorum imponere partem supplicii ferendam, parentum alioquin malitiae debitam. *Deus servabit filiis illius dolorem patris. Iterum alibi: De patre impio queruntur filii, quoniam propter illum sunt in opprobrio.*

Psal. 36. 16.

Vultisne igitur vos parentes bona & fortunam filiorum vestrorum augere? cedite ipsis bona, quae, Deo donante, accepistis, non quae, avaritia instigante, contra Divinas ordinationes corrasistis. Cavete, ne bona sint inania & vacua, sed plena iis caeli benedictionibus, quibus veraciter ditefcant: *Melius est modicum iusto, super divitias peccatorum multas.* Vitam modo sic instituite, ut vestra bona opera, vestram devotionem, pietatem ii offerre, istius oblationis virtute omnia vitae necessaria consequi, valeant.

Non

Non ulterius huic materię immoror, quia res majoris momenti & utilitatis occurrunt. Devenio ad hoc, ut exponam, impium in sua sobole maledictum, utp. morte præcipiti in paternorum scelerum vindictam extinguendã; quod in secundo puncto posui probandum per autoritatem, per plura Scripturæ exempla, & per rationes maximè convincentes.

Non tamen asserere intendo, quòd conjugii sterilitas, aut præmaturum liberorum fatum sit semper maledictionis effectus; sæpius enim benedictioni potiùs adscribendum; quia Deus ipse quandoque loco prolis adoptari ambit ab aliqua sibi devota familia, ejusq; hæres gloriosus institui eligit; ut itaque patrem, matrem educationis molestiis eximat, prolem iis adimit, in cælum præmittit, néve illorum affectiones in varios distrahantur amores, sed ipse solus sit verus dominus, unicus cordis ipsorum possessor.

II.  
Punctum,

Nihilominùs verum tamen manet, sæpe ejusmodi improvisam, subitanam mortem maledictionis Divinæ fructum esse, quod pluribus in locis Scriptura confirmat.

Istud nunquam permittam, minatur Deus per Isaiam, ut radix malignorum latius suas explicet fibras, & diutiùs perduret, in ira mea funditùs illam extirpabo; *Non vocabitur in æternum semen pessimorum: preparate filios ejus occisioni in iniquitate patrum suorum. Consurgam super eos, dicit Dominus exercituum.* Vocavit aliquando Deus Prophetam Jeremiam, quem calamum arripere, & scribere jussit. Propheticus amanuensis se paratum indicat, quidnam adnotandum requirit; cui Summus Dictator, *scribe, inquit, in historia Regum Juda genealogiam*

Isa. 14. 20.  
21. 22.

M 3

giam



giam Regis Jechoniae, scribe: Jechonias, homo sterilis ob peccata sua. Quomodo Domine hæc scriptura concors  
 Jerem, 22, 30. erit vero, numerat is octo proles? Quod dictavi, volo, calamo excipias, scribe virum istum sterilem: nec enim erit de semine ejus vir, qui sedent super solium David. Ah! mi Domine, quid cum parvulis tot principibus fiet? indulge, obsecro, iis gratiam, ut vivant. Non vivent, sententia est lata; In memet ipso juravi, dicit Dominus, quia in solitudine erit domus hæc. Ad castigandas patris iniquitates decretum manet immutabile, ut regia Domus quantumvis modò numerosa extingatur absque spe ullius posteritatis.

Ibidem,

In annalibus historiæ Ecclesiasticæ aptum ad confirmationem veritatis hujus reperimus exemplum. Valens Imperator vix edictum ejiciendi D. Basilium in exilium, ad instantiam Arrianorum hæreticorum subsignavit, ecce adultior ætate Imperii hæres morbo corripitur; Agnovit ille errorem, quem & revocavit; mox ac pater resipuit, filius princeps convaluit. Sed dum is secundâ vice impio decreto manum accommodat, rursus item, ager decumbit iste. Iterata denuo scripti retractatio, amissa, ut prius restituta fuit sanitas. Tandem acrius & instantius Prælati, hæreseos fautoribus semper executionem urgentibus, succubuit Imperator eodem, pariter tempore filius occubuit fato mortis irrevocabili.

Si è folio sacro Scripturæ penuario petamus paradigmata; primus in oculos nostros incurrit Rex David, qui alioquin vir secundum cor Dei, quam primùm tamen peccavit, mox pœnam à Deo sibi taxatam audire  
 2.Reg 12, 14. debuit: Propter verbum hoc filius, qui natus est tibi, morte  
 morie-

moriatur: innocuus parvulus morte sua nocentis parentis noxam eluet; jejuret, ploret, quocunque modo se affligat iste, morietur ille.

S. Hieronymus expositurus verba Annæ matris Samuelis: *Sterilis peperit plurimos, & quæ multos habebat filios infirmata est*; dignam affert considerationem, Deum, ait, postquam diuturnæ sterilitatis probro probasset sacræ hujus feminæ virtutem, exaudiisse demum vota, precésque, matronam filio fecundasse, qui majoris erat valoris populosâ aliqua gente, id est Samuele, eiq; subjunxisse numerosam liberorum seriem consequentem; hanc tamen gratiam ultimam nec dum fuisse, eodem siquidem tempore Phenenna alteram Elcanæ Uxorem afflixisse. Hæc se prolificam animadvertens, insultabat Annæ thori ejusdem sociæ, quam etiam, asserente Divino textu, malè habuit: Deus, memorat S. Hieronymus, eodem tempore prolem Annæ concessit, Phenennæ unam per mortem sustulit. Quando illa se occupabat in parandis lineis fasciis, cunis, ista inquirere debuit funebria lintamina, procurare sandapilam; sic vindicabat Numen vitiosum matris factum, morte luctuosa suorum infantum.

Pro confirmatione præsentis doctrinæ, quod tam appositè deserviat, exemplum non est, ut illud Sacris Regum annalibus insertum, de quodam *Hiel* nomine, oriundo ex Bethel pertractans. Erat is genio sæculi aptus, Politicæ mundanæ gnarus, in curia Regis Achab aulicorum non minimus; ut acceperat Regis animum esse, Jerichuntinam urbem è suis ruderibus resuscitandi, eò omnem opem & operam strenuè interposuit. Primitus fuit præmonitus, sibi caveret, ne actum ageret, num solus nesciret, restorationem dictæ urbis à Deo sub maledicti inter-

mina-

minatione inhibitam? Nil refert, respondet iste: Rex desiderat, Rex imperat, Regi obtempero. Non impune stetit hæc obedientia, eodem tempore, quo terram pro iaciendis oppidi fundamentis effodit, seniori suo filio sepulchrum aperuit, qui mortuus est: *In Abiram primitivo suo fundavit eam.* Immatuum hoc factum ab initio quidem haud modicam parentem perculit consternatione, nihilominus, ad morem mancipiorum aulae, dolorem dissimulans in coepto perrexit, sed unam Deum ceptam prosecutus est vindictam, quamque mensura ac proportione in altum est terra surgebant muri; eam, pari passu in profundam mortis decidere residuae proles fossam, unam alteram post se detrahente. Ultimus denique omnium mortualem clausit choream *Segub* nomine, saltum postremum tunc dedit, quando impius hic architectus portas reparatae urbis munivit: *Et in Segub novissimo suo posuit portas ejus, juxta verbum Domini, quod locutus fuerat in manu Josue.* Ex quibus manifeste patet, quam in probanda hac veritate concordent auctoritas & exempla Scripturae sacrae. Inspiciamus rationes ejusdem.

Duas invenio rationes, ob quas Deus hoc justitiae processu utitur. Prima se tenet ex parte odii Dei, quod ipse in parentes gerit. Secunda oritur est contrario fonte, amoris videlicet, quo infantes prosequitur Deus. Averfatur is istas vetustate excisas, omni vitiorum sorte corruptas stirpes, idcirco ramos ipsarum detruncat, palmites evellit, hinc, inde mutilat in sua ira. Execratur hanc maledictam radicem Chanaan, quae producit tot fructus iniquitatis. Pedibus proculcat, conterit, & suffocet germen illud novellum, quod exinde pullulabat, ne se perpetuare possit damnatum stemma.

Loqua-

Loquamur clariùs, nequam parens iste Deum semper tanquam inimicum habuit, cum quo etiam 30. 40. annis implacabile bellum continuavit: in omni eo Deum aggressus, quòd ipsi acceptius esse, noverat. Talionis proinde pœnam Deus in illum statuit, optimè gnarus, quòd dolor sit commensuratus amori, amor parentum in filios sit flagrantissimus, quòdque puniendo proles, parentes in parte maximè sensibili torqueat; bene advertit, istos in tot liberis vitam tueri, quot ipsi horum procreâs- sent: vult itaque Deus, toties illis adimere vitam, quo- ties vitâ chariorem sobolem eis per mortem abstra- hit.

Quàmvis improbi parentes pridem mortis reatum incurrissent, vitam tamen propriam indulget, ut se quo- dammodo vivos adhuc, in filiorum nece sepultos, videant, ac sentiant, sintque ipsimet luctuosi spectatores tragœdia- rum crudelium, quas scelerum suorum actibus & actori- bus adornant inter domesticos parietes quotidie in pro- priis familiis.

Proh Deus! quid patrârunt tot infantium millio- nes, qui aquis diluvii sunt submersi, vel flammis Sodomæ absumpti, cujus criminis isti vel illi erant rei, qui indies morte præcipiti abripiuntur? *Quod scelus miseri luent: scelus est genitor, & majus scelus Medea mater.* Omnis in- fantum culpa est pater blasphemus, mater adultera. Si illi in propria persona sunt innocui, indemnes reddam, ait Deus, in æternitate: interea tamen hîc tali ratione scelestos parentes castigare oportet, ut justam iræ meæ animadversionem sentiant.

Descendamus magis ad particularia, & dicamus; videt Deus istam matronam amore filii natu majoris vul-

N

nera-

neratam, quem ut idolum suum colit, eum enim solum cogitat, nullum videtur curare præter ipsum; adeò in amore illius excoecata est, ut salutem propriam non attendat, Sacramenta sine gustu spiritali sumat, nec cœli neque æternitatis considerationem admittat. Amor hic inordinatus matrem in novercam injustam, & crudelem reliquis liberis convertit; nam ut iste præ aliis superemineat, omnes filia coguntur in claustra, quantumvis eò non sint vocata: cæteri fratres huic servorum instar debent subjici, prout ex differentia in amictu & victu illorum patet. Maritus quidem inversionem istam advertit, dissimulat, sustinet, alioquin domi nullâ quiete aut pace frueretur. Quid in hac parte Deus ager? filium in vindictam maternæ passionis tam inordinatæ, subtrahet. Vis infelix, inquit Deus, huic puero concedere locum, quem ego in corde tuo occupare debeo; ut hinc teneatur ordo, inde tibi eum auferam.

Ex altera parte videt Deus patrem tali filiorum amore inebriatum, ut Deus, vel paradifus cœlestis mortis aut inferni memoria nunquam mentem ipsius subeant, utpote aliis curis & conceptibus refertam; quomodo suos ad altiora provehere possit: semet exhaurit, ut illos bonis locupletet. Non est justitia, quam non corrumpit, nec conscientia, quam non oppignorat; uno verbo, paratus est ad acceptandam personam miseri in Evangelio divitis Epulonis per omnem æternitatem, dummodo suis liberis ingentes thesauros, nobilia officia procuret. Jure talis damnationem incurret, quam adeò ardenti studio inquirat: præter hanc tamen in odium excessivi amoris istius erga proles Deus confringet & comminet parvula  
hæc

hæc idola, eaq; omnia in fundo alicujus sandapilæ sepe-  
liet, nec ulla illorum mentio remanebit.

Ignoscite mihi parentes, si, multum à recto aberrare  
vos, ostendero, quando in morte liberorum murmura in  
cælum spargitis.

Providentiam Dei arguitis, medicos culpatis, ægri-  
tudinem maledictione impetitis. A vobis oritur mali  
causa, in quam deberetis invehì. Imò vos ipsi parricidæ  
estis, proles vestras, interemistis; peccata potius vestra,  
quàm morbi eas vitâ spoliârunt. Si meliorem duxissetis  
vivendi modum, si majori studio servire Deo, vobis pla-  
cuisset, adhuc viverent infantes.

Sed fortassis intendit Deus vindicare irreverentiam,  
quam Sacramento, quod Doctor gentium antonomasticè  
*magnum* appellat, irrogastis, quod profanâstis per vestra  
adulteria, per occultas turpitudines, & brutales passio-  
num vestrarum pruritus. Ecce, quare Deus vos propa-  
gine priveret, omnes liberos auferat, futura familiæ vestræ  
decora extinguat. Cùm itaque similes vos ruinæ invol-  
vunt, loco illius inutilis planctûs, murmuris injusti, vos  
ipso reos sistite, & arguite: *Peccavimus, & iniquè egimus*  
... *Præcepta tua non audivimus, nec observavimus* ...  
*Omnia ergo, quæ induxisti super nos, & universa, quæ fecisti*  
*nobis, in vero judicio fecisti.*

Daniel, 3, 29.  
30, 31.

Ah mi Deus, ego sum, qui peccavi, propriæ sobolis  
parricida; ego cultrum manibus Divinæ tuæ Justitiæ tra-  
didi, quo illa decollaretur: quia in felix ego eò progredi  
ausus, ut me è numero subtraherem filiorum tuorum, ju-  
re, ut meos pariter amitterem, fui promeritus.

Secunda ratio acceleratæ mortis liberorum, est  
amor, quo Deus illos prosequitur. Considerat Deus,

N 2

quòd

Auth. oper.  
imper. in  
Matth.

quòd parentibus de suæ Paternitatis titulo cesserit partem in eum finem, ut simul cum ipso peculiari cura hos parvulos excolere studerent, quos etiam illorum manibus commisit: advertit, inquam, parentes excoecatos ordine perverso corpus amare, prorsus non curare animam suorum infantum, sicut Author operis imperfecti annotavit: *Corpus natorum suorum amant, animam autem contemnunt; desiderant illos valere in hoc seculo, & non curant, quid passuri sint in alio. Alii militias, alii honores filiis suis provident, nemo filiis suis providet Deum.* Neque vitiosorum genitorum malitia in eo subsistit, quòd salutem suorum non attendant, sed positivè insuper ad ipsorum damnationem cooperantur impiis suis principiis & damnandis dogmatibus, quæ iis cum lacte instillant, & accedentibus malis suis exemplis roborant. Num cernitis, quærit Deus per Ezechielem Prophetam leonem hunc senem, qui leunculos suos à teneris unguiculis educat, instruit, raptâ vivere prædâ, discerpere, laniare? Nonne videtis antiquum istum serpentem venenata sua genimina imbuentem, ut sibilos, venena fundere, mordere debeant? Exprimere volo ac dicere; videtis, quomodo parentes suis liberis inspirent odium, vindictam, fraudulentiam? Abutuntur honore & titulo paternitatis à Deo concessio, hinc ad impediendam perditionem filiorum, Deus hos parentum suorum potestate eximit: tollit pusillas istas creaturas ex ædibus, ubi sola vitiorum fit lectio ac mentio, ubi ars & via propriæ damnationis maturè addiscitur: tradit corpus morti, ut anima fruatur vitâ æternâ in coelis.

Et si quandoque Deus posteritatem impii binis illis maledictionibus non perstringat, de quibus egimus; etiamsi,

etiamsi, dico, peccatorem non puniat egestate, aut etiam prolis suæ morte: superest adhuc tertia, longè magis formidanda, vi cuius prolem permittit pejorem, & vitiis deteriori fieri propriis suis parentibus, de qua breviter, & paucis disfiniam.

Furiosa illa Medea apud Tragedum postquam rabioso æstu abrepta marito suo morbos, infamiam, bonorum jaçuram, exilium, mortem imprecata, paululum se continuit, ac conticuit; ad excogitanda adhuc diriora maledicta, tandem in ea prorupit vota, quibus petiit filios parentibus effici similes: *Quoq; non aliud queam pejus precari, Seneca in Medea. liberos similes patri, similesq; matri.* Ecce maledictionem graviolem, quâ Deus impium coërcere potest: ipsam expressis item terminis Sapiens in medium profert: *Nequissimi filii eorum, maledicta creatura eorum, quoniam felix Sap. 3. 12. est & sterilis.* Sterilitatem, liberorum privationem, quam nos inter Divinas pœnas recensuimus, docet hîc Spiritus Sanctus fortunam quandam reproborum esse; eoquod ipsorum partus sint pessimi futuri, & cum omni posteritate maledictis abolendi. Deus in puniendâ malignâ illorum vitâ privabit ipsos, prout dixi, omnibus iis liberis, qui deberent pollere bonis qualitatibus, cumulabit econtrâ domos eorum non dico infantibus deformibus, surdastris, stupidis, insensatis, sed prodigis, temerariis, lusoribus, uno verbo vitiosis & perversis. Sicut enim promisit in Scriptura Deus probis parentibus ejusmodi progeniem, quæ ipsis sit futura solatium, corona, gaudium, delitiæ; *Erudi filium tuum, & refrigerabit te, & dabit delicias animæ tuæ. Prov. 29. 17. . . . Filius sapiens latificat patrem.* Ita econtrario minatur reprobis, ipsorum fœtus parentibus fore dedecori, confusione, tormento, tortorum loco, qui illorum fata accele-



Ecl. 4. 8.

Ibid. 10.

rent, vel millenis vicibus præ amantitudine & dolore mori ante mortem cogant: *Filii abominationum sunt filii peccatorum. . . . De patre impio queruntur filii, quoniam propter illum sunt in opprobrio.*

Vos minimè capere, ipsi fatemini, unde puero huic inclinationes adeò perversæ, genius ad malum tam proclivis, habitus in malo radicati, aversiones erga literas & pietatem, adq; id omne, quod hominem in mundo ad honestatem permovere valet. Fortassis mihi dicturi estis, id esse maledictioni Divinæ adscribendum. Hoc facile admittitur. Attendite, quomodo vixeritis, qui & quales sint vestri mores, & num allata Spiritûs Sancti verba in persona vestra adimpleantur.


Sap. 3. 12.

Neutiquam tamen accipienda sunt ista, ac si Deus vitiosorum progenitorum sobolem pervertat, malignam reddat: completur enim hæc maledictio duplici modo, negativè sc. & permissivè. Negativè, eoquòd liberis eas non communicet gratias, quas alioquin concederet, si è stirpe, in pietate melius radicatâ, prodissent: dat quidem ipsis gratiarum tantum, quantum fatis est, sed non gratias suas electionis & favoris specialis. Id permissivè adhuc fit, quatenus permittit juventutem perniciosis parentum exemplis corrumpi, ac seduci: *Nequissimi filii eorum, maledicta creatura.* Patres, sapienter quidam è poëtis profanis pronuntiabat, sunt animæ suorum filiorum: anima est forma corporis, & parentes pariter formant, & animant suos infantes. Consequenter si pater, qui vices animæ supplet est malitiosus, scelestus: qualis debet esse filius? proles, notat Scriptura, sunt scintillæ è parentum sinu velut è foco profilientes, sequentes naturam ignis. Si pater est ignis terrestris, ignis sulphure aut bitumine mixtus,

mixtus, easdem terræ, sulphuris qualitates participabit  
scintillans filius, malignos sc. mores.

Clausulam imponat, qui & initium discursui dedit,  
Tertullianus. Sic parentes alloquitur ille: intensiorem  
vos liberis vestris impenditis amorem, quàm vobis ipsis.  
Si ergo amor, quem gerere debetis pro bono vestro tem-  
porali & æterno efficaciter vos non perurget ad detesta-  
tionem & fugam peccati, quod est jactura & ruina illius  
totalis; saltem eò vos stimulet amor, quo proles vestras  
amplectimini, desiderium, quo ardere vos oportet erga  
felicitatem earum temporaneam ac æternam, à vitio ab-  
strahat; siquidem hoc, ut intelleximus, sufficit ad male-  
dictionem, bonis, vitæ, moribus ipsarum invehendam.  
Sic vitam instituite, ut perfectè Deo obedientes, largam  
& longam benedictionum Divinarum seriem attrahere è  
cælo promereamini super vos & super posteros vestros;  
cum quibus pariter possidentes gratiam in vita ista,  
in altera unà simul perfruamini ejus  
gloria in cælis. Amen.





## IV. IMPIUS, Maledictus in sua Prosperitate.

*Joannes autem cum audisset in vinculis opera Christi. Matth. 11. v. 2.*

**E**Vangelium hodiernum repræsentans S. Joannem Baptistam ferro onustum, in obscuritate carceris reclusum, eodem simul tempore nobis ostendit Herodem, persecutorem ipsius injustum, in magnifico palatio habitantem, sublimi throno insidentem, ab universo populo adoratum, perfruentem omnibus naturæ delitiis, suâ authoritate abutentem, ad virtutem & innocentiam suppressendam. Hoc est mysterium iniquitatis, Sacramentum dæmonis, de quo in sua Apocalypsi meminit S.

*Apoc. 17. 5. Joannes: Mysterium dicam tibi Sacramentum mulieris.*

Apostolus iste vult indicare, quemadmodum Deus in adorandis & augustis Sacramentorum mysteriis sub communibus velamentis, ac sub vilibus speciebus thesauros gratiæ atque semina gloriæ abscondit, sic etiam mundus & diabolus sub magnifico divitiarum apparatu externo tegunt egestatis necessitates, infamiæ probra, maledictiones temporaneas & æternas.

Mirandum certè mysterium est, impium, qualis Herodes erat, cum tanta majestate, potentia & felicitate coram oculis humanis comparere. Ipsimet etiam illuminatissimi Prophetæ fatentur se fundum profundi istius mysterii

mysterii penetrare vix posse; videntur illi movisse querelas contra Providentiam & justitiam Dei in consideratione prosperitatis peccatorum & oppressionis justorum, quare sustines Domine, exclamat Habacuc, quòd injustus de homine justo triumphet? *Cur taces, devorante impio justioremsè?* Nec sine admiratione Regius Propheta Deum interpellat: *Ecce ipsi peccatores & abundantes in saeculo obtinuerunt divitias.* Exponamus hoc mysterium, & prosequentes materiam nostram ostendamus, impium esse maledictum in prosperitate sua mundana.

Prosperitas autem ista aliud non est, quàm progressus ad eminentiores dignitatum gradus, stabilitas fixa volubilis ceteroquin fortunæ, quæ acquiritur ad modum mundo proprium, per fraudes inquam, perfidias ac injustitias; verbo, per media à Deo interdicta. Teneo itaque ejusmodi prosperitatem esse Sacramentum quoddam diabolicum, sub cujus falso splendore occultata latent vera mala temporalia & æterna. Spiritus Dei solus suarum illustrationum luminibus mendacia tam pernitiōsa nobis in lucem protrahere potest, gratias ipsius exposcamus per suffragium Marianum, salutando virginem Deiparentem: *Ave Maria.*

Quantumvis prosperitatem peccatorum vitiosam non nisi dictaminum moralium ope intuerer, occurreret fatis multum, ob quod eam utilitatem admodum ruinofam, fortunam maximè fatalem enuntiare possem. Sentirem cum Seneca afferente, summam quandòque pacati æquoris malaciam, quietum undarum silentium damnosius esse ipsa tempestate: item, omnes dictas prosperitates excessivas confines esse funestis casibus, seque faciliè transformare in infortunia extrema.

○

Sub-

Subjungerem cum eodem Philosopho, quòd hæc prosperitas seipsum destruat, nisi moderaminis fræno coërceatur; quòd nativo suo pondere depressa cadat, cadendo suis nos ruinis involvat, & sepeliat: *ipsa felicitas, nisi temperet, premit; illos degravant ipsa, quæ extulerant.*

Repræsentarem mundi genium sub figura veteris alicujus tyranni, circa quem non videretur aliud, præterquam sceptra comminuta, coronæ fractæ, throni inverfi, calvariæ regum occisorum, spolia adhuc vivorum. Hinc inde in circuitu locarem plurimam miserorum turbam deceptorum, gemitibus & lachrymis stupendam & crudelem ejusdem naturam contestantium, quibus ille ex Boëtio Philosopho respondet, hunc suum esse ludum, semper fuisse consuetum agendi modum. Conscendite, invitatur ille circumstantes, summum quem assequi potestis in fortunæ rota locum, sed simul casum, mox secuturum ad elevationem provideatis: *Hunc ludum ludimus, hanc rotam volubili orbe versamus, ascende, si lubet, sed cum ea lege, ut descendere, injuriam non putes.*

Boët in Consol. Phil.

Sed quia, cum Christianis ut agerem, officii mei honor exigit, senecæ doctrinam non indigeo, nec debilitate lucis cœcutientis Ethicæ contentus, radiis Divini Spiritus collustratus, ore Davidico fortiter inelamo; *Fallax equus ad salutem.*

Psal. 32, 17.

Equus hic, cui insidens peccator ad eum feliciter in sublime evehctus videtur, est mendax, sub istâ metaphora, observat S. Augustinus, textum illum explicans, latere adumbrata officia, dignitates, divitias cum omni sæculari pompa, quæ peccatorem in altum elevant, tantoque splendore illustant: *Equum accipe quemlibet honorem, in quem superbus ascendis & gloriaris.* Mihi credite

S. August. in Psal. 32.

dicite, monet Idem S. Doctor, equus hic laborat non uno vitio, in medio cursus subito vos destituet, vel omnino in funesta vos precipitia abiiciet: *Quomodo te deiciat, nescis, tanto elisum gravius, quanto sublimius ferebaris.*

Loquamur sine metaphorâ, exprimamus clariùs mentem nostram cum Divina Sapientia in Proverbiis: *Prosperitas stultorum perdet eos.* Non dico, quòd prosperitas peccatorum se disperdat, seipsam mox dissipet, sed quòd prosperitas peccatores in ruinam precipites agat. Primò, pro hoc tempore ordinariè existens scaturigo disgratiarum, infortuniorum & interitûs. En primum punctum. Secundò, pro æternitate, eoquòd illa sit futura damnationis ipsorum perpetuæ causa. En alterum punctum. Ad illustrandam priorem veritatem, notari velim, pecculiam esse effectum Potentiæ ac Sapientiæ Dei, intentiones suas ad finem perducendi per media, quæ videntur ei contraria; in hoc enim se, ut Deum, operari demonstrat, quòd independenter à mediis ordinariis operetur, ex. gr. paupertatem assumit, quæ ei divitias abundè suppeditat, unde faciat & dissipat coronas: humilitatis abjectione ubitur tanquam viâ ad altitudinem dignitatum consequendam, ex tristitiæ exsucca ariditate elicere novit fontem lætitiæ. Sic illi Josephum per obscuritatem carceris & captivitatis placuit traducere, & evehere ad thronum Ægypti. Jobi fortunas multiplicavit per præviam omnium bonorum jacturam; in stabilienda Ecclesia voluit adhibere ignorantiam, ruditatem duodecim piscatorum, iisque instruere, & convincere Academias integras, sapientissimis Doctoribus eruditissimi sæculi refertas. Pari etiam modo, Deum dico, secretâ

PROV. I, 32.

DIVISIO.

I.  
Punctum.

suæ Providentiæ dispensatione ad incitas & ruinas redigere peccatorem, dum ipsi apparentem divitiarum usum indulget ad tempus, quando permittit illius elevationem, eum dejicere, humiliare velle.

Psal. 72. 18.

Sensus hic est Davidici oraculi; *Dejecisti eos, dum allevarentur*, Advertere nos, vult D. Augustinus, Davidem non dixisse: *dejecisti eos*, postquam elevati sunt, sed dum elevarentur, quibus innuitur: *Non aliud esse tempus elevationis, aliud dejectionis*; ipsam elevationem verissimam eorundem esse ruinam: *Elevatio ipsa ruina est*, vix oriuntur peccatores & instar fumi evanescent: *Exaltati, deficientes, quemadmodum fumus deficient*.

Augustin in  
Psal. 72.

Psal. 36. 20.

O Deus! exclamat S. Gregorius, quàm bellè quadrat hæc comparatio, qua peccatores describuntur fumi instar, ascendenti in altum, disparere, qui eâ, quâ mensurâ se dilatat, seque extendit, in aëre perit; *Ascendit, tumescit, evanescit*, quò sublimior enititur, eò magis dispergitur: *Unde ostenditur, ut altus sit, inde agitur, ut non sit*.

S. Greg. in  
Psal. 36.

En vivam picturam magnitudinis & prosperitatis impiorum, Fateri omnino nos oportet, admirabiles esse comparationes, quas sacra pagina adhibet ad res nobis clariùs ob oculos ponendas. Quibusnam putatis uti verbis Sanctum Job, ut nobis exprimat impium suam domum per media illicita amplificantem? Fortassis furioso leoni, rapaci lupo, astutæ vulpi eundem comparat? hæc nimis sunt vulgaria: tineæ similitudinem in medium affert: *Ædificavit sicut tinea domum suam*, proh Deus! quæ potest intercedere similitudo inter animalculum adeò parvum, quod insensibiliter corrodit lignum, & hominem nequam, cujus direptiones & oppressiones luce meridianâ clarius patent? eximia sanè relatio similitudinis. Nunquid

Job. 27. 18.

quid enim verum est, quod eodem tempore, quo tinea lignum absumit, propriam, ubi se locavit, mansionem consumat ac destruat? pari modo sentiendū de peccatore, qui illo item tempore, quo firmare se per media prohibita conatur, suam ruinam & interitum procurare, incipit. *Prosperitas stultorum perdet eos.*

Prov. 1. 32.

S. Augustinus explicans versiculum istum Psalmistæ: *Donec fodiatur peccatori fovea*, annotat; id quod sæculi stylo significat prosperitatem aut elevationem quandam in honoribus, est magnitudine mundanâ, hoc ipsum in terminis Sacræ Spirituræ, & sequendo verbum Dei, primam sc. veritatem, appellari fossam, præcipitium & abyssum; *Felicitas peccatorum fovea ipsorum est.*

S. Augustin.  
Pl. 93.

Quid igitur agit vir ille, qui frandalentum in contractum, falsos inquitur testes, argento corrumpit iudices, per viam iniustitiæ lucratur & evincit causam? Ampliat fossæ suæ cavernam. Quantum is verò proficit, qui numerorum fulgore Patroni excæcat oculos, ut uni suorum filiorum beneficium aliquod compareret? scrobem auget, fossam dilatat. Quid avarus, aut ambitiosus iste efficit, qui calumniis, fraudibus, iniustitiis suum circumvenit vicinum, simplicem hominem supplantat? fossam præparat, præcipitium sibi aperit. Imò peccator hic divitiis abundat, viribus pollet, habetur in honore ab omni mundo, respicitur à magnatibus, timetur à sibi æqualibus, formidini est minoribus; verbo, faustus est fortunæ pullus. Qualemcunque vos talem judicaveritis, pergit S. Augustinus, nihilominus assevero, quòd apud Deum hoc aliud nil sit, nisi ampliare fossam; *donec fodiatur peccatori fovea*, vobis æquè ac illi videretur, se ascendere, sed Deus descendere eum affirmat; *Hoc se ille putat, sublimiter ire, & Deus hoc*

*foveam*



*foveam vocat.* Cur ergo Deus tanto ipsum tempore sustinet? quare non pridem in eundem rigoris sui exemplum statuit? Bene intelligo, subdit Ecclesie Doctor, vis Deum mali vindicem, mox ut puniat, sepeliat delinquentem. *Adhuc fovea illi foditur, noli festinare.* Nè, quæso, sitis nimium anxii: an non videtis fossam adhuc nimis angustam, spatium minus esse capax? quando perversam intentionem suam opere complevit, iniustam hanc actionem ad finem deduxit, tunc fovea erit absoluta, erit satis profunda, satis spatiosa ad tumulandum ipsum cum omni sua prole & universa posteritate, *donec fodiatur peccatori fovea.* Tunc non sine stupore dicetis; nunc ergo adverto primùm, quem in finem is quindecim aut virginti annos laborando insumpserit; ecce, quæ & quanta Deus illi permittebat, agere: nos autem arcanum istum mysterium non capiebamus malè hac in parte murmurantes contra Divinam Providentiam.

Psal. 10. 10.

*Inclinabit se, & cadet, cum dominatus fuerit pauperum.*

Tunc, quando oppresserit pauperes, eorum substantiam deglutierit, eorundem sanguine se exsatiarit, quando iniustitia ipsius principem in urbe obtinuerit locum, dominum in provincia occuparit; quid inde cum illo fiet; se robore muniet, majorem cum amplitudine se extentabit? multum hallucinamini, dicatis potius, vires amittet, ignominiosè se abiiciet, infami lapsu corruet: *Inclinabit se, & cadet, cum dominatus fuerit.*

Ibide 25.

Adjuro vos, fratres mei, prosequitur S. Augustinus, ne levi transiliatis passu hoc punctum; patitur difficultatem, non diffiteor, qui carnis & sanguinis dictamine persuasus, iudicium ferre consuevit, dicta comprehendere contendit: *Indendite, fratres, quia magna res est, ut felicitas fovea dicatur.* Qua ratione ergo Doctor eximine probas, beneficium

ficium per Simoniam acquisitum, hæreditatem admodum pinguem viduæ cuidam extortam, vel à monetariis dolose comparatam argenti summam; quomodo, inquam, probas, foveas istas esse, & ambabus manibus sinum implere auro, idem esse, ac se depauperare? En, quàm hoc sensui sit imperceptibile.

Siquis hoc mysterium comprehendere velit, consulit S. Augustinus, Davidem sequatur, qui monstrabit locum, ubi veritatis istius evidentia patebit manifestè; *Vidi* Psal. 36. v. 36. *impium superexaltatum. Transivi, & ecce non erat, vidi impium* 37. in sua prosperitate, quæ, meos, fateor, fascinavit oculos; sed abii, & vix vidi, mox evanuit. Transit Propheeta, sed quò, reticet, quod tamen rescire, nostra quàm maximè interesset. *Transivi, id est peregrinus à seculo factus sum, & in aeternam cogitationem excedens, nihil esse reputavi*, habet glossa S. Zenonis Veronenis, id est: Spiritu abreptus extra tempus, puncto aeternitatis appropinquavi, omnè seculorum cunctorum seriem speculatus, unum consequens alterum in infinitum; deinde cogitationes meas ad mundum reflectens, agnovi, quòd nil magnum aestimari possit in spatio, tam arctis limitibus circumscripto, & quòd radiantis fortunæ splendores quinquaginta vel etiam sexaginta annorum circulo illustres non viderentur aliud, quam circumvolitantes in aëris regione atomi. Satis bona est hæc expositio. Meliùs congruit proposito nostro conceptus D. Gregorii Nysseni.

*Transivi, id est profeci, perveni ad spiritualia.* Deservi, mens est S. P. cogitationes terrenas, sensus, judicia mundi, non juxta carnis prudentiã sed secundum principia fidei, judicavi, & protunc clarè perspexi, quòd elevare se contra, Deum, sit idem, ac se deprimere; velle se illo invito stabilire, sit, sui ruinam quærere; modis & mediis injustis divi-  
tias.

tias corradere, sit, iis exspoliari: quia contra Deum se erigere, est procul à Deo recedere, qui est terminus veræ elevationis: *qui recedit à Deo, in profundum it, se fundare in aliquo extra Deum, est inniti nihilo, qui confidunt in nihilo.*

Doctorum Sol D. Augustinus novam dictæ explicationi affundit lucem. *Dransivi, donec intrem in sanctuarium Dei.* Me contuli in secretum cubile arcanorum Divinitatis, ubi addidici mysteria sapientibus sæculi incognita: vidi, quòd omnes improborum secundi successus sint vaporum instar, ex quibus omnipotens pyragogus procudit sua fulmina, suæque bellica tormenta incendit ad ipsos abolendos: vidi Deum insultantem perversis peccatoris conceptibus, & stolidis eorum cogitationibus qui gloriam ipsius admirantur; cùm prævideat mox adventantem diem illius ruinæ, quòd eum deducit per prosperitatis umbram, sicut Aman olim in medio favorum Regis Assueri potentia sub ductus fuit: *Dominus autem irridebit eum, quoniam prospicit, quòd veniat dies ejus.* Vidi virum hunc, mundo deditum, quòd mille versutiis, millenis injustitiis procurârit incrementum hederæ, seu prosperitatis sæcularis, sed eodem tempore, quo sub illius umbra captare quietem intendit: *Paravit Deus vermem ascensu diluculi in crastinum, & percussit hederam, & exaruit.* Dico; Deus in ordine suæ Providentiæ disposuit lites forenses, hostes, calumnias, incendia, ac mille alios casus, ut iis absumerentur bona, in quibus is omnem suam spem reposuit. Vidi denique in divino isto Sanctuario Deum aliàs summè bonum, iram & arma induere ad evertendam impii felicitatem, seque solennis juramenti vinculo obstringere

Ysaï, 36. 3.

Joan, 4. 7.

gere ad extirpandum superbix illius excessum. *Jura* Amos. 8. 2.  
*vit Dominus in superbiam Jacob*, quid juravit? quaerit S.  
Hieronymus: *Si oblitus fuero opera eorum usque in fi-*  
*nem.* Juravit, quantumvis patientiam habuerit, nolit  
tamen oblivisci injustitiarum reproborum, quod eos per-  
dere, destruere velit.

Quod si itaque cum Propheta pariter arcanorum Dei  
Sacrarum nobis subire lubet, videbimus, quod iniquo-  
rum prosperitas Deo quodammodo bilem moveat, ad iram  
Deum provocet, & quo tempore, isti se mediis damnatis  
magnificent, eodem, sapientia ac Potentia Dei eos pro-  
sternat & confundat: videbimus tandem prosperitatem  
talem esse ruinae obnoxiam, perditioni proximam, *prospe-*  
*ritas stultorum perdet eos.*

Permittite, ut veritatem hanc clarius illustrem com-  
paratione quandam D. Augustino Familiari, quam prae-  
senti materiae subministrat. Aspicite, petit ille, piscem  
hamo interceptum, an non eodem pariter momento mor-  
tem deglutiit, quo escam devoravit? gaudet ob praedam,  
quam cepit, at sui interitum non sentit, usque dum pisca-  
tor suum hamum retrahit: *Sis sunt omnes, qui de bonis tem-*  
*poralibus se beatos esse putant, hamum acceperunt, & cum*  
*illo vagantur.* En vivam prosperitatis peccatorum ver-  
bis S. Doctoris adumbratam imaginem. Latatur impius,  
sibi gratulatur, quod virum bonum defraudarit, horum  
pupillorum hereditatem sibi appropriarit, sed miser non  
advertit hamum irae & vindictae Divinae, quem simul  
abstraxit: *habet hamum in faucibus*, aliquot ei annos  
Deus adhuc indulget, quibus pro lubitu, *cum illo*  
*vagatur.* Actum tamen est cum ipso, captus, perdi-  
tus est, & si quis istius invideret felicitati, aequè ac  
ipse

ipse captivus deberet ignorare suum infortunium: *Noli gaudere ad piscem in esca sua exultantem: per escam ipsam, de qua letatus est, ad consumptionem trahitur: hoc est, sub apparentis fortunæ escâ latente hamo rapi in mortem: hoc est, in prospero successu invenire suorum bonorum jacturam, suæque familiæ ruinam.* Bina pro confirmatione dictorum in scriptura occurrunt exempla, unum, quod magnatibus, alterum, quod deservit plebeis.

Achab, si quis unquam Regum fastos sceleribus contaminavit, præcipuus inter eos fuit; hic Nabothi vineam suo palatio affinem, ad hortum exinde construendum, quàm maximè opportunam ardentè ambiit; petit is illam à possessore, preces & pretium offert, quam tamen cedere, utp. suorum parentum hæreditatem, Naboth pialo sibi non levi duxit: *Propitius sit mihi Dominus, opponit iste, nè dem hæreditatem patrum meorum.* Avarus princeps repulsam passus, tantâ obruitur tristitiâ, ut in lectum deciderit: *proiciens se in lectum, avertit faciem suam ad parietem, & non comedit panem.* Rumor regiæ displicentiæ brevî defertur ad Jezabelem Reginam, marito suo longè nequiores; hæc cubile subiens, quid hoc, decumbentem affatur Regem, quæ subitanea tempestas tam inrempestivam tuæ Majestati afflavit melancholiam? Naboth ejus origo est, indignabundus reponit Achab, qui suam, quam petii vineam, dare mihi renuit. Causâ infirmitatis cognitâ facilem ac velocem medelam regia conjunx pollicetur, Regem è lecto surgere, mensæ assidere jubet non sine muliebri sarcasmo: *grandis authoritatis es, & bene regis regnum Israël; mihi negotium hoc relinque, quod confestim è voto tuo expediam, vineam tibi tradam.* Annulus, charta mox adsint, Regina mille virtutis

sutiis

futiis instructa, calamum manui, manum chartæ admoveat, rescriptum conficit, ad principes, urbem Nabothi inhabitantes, transmittit cum mandato, ut acceptis literis, duos Belialis filios, falsos testes inquirant, qui Nabothum Divinæ & regis Majestatis læsæ reum, blasphemum contra Deum, verbis injurium in regem accusent, adductis dein, & auditis testibus sententiam ferant. Quales testes, tales judices, omnes corrupti, qui recipientes literas regio sigillo munitas, Nabothi vitam morti, bona Regis fisco, parentem cum suis universis liberis obruendum faxis iniquissime adjudicârunt. Nuntio de executione consummata accepto, Jezabel plena gaudio cum optatissimis suis novellis properavit ad Regem, vineæ domino vacantis possessionem offert, surge, ait, & posside vineam Naboth. Ibidem, v. 15. Subfiliit præ lætitiæ æstu pectus Regis, qui se mox itineri accinxit, aditurus possessionem hæreditatis desideratæ. Videtis piscem hunc, qui vix præpinguem bolum istum glutit, & perit, *habet hamum in faucibus, cum eo vagatur,* nihil interea adversi suspicatus. At Deus Eliam vocat, ad Achab, vineam accedentem, ablegat; qui zelo ardenti Divinæ gloriæ stimulatus, celeri gressu Regem assequitur, & alloquitur: Rex, inquit, placeat tibi audire verbum intimandum nomine Dei qui manibus tuis sceptrum & regnum consignavit: *Hæc dicit Dominus, occidisti, insuper & possedisti,* ut infrænata tuæ concupiscentiæ fieret fatis, si non erat spoliari innoxium, ejus spoliis te ditari, nisi etiam vitam illi extorqueres. Ah! tragœdiæ finem necdum spectâsti, longè aliam, quam ominere, fortietur Catastrophem. Aspice, non lentu passu incedentem Dei vindictam; *hæc dicit Dominus: in loco hoc, in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lambent quoque sanguinem tuum.* Ibidem, .19. Ecce, pregit ulterius Propheta, *ego inducam super te ma-*

lum . . . & interficiam de Achab mingentem ad parietem. Juro, quòd scelera tua non dimittam inulta, effundam super te, tuamque familiam meam maledictionem, domum tuam cumulo cædibus & latrocinis, stirpem tuam radicitus extirpabo, uti Jeroboamum cum suis abolevi, & extinxi. Vanas minimè fuisse minas, brevi probavit eventus. Ahab fuit interemptus, Jezabel caninis dentibus in prædam cessit, impia Regis posteritas penitus è medio sublata. En speculum, in quo se contemplantur magnates.

Sequitur aliud pro plebeis. Giezi infaustus Prophetæ Elisæi servus, credebatur se opportunam nactum occasionem, ditescendi, tunc temporis, quando contra inhibitionem sui magistri cum impudenti mendacio petiit, & obtinuit à Naaman principe vestes aliquot, quamquam item argenti summam: sed hæc fortuna, qua se fortunatissimum censuit, in extremum infortunium repente se commutavit: prout opimis hæcæ spoliis ditato Propheta præfagit, eidem exprobrans: *Acceptisti argentum, & acceptisti vestes, ut emas olivea, & vineas, & oves, & boves, & servos, & ancillas.* Comparasti thesauros, exinde conduxisti famulos, à quibus tibi deserviat, quia servire amplius, te piget; cum tibi sufficias in tuo sensu, omnibus abundes, sed quantum à veræ felicitatis tramite miser aberras? Naamani quippe lepra, à quo accepisti argentum, te, tuosque posteros uni versos inficiet, infestabitque. en lucrum è dolosa negotiatione tua relatum, egestatem, infamiam, dedecus, infirmitatis tuæ comites individuos. Idem non rarò inter nos fieri observamus. Opifex mercator: iste se multum in œconomia profecisse censet, dolosè alios in mercimoniis circumveniendò: hoc tamen ipsum est

est, quod maledictionem Dei iis procurabit. Paupercula quædam filia se felicem iudicat, si mediante illicito questu aureos aliquot in emptionem melioris amictus obtinuit, sed hoc est, quod eam suo exuet honore, cum dispendio fortassis æternæ simul salutis.

Num ergo comprehenditis aliquando, damnosa ejuscemodi esse lucra, modos acquirendi domino suo fatales, & mundanos nimium credulos falsis sapius perfrui gaudiis? Achabo quidem vinea è voto cessit, sed simul alteri regnum cedere debuit, acquirens vineam, amittens imperium; finem suæ intentionis assecutus, exultat, quia nescius, quod subtrus lateret malum, quodd iæus hic ridentis fortunæ lethalis se vitâ, regnoque exspoliaret, & quodd Deus studio talem caparet successum, ad eum cum universa Regali familia in illo, vellut in fossa propria, sepeliendum, *prosperitas stultorum perdet eos.* Prov. I. 33.

Per Deum obsecro, firmiter hanc nobis imprimamus veniunt, iudicium feramus de rebus secundum principia fidei: si oculorum nostrorum acies est nimis curta & debilis, mutuemus à Deo lumina, & loco plausus, quem damus impio, fallaci suæ felicitati innitenti, aut invidiæ, quâ forsan tangimur, dicemus, ac sentiemus cum Jobo, quodd impius in prosperitate sit maledictus omniâque mala in ipsius caput sint devolvenda brevi tempore; *Ego vidi stultum firma radice. & maledixi pulchritudini eius.* Job, 5. 3. *statim.*

Adde: si hæc è peccatis propagata prosperitas aliud nil progigneret, quàm bonorum jacturam, tragica mortis fata, familiarum exterminationes, damnanda foret, sed, quodd longè magis funestum, infert prætereà peccatori amissionem irreparabilem bonorum simul spiritualium &



æternorum, eique suam in cælesti patrimonio portionem subtrahit: cælo eiicit, ad tartara dettudit: *prosperitas stultorum perdet eos.* Quod secunda mea parte paucis demonstrandum assumpsi.

II.  
Punctum.

Nil melius in Scripturis Sacris probatum constat, quàm adversitatem proborum hominum esse, quandam Prædestinationis notam. *Flagellat omnem filium, quem recipit.* Pari modo, improborum prosperitatem esse signum reprobationis illorum. Quidam Doctorum inquirunt, cur Christo in monte Thabor gloriôsè transfigurato, suæque Divinitatis majestatem exteriori splendore manifestante, testificantibus Moyse & Elia, ipsiusque magnificentiam unà publicantibus, Pater cœlestis voce perceptibili de eo enuntiârit: *Hic est filius meus.* At è contrario, dum Ideam supra Calvarix verticem plagis deformatus, ignominis oppressus, in medio latronum, illum blasphemantium, Cruc penderet affixus, altum teneat silentium, nè quidem unico verbo suum istum esse Filium, prodat.

Lucæ, 9. 35.

Qui dubium movent, etiam solvunt, & docent, causam esse; in priori monte Christum comparuisse in statu prosperitatis, qui non est, ordinariè loquendo competens filiis Dei, at in Calvarix monte supra Crucem manifestè prætulisse signum filiorum Dei, patientiam videlicet: in hoc statu tam apertè erat cognoscibilis, ut qui prius illum in suis prodigiis ac miraculis non noverant, filium Dei mox profiterentur, quamprimùm mortem subire vidissent: *Verè hic homo Filius Dei erat.*

Marc. 15. 39.

Si consideremus prosperitatem illam etiam, quæ per media licita est obtenta, ipsam conferendo cum statu & inclinationibus hominum, tria nobis occurrunt notabilia  
motiva,

motiva, quæ subministrant rationes efficaces ad convincendum, talem prosperitatem plerunque peccatori procurare interitum bonorum omnium spiritualium.

Primò prosperitas ista nos tentationibus vehementioribus & difficilioribus involvit. Secundò, mater est omnium vitiorum, & noverca virtutum. Tertio, reddit hominem incorrigibilem, ac consequenter disponit peccatorem ad finalem impœnitentiam.

Hebræi uno eodémque utuntur verbo, ad exprimendam felicitatem & tentationem, quo significare videntur, virtuti æquè felicitatem, ac tentationem adversas esse. Adversitas, vult S. Ambrosius, solam patientiam in arenam provocat, prosperitas contra omnes virtutes simul & semel arma movet. *Tribulatio unam patientiam probat, prosperitas verò omnes virtutes.* O quàm perniciosa probatio! quàm pauci huic non succumbunt! Verè generosum se ostendit, qui Fortunæ laqueis se irretiri non permittit, cùm blandam explicat frontem: *magnus cui presens felicitas, si arrisit non irrisit.* Meam, inquit seneca, ingenue fateor imbecillitatem; amo potius fortunam me duriter, quàm delitiosè habentem, ejus verbera excitant virtutem, quam delitiæ corrumpunt, & enervant: *Malo me in castris suis fortuna habeat, quàm in delitiis; torqueor, sed fortiter: bene est.*

Ratio hujus rei desumitur ex morali Philosophia, seque in eo fundat, quòd impugnati ab adversitatibus, sentiamus ex parte nostra stantem appetitum irascibilem, animæ portionem fortiozem, quam comitantur pariter passiones magis generosæ; ut sunt, mali odium, animositas, desperatio. At tentatis à prosperitate assistit appetitus concupiscibilis, potentia animæ debilior, ubi inter-  
veniunt

veniunt non aliæ, præterquam molles effeminatæ affecti-  
ones, quales sunt, desiderium, amor, gaudium; quæque  
suspectas occultè intelligentias fovent cum hostibus, à  
quibus impetitur.

Reperiuntur propemodùm infiniti etiam, qui in  
summè arduis & diuturnis conflictibus fortiter resistunt,  
indeque triumphum reportant; sed paucissimi, qui æquè  
voluptatem in triumphum ducant. *Plures inventas!* doct-  
rina est Tertulliani, *quos magis periculum voluptatis, quam  
vitæ avocet ab hac secta*, quod idem probat exemplis à pri-  
mævi fervoris Christianis desumptis, qui devictis leoni-  
bus, superatis equuleis & torturis cessère tandem volupta-  
tum blandimentis. Satis erant animo obfirmati ad to-  
lerandum Martyrium, non tamen æquè muniti ad tuen-  
dam castimoniam contra præsentis voluptatis insultus.

Spectandos propono vobis duos Viros admodùm il-  
lustres, ambos à mulieribus ad peccatum provocatos,  
Adamum & Jobum. Omnia videntur jurare in fortu-  
nam & victoriam Adami, at conspirare in Jobi ruinam &  
perditionem. Prior floret in statu innocentia: posterior  
marcet in statu naturæ corruptæ; Adamus Deum, ut  
suam originem immediatè respicit, suam Jobus è parenti-  
bus trahit idololatriæ. Nihilominus hic gloriose vincit,  
ignominiose vincitur ille: non aliam rationem assignat  
D. Chrysostomus, nisi istam; Adam in loco voluptatis,  
Job in loco adversitatis, pugnam quisque suam fuit auspi-  
catus: *Job cautior est in stercore, quam Adam in paradiso.*

Si ergo Sanctimonia justitiâ celebriores viri periculo  
damnationis sunt obnoxii, & tentationibus succumbunt,  
dum versantur, & pascuntur in felicitatis prato, quantum-  
libet innocuæ; quando magis periclitari sunt censendi  
pecca-

peccatores, prosperitatis damnatae delitiis submersi? certe prosperitas stultorum perdet eos.

Experientia item superabundanter nos instruit, prosperitatem esse vitiorum omnium matrem, quod ipsum, etiam psalmista animadvertit: *Cum hominibus non flagellabuntur. Ideo tenuit eos superbia, aperti sunt iniquitate & impietate sua.* Psal 72, 5. 6. Ac si diceret, quia non patiuntur aliquid aduersitatis, quae juxta Chrysostomum est *mater omnium virtutum*. Econtra fortunae bonis diffluunt, quam S. Dorotheus ventum exsiccantem & urentem, sterilitatem animae inferentem appellat; mirum non est, omnium penitus vitiorum sordibus coopertos esse fortunae candidatos. Maledictus hic adeps, seu bonorum affluentia procreat, superbiam, avaritiam, luxuriam, Dei oblivionem, caecitatem, cordis duritiam juxta illud: *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum.* Ibidem, 7. Cujus ratio defumitur ex principiis moralibus: objectum virtutis est bonum honestum, spirituale & supernaturale; objectum verò vitiorum est, bonum materiale ac sensibile. Sed prosperitas animam à bonis spiritualibus & invisibilibus abstrahit, bonis materialibus atque sensibilibus affigit. Ne miremini igitur, si cum SS PP. prosperitatem vitiorum matrem, virtutum novercam dixerò.

Periculosissimus malae prosperitatis partus est incorrigibilitas, ad quam illa peccatorem adducit, indeq; consequenter abducit ad finalem impenitentiam.

Medium suos corrigendi defectus est eorum reprehensio; isti autem falso felices neminem habent, nec hominem, nec Deum, qui ipsos reprehendar. Ut homines tales arguere ausing, necessarius foret animus & animositas S. Joannis Baptistae, seq; ii prepararint cum eodem ad subeundum carcerem.

Q

Præ-

Prætereà potentes illi proceres plerumq; piis hominibus sunt inaccessibiles, nec conciones ordinariè frequentare solent. Hinc pullulare lernam malorum omnium, vaticinatur Regius Propheta: *Laudatur peccator in desideriis anima sua, & iniquus benedicatur.* Videte fratres mei, glossa est D. Augustini in cit. textum, *deest ultor, & adest laudator.*

Psal. 10. 5.

Inveniunt proinde mille fautores suorum scelerum, vix unum morum integrum censorem. Neq; reprehenduntur à Deo, quia semper se foras effundunt, sibi nunquam præsentis, gaudiis, ac delitiis mundanis propemodùm absorpti, ut querelas, increpationes mediantibus conscientia remorsibus Divinitus immittendas minimè advertant. Oporteret Deum, altâ voce intonare ejusmodi furdastris, si ab iis vellet audiri, & intelligi; qui vice versâ veluti mutus altum tenet silentium, nec verbo ipsos dehortatur, non aliter considerans, quàm ut infantes derelictos: *Nonne filii, nonne patiens fui?* Deberet Deus moveri ad iram, clamare parentis instar irritati, virgâ suâ eos corripere: hoc tamen non agit, quoniam illos suâ irâ indignos judicat.

Job 42. 14.

En, quæ sit ultima ira, & irati, Dei pœna; *Vis nôsse, quanta sit pœna, nulla pœna,* inquit S. Augustinus, explicans Psal. 10. 6. Psaltis versiculum illum, *secundum multitudinem iræ suæ non queret,* quando Deus punire ulterius non vult, tunc maximè suæ vindictæ rigorem demonstrat. Id se olim practicasse, testatur per Ezechielem: *Auferetur zelus meus à te, & quiescam, nec irascar amplius,* quæ sic D. Hieronymus interpretatur: *non amabo te amplius, & non curabo, vos deferam, relinquam vos, vestras sequi passiones, & moriemini in cæcitate vestrà juxta Davidis pronuntiatum: Dimisi*

Ezech. 16. 42.

*missi*

*missi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventio-* Psal. 80. 13.  
*nibus suis.*

Hæc satis sint ad detegendas illusiones mundi, & ad ostendendum, quòd peccatori, fallaci deliciarum mero inebriato, idem suo modo eveniat, quod D. Petro in Thabor constituto, cum uterq; dicat: *bonum est, nos hic esse;* utriq; aptari possit, quod sequitur: *nesciens, quid diceret.* Lucæ 9. 33.

Nolo inducere loquentem quendam Prophetam amplius, nec vobis inclamare cum Amos: *Vae, qui opulenti estis, in Sion, optimates, capita populorum, ingredientiæ pompaticè domum Israël. Qui dormitis in lectis eburneis, qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti, separati estis in diem malum.* Amos 6. 1. 4. 5. 3.

Nolo inquam Prophetas, sed ipsum Magistrum Prophetarum, Christum Jesum audiri, hic omnium mortaliū mansuetissimus, biliosum se in mundanos istos exhibet, Agnus hic ut leo rugit ob fatuam illorum felicitatem, minas intentat: *Vae vobis divitibus.* Damna estis, pars Luc. 6. 24.  
vestra erit stagnum ardens in inferno; ad probandum id non in medium produco continuum vestrarum divitiarum abusum, vestras avaritias, vestras injustitias, exercita in pauperes crudelitatis exempla: nolo rimari fundum conscientiarum vestrarum, propalare vestras brutalitates, probrosa facinora, infames deordinationum vestrarum excessus, quæ omnia fructus sunt, quos è mundanæ prosperitatis arbore colligitis. Sufficit, perditos & reprobatos vos proclamare; *quia habetis nunc consolationem vestram.* Ibidem.  
Nunc tempus est plorandi, & laborandi, vos autem ad genii vestri lubitum consumitis id in delitiis, mollem, effœminatam ducitis vitam. Vos fruimini diebus optimis, estis jurati hostes Crucis ac Pœnitentiæ; sententia jam est dictata,

dictata, fletus, stridor dentium, supplicia in æterum duratura vos expectant.

Christus, ipsa Divina Veritas hæc denunciavit; quapropter blandiatur sibi peccator ob fortunam suam, quamdiu placuerit: si non omnem omnino ejuravit fidem, necesse est, ut, quoties perniciosæ suæ prosperitatis meminit, dicat: aut nullus est Deus, aut momentanea hæc felicitas parturiet mihi infelicissimam æternitatem; quoties talis intuebitur mensam opiparis lautè instructam epulis, sentiens unà eodem tempore conscientiam suam sceleribus refertam, suspirabit miser, & fatebitur, se hactenus egisse personam Divitis Epulonis; quid ulterius restat, quod expectem, dicet, nisi sitis, quæ me torqueat, nisi ignis, qui furoris sui flammis me absumat?

Vos animæ justæ, quæ lubenti corde inflictam à Patre vestro castigationis disciplinam recepistis, vos ipsos sponte susceptâ pœnitentiâ puniistis, animam potius misericordem & compassionem, quàm invidiam aut iram ostendite erga fallacis mundi istius felicitatis alumnos. Bene perpendite, quòd illa sint vasa in honorem, quæ sculprum frequens sculptoris cæte chalcographi sentiunt, non in ignominiam destinata. Quòd aurum mittatur in ignem, ut probetur, non plumbum aut ferrum; quòd frumentum, non lolia vel zizania flagellis cadantur; quod soli infantium numero adscripti, non item extranei castigentur. Relinquire hîc mundanæ fortunæ Thaboræum verticem, vos contendite alacriter subire montem

Calvariæ, unde rectissima via vos ducet ad cœli gaudia, quò nos pariter conducant Pater, Filius & Spiritus Sanctus, Amen.



# V. IMPIUS,

## Maledictus in sua Adversitate.

*Si audire nolueris vocem Domini Dei tui, sis oppres-  
sus cunctis diebus, & non sit fortitudo in ma-  
nu tua. Deuteron. 28. v. 15. 33. 32.*

**V**erum est, quod sicut Redemptor noster Cruci se  
uniendo infame prius instrumentum in gloria  
& salutis signum convertit, ita æquè assumendo  
carnem, & in ea pœnas ac dolores sustinendo, hos, qui  
olim erant reliquæ & fructus peccati, mirandâ metamor-  
phosi transtulerit in characteres gloriosos, quibus Dei in-  
nobis similitudo esset exprimenda :

-- -- -- pœnam vestivit honore,  
*Ipsaq; sanctificans in se tormenta beavit.*

Sic cecinit ex antiquis Christianus Poëta nomine Sedu-  
lius.

Exinde tamen non sequitur, omnes Crucifixos in-  
Divorum catalogum esse referendos, nec afflictos semper  
esse beatos ; uno verbo, non infertur hinc, quod adversi-  
tas sit signum salutis semper, & nota prædestinationis.  
Non solum in plateis infamibus Babylonis, sed etiam su-  
pra sublimitatem S. montis Calvarix deprehenduntur re-  
probati. Nec è voluptuariis palatiis duntaxat Divitis  
Epulonis, descenditur in abyssum inferorum ; imò (quis  
cogitasset unquam ?) è sublimitate Crucis edusque devol-

Q 3 vitur.



vitur. Myſterium eſt, ut obſervat S. Auguſtinus, quod vobis, in duobus viris ad Chriſti dextram, lævamq; Cruci affixis, ſpectandum proponitur. Ut ſciremus, eſſe ibi quosdam ad dextram cum patientia & reſignatione, hos autem fore in numero electorum; alios ibidem ad ſiniſtram in pari ſupplicio exerceri, at cum impatientia & murmure, ad reprobis gregis proinde haras ſpectare. Tribulatio ab eodem Doctore Eccleſiæ comparatur vento, qui fruges purgat; *palea volat, frumentum manet.* Ignis eſt, quem ad nos probandos Deus adhibet: *igne me examināſti.* In eodem igne adjungit hic S. P. aurum purificatur, cum majori ſplendore inde prodit, ubi palea in fumum abit, & evaneſcit; *Sub eodem igne aurum rutilat, & palea fumat.* De illo igne afflictiones ſunt, cujus pſalmiſta mentionem infert, de impiis cum Deo diſſerens: *In ignem dejicies eos, in miſeriis non ſubſiſtent,* probare quidem illos, tentabis Domine in fornace tribulationum, ſed ſe probari non ſuſtinebunt, amiſſuri omnem patientiæ ſenſum, pejores adhuc inde redibunt. *In miſeriis non ſubſiſtent.*

Pſal. 16. 3.

Pſal. 139. 11.

## DIVISIO.

Ecce quale malum Spiritus S. comminatur impio verbis meis in themate expreſſis: *Sic oppreſſus cunctis diebus, & non ſit fortitudo in manu tua.* Probo maledictionem iſtam triplici ratione, quæ diſcurſui meo trina pariter miniſtrabit puncta,

Prima eſt, quòd peccator pati renuens, ordinationibus Dei unà reſiſtens, cruces & tribulationeſ efficiat pernicioſiſſimas, etſi ſint in intentione Divina optimæ, ex naturâ ſuâ indifferentes habeantur. Secunda eſt, quòd idem ſe privet ſolatiis, robore ſpirituſali, quibus muniuntur & fruuntur juſti in cruce ſua toleranda. Tertia eſt, quòd is  
pro-

proprie voluntati mordicus semper affixus, suisque vitiis obstinate inhaerentes nullum utilitatis emolumentum è passione sua hauriant, illo medio semet condemnet, quod alios salvat. Maledictus est ergo impius supra crucem, quam peccati sui veneno intoxicat, graviore onere accumulatur, & magis intolerabilem reddit per suam impatientiam, quamque scalæ loco sibi applicat, ut per eam commodius descendat in infernum. Infaustum hoc fatum procul à nobis amoliamur, & petamus lumina S. Spiritus, mediante ea, quæ ab Angelo salutata. *Ave Maria.*

Suscipere in me nolo hinc probandi onus, quod nim. I. adversitatum tolerantia secundum Divinas ordinationes Punctum, considerata, mala ex se non sit, cum omnibus constet, id, quod à summo bono provenit, quodque nos summi boni participes constituit, quod etiam à summo bono fuit amatum, malum esse non posse. Adversitates verò promanant à Deo, qui est summum bonum, ipsæ perducunt nos simul ad Deum, sunt item ad hoc electæ, & ordinatæ à Deo. Cum itaque tam arctè sint confederatæ Deo supremo bono, malæ esse nequeunt. Malum, si quod inibi lateret, non tenet se ex parte tolerantia, sed in sola voluntate peccatoris perversa consistit, qui se Divinæ dispositionis imperio submittere recusat. Malum non est pati, sed nihil velle pati.

Pagana etiam Philosophia tantum habuit luminis, quod ad manifestandam hanc veritatem sufficeret. Accipite Senecæ generosa judicium supra materiam præsentem formata: *Tu indignaris aliquid, aut quereres; & non intelligis, nihil in illis esse mali, nisi hoc unum, quod indignaris, & quereres.* Omne malum originatur ex propria voluntate. *Valentior fortunâ voluntas est; hæc sola causa est*

est fortunæ aut infortunii sui, omnia dependent à modo, cum quo ea res recipit & acceptat: *Ipsa res suas ducit, beatæq; ac misera vitæ ipsa sibi causa est.* Alibi rursus profite- tur suam opinionem: *Nihil puto viro miserum, nisi ali- quid esse in rerum natura, quod putet miserum.*

Est aliquid nimium de bonâ opinione sui ipsius di- ctum in ista Senecæ morali Philosophia. Consultamus Theologiam PP. incomparabiliter magis sanam & meliùs fundatam.

Audiemus Sacrum os aureum, D Chrysoftomum, qui veritatem hanc probat integro tractatu, cui inscripsit epi- graphen sequentem: *Nemo leditur nisi à seipso;* seu, quis- que sui infortunii faber est. Ubi S. Doctor rationes con- vincentes producit, omnia dependere à bona aut maligna voluntate nostra: bonam illam esse, si gratiæ Divinæ co- operetur, gratum acceptet, ratum habeat, quid quid à Deo ordinatum; malum e contra, si abutatur suæ liberta- tis prærogativâ, gratiam Dei rejiciat, ejusq; dispositionibus resistat.

Attendamus item S. Anselmum, qui tradit nobis axioma certum omnino & indubitatum, siquidem id probari potest experientiis infinitis, maximè sensibili- bus: *Nihil est alicui pœna, nisi quod est contra volunta- tem.*

Num quidquam videtur esse magis arduum, quàm militaris vitæ conditio? Jacet miles sub dio & super dura humo, famis, sitis ærumnas sustinet, omnibus temporum injuriis perpetuò expositus: intereà tamen ille gaudet, se felicem judicat, quia hoc vivendi genus ei placet, & omnes istas belli molestias lubenti animo complecti- tur.

Legite

Legite prolixam miseriarum enumerationem à D. Paulo initam, quæ fuerunt stipendium ordinarium servorum Dei: *Lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt, circumierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti*: Omni tormentorum genere cruciabantur, vivebant in extrema egestate & continua ignominia; et si in ipsos turmatim irruerent, quæcunque homines reddere possent coram mundo infelices, internam nihilominus cordis serenitatem, animi lætitiã prodiderunt hilaris exterior facies, verba oris suavissima, è quibus facile omnium felicissimi arguerentur. Rationem hujus affert Salvianus; *Nemo, inquit, aliorum sensu miser est, sed suo, & ideo non possunt esse falso aliorum judicio miseri, qui sunt verè conscientia sua beati*. Imò omnis eis adimitur honor, onerantur opprobriis. O! quàm dudum omnem sæculi pompam pedibus conculcaverunt. *Inhonorati sunt, honorem respiciunt. Contemnuntur, ridentur, sed humiles sunt, hoc volunt*. Omnibus suis bonis exuuntur, expilantur undique, nil remanet usquam. *Pauperes sunt, paupertate delectantur. Inter quolibet aspera nulli latiores sunt, quàm qui hoc sunt, quod volunt*.

Hebr. 11. 37.

Salvianus lib. 1. de Provident.

Dependet à nobis, cooperante Divinâ gratiã mala nostra aut alleviare, aut aggravare; istud inquam dependet ab animo, cum quo illa excipimus. Id ipsum Divina Sapiencia in Proverbiis clarè confirmat: *Non contristabit justum, quidquid ei contigerit*. Quare? quia nil ipsi accidet, nisi quod Deus voluerit. Quodcunq; verò Deus vult, idem iste ex corde vult. Siquis autem aliquid ex corde velit, illud diligit. *Ubi amor est, concludit S. Ambrosius, ibi dolor non est, ibi non est querela*. Hoc veritati

Prov. 12. 21.

R

adeò

adeò conforme judicavit S. Augustinus, ut asserere aude-  
ret, quòd si damnati infernum æquanimiter, & cum re-  
signatione propriæ voluntatis in Justitiæ Divinæ ordina-  
tionem, tolerare possent, infernus eos non amplius tor-  
queret, sed in eo solatium & refrigerium invenirent. Con-  
stat itaque, etiam juxta D. Bernardi mentem, omnes no-  
stras pœnas & afflictiones amaritudinem suam derivare  
ex amaricato fonte, seu damnato pruritu, quo rapimur ad  
voluntatem nostram explendam, id est, ut tales simus, &  
quidem in eo statu, in quo esse, nos volumus, nobisq; me-  
liorem imaginamur, non in quo Deus esse nos vult; *In ipso  
pruritu propriæ voluntatis pœnas omnes sustinemus.* Si quam  
displicentiam & amaritiam in corde sentimus, effectus est  
deordinatæ duntaxat voluntatis, non item afflictionis.

Suppositâ hâc ratiocinatione innixâ SS. PP. autori-  
tati & experientiæ, lubet veritatem istam ex altioribus  
principiis haurire, & demonstrare.

Dubitare non licet nobis, quin ad minimum irroge-  
mus injuriam Christo, ejusque Sacratissimi Nominis glo-  
riam imminuamus, sentiendo, illum nostrum non esse  
Jesum, id est, nostrum Salvatorem, amabilem Redempto-  
rem, amicabilem medicum nostrum non esse. De quo  
nos malo ipse exemit, & cui malo remediû applicavit?  
exclusitne cruces, passiones, mortificationes externas?  
nihil minùs; è contrario suæ Crucis arborem plantavit  
undique, & simul nos docuit, quòd genuinis suis discipu-  
lis Crux jugiter esset ferenda; se non venisse, idem asserit,  
ut falsam hominibus pacem procuraret, & fraudulentam  
hanc prosperitatem, quæ carni & sanguini faveret, indul-  
geret; quin potiùs hostis instar videtur ignes spargere,  
ferrum

ferrum stringere, in mundo classicum canere: *Non veni* Matth. 10. 34.  
*pacem mittere, sed gladium.* Est Deus amoris, qui ferit, læ-  
dit, & qui succendit corda nostra.

Ecclesia est velut amplum quodpiam hospitale, ubi  
admirabilis iste medicus sanat agrotos, vulnere amoris  
Divini decumbentes: Hic oculis occurret vestris S. Fran-  
ciscus, sacras & profundas Stigmatum plagas detegens,  
qui fatebitur vobis, eas ab amore Dei inflictas. Hic in-  
telligetis ex Ignatiis, Xaveriis, Teresiis, Catharinis, Ger-  
trudibus cum Jobo protestantibus: *Posuit me sibi quasi in-* Job. 16. 13.  
*signum,* vel cum S. Augustino audietis exclamantes: *Gesta-*  
*mus pectora transfixa vulneribus.* Amabilis iste hominum  
Servator ergo noluit excludere Cruces & passiones; in-  
terim tamen intendit excludere omne malum. Opor-  
tet itaque, nullum reperiat in Cruce malum, sed in vo-  
luntate respuente crucem, & in corde obmurmurante  
contra afflictiones cœlitus immittas.

Hæc satis sunt, ad probandum, quòd solus impius in  
suis adversitatibus sit infelix, eoquòd solus ille habeat ma-  
lam voluntatem hanc Divinæ Providentiæ ordinationi-  
bus oppositam. Ipse pariter est, qui in afflictionibus  
amittit patientiam veneno suas plagas inficit, lethales effi-  
cit, estque causa veræ & omnis suæ infelicitatis.

Vera igitur infelicitas, seu verum malum peccatoris  
afflicti, non est hæc bonorum jactura, hic contemptus, aut  
contumelia, vel infirmitas; sed mali totius radix alia non  
est præter cor ejus malevolum, voluntati Dei contrarium.  
Malum, quo laborat, est cor suum inquietum, murmu-  
rans contra Deum. Si sciretis immutare voluntatem  
impii, cor illius eximere, loco istius cor Sancti Jobi infe-

R 2 rere;

rere: mox nil aliud ibi ad verteretis, quam sensus resignationis in mente, benedictionum voces in ore. Denudate ipsum posthæc rebus & vestimentis omnibus, audietis intonantem canticum illustrissimi afflictorum Principis Hussæi: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum.* Onerate eundem, si placet opprobriis & ignominiiis, cum Davide exultans clamabit: *Bonum mihi, quia humiliasti me.* Intendite dolores, accumulate morbos illius, suspirabit cum D. Augustino: *Hic ure, hic seca, dum modo in aeternum parcas.* In acervum congerite, omnia quæ concipere potestis mala, ridentem cum S. Paulo exhibebit vultum cum dicto item Apostolico: *Placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo.* O Deus qualis metamorphosis: paulò ante se credebat miserissimum, nunc deprædicat se felicissimum.

Job 1. 21.

Psal. 118. 61.

2. Cor. 12. 10.

Quid autem circa hominem istum à vobis actum? sustulistis vel sublevastis ipsius inopiam, liberum à miseriis suis dimisistis? nequaquam, solum itaque cor ejus perversum exemistis. O malum cor! tu ergo causa es unica, & maledicta radix tantarum inquietudinum & pœnarum in homine.

Impius ut felix evadat, non indiget, exui sua cruce, solum eget aliis sensibus in ferenda Cruce, quibus erat præditus S. Andreas, Apostolus Crucifixus, cum hoc enim si tam amanter crucem amplexaretur suam, non ferret, sed ferretur ab illa: at, quia is execratur, fugit, & odit crucem, opprimit hæc sui bajulum. *Sis oppressus cunctis diebus &c.* volo dicere, quòd si ipse corde resignato submitteret se Dei Providentiæ, à qua regitur; quantumvis hæc Providentiæ apparetur rigida, eum tamen suaviter dedu-

deduceret. Sed quia eidem se opponit, & resistit, Providentia ista trahit, abripit etiam nolentem. Sic malitia illius causat, ut sustineat cum dolore, quod sustineret cum delectatione, si virtuosus esset. Cogitatio hæc est gentilis, Christiani instar de proposita materia canentis:

*Ducunt volentem fata, nolentem trahunt:*

*Malusq; patior, quod pati licuit bono.*

Homo probæ mentis qui patienter suffert per conformitatem propriæ voluntatis cum Deo, unit, & affigit cor suum cum corde Divino, sequens monitum Spiritûs Divini in Ecclesiastico: *Conjungere Deo, & juxta Græci Eccl. 2. 3.* textûs expressionem, *Conglutinare Deo, & sustine:* ideo crucem solus ipse non portat, sed simul Deum portitorem & socium oneris habet, ac cum Salvatore nostro gloriari merito potest: *Qui me misit, mecum est, & non reliquit me Joan. 8. 29.* solum, quia ego, quæ placita sunt ei, facio semper, mecum est per suam gratiam, mediante Spiritûs sui unctione, alleviando onera, instigando dolores. Primus est qui manum admovet, me prævenit, ac antecedit, omnemq; è medio sustullit remoram, viam complanat, me manu ducit, ut notat Venerabilis Abbas Cellensis: *Præcurrit ut Abbas Cellens. tract. de panibus,* *præcurrit ut socius, succurrit ut medicus, præcurrit ut imiteris, concurrit, ne lassaris, succurrit, ne labores.*

Non idem de peccatore sentiendum; quandoquidem is voluntatem gerat ordinationibus Divinis refractariam, se à Deo sejungit; & consequenter solus ferat suæ afflictionis pondus, unius ipse cum maligna sua fortuna in arenam descendat, necesse erit. Cor illius à gratia sustentante nullum recipit levamen, inde necessariò gravitate



Eccles. 2. 15. suarum adversitatum pressus succumbit. *Vae dissolutis corde,* versio Hebræa legit: *Vae collapsæ cordi;* cordi, inquam, Deo suo, qui est columna robusta, omnium cordium unica & firma basis, non innitenti.

In quo proinde consistit etiam effectus Divinæ maledictionis; pati nimirum sine consolatione. Hoc est secundum meum punctum.

II.  
Punctum.

Num vidistis aliquando supplicii locum magis terrificum, quàm fuerit fornax Babylonica, igne è pice, resinaque in tantum succensa, ut ejus flamma, testante Divino textu, quadraginta novem ulnas ultra fornacis summitatem evolârit? Nónne viva erat imago igneus hic carcer ignei inferorum ergastuli? intereà tamen justi tres pueri inibi detenti se in quempiam paradisum translatos mirabantur, in medio flammarum læti & illæsi fruebantur Angelico vultu, alloquio, concentu suavissimo, sentiebant se gelidis Zephyri susurris refrigerari, & recreari; tota ignis activitas majores non habuit vires, quàm ut earenæ, quibus illigati tenebantur captivi juvenes, liquatæ solverentur. *Fecit medium fornacis, quasi ventum voris flantem, & non tetigit eos omnino ignis, neque contristavit.* En, quomodo, annotat S. Isidorus Pelusiota, Dei Providentia cum electis suis ludat, mittit eos in caminum ignis, fornacem afflictionis probando illos instar auri: *Tanquam aurum in fornace probavit illos.* Nec Angelus duntaxat, sed ipse Angelorum Dominus mediis flammis se intromittit in suorum solatium. Suavis ipsius misericordia veluti nubes rosca in medio ardoris, copiosum consolationis depluit imbrem. *Speciosa misericordia Dei in tempore tribulationis, quasi nubes pluvia in tempore siccitatis.*

Daniel. 3. 50.

Sap. 3. 6.

Eccles. 35. 26.

*Non sic impii non sic, sentiunt* quippe ignem afflictionis, sed sine refrigerio Divinæ consolationis, cum enim voluntati Dei acquiescere recussent, eos aliter tractare nequit, nisi ut hostes. *Foris pugna, intus timores.* Extra se videt impius, & audit lites, liberorum suorum interitus, ægritudines; intra se cruciari se sentit inquietudine continuâ ob juges remorsus ac terrores fodicantis conscientiæ. *Quid faciet malus, cum cæperit tribulari?* quærit S. Augustinus. Foris nil reperit, ubi relaxatione vel modicâ fruatur, prout antehac factitabat: fortuna lava, seu potius Divinæ Justitiæ rigor ruinam bonorum ipsius intentat, divitias subtrahit, officiis, honoribus, sanitate illum exuit. *Foris ablata sunt omnia; in conscientia nullum solatium* occurrit præter inquietem & tormenta. *Non est, quò exeat, quia dura sunt: non est, quò intret, quia mala sunt.* A se abire non valet, nisi tales incurrere velit amicos, qui eum produnt, qui eum derelinquunt; vel inimicos, qui infortunio ipsius insultant; aut consanguineos, qui miserum exhibilabunt. Quòcūque se vertat, obviabit undique adversitas. In seipsum redire æquè frustraneum, siquidem nihil in se deprehendit præter peccatum & voluntatem Divinis ordinationibus rebellem. *Non est quò exeat.*

Quemadmodum justus, qui patienti ac resignato animo iustinet, cum Deo unitus, non habet præter suam adversitatem, cum quo luctetur; è contra injustus solitarius est, duos contra se in armis patitur hostes, afflictionem videlicet, quæ eum deprimit, Deum simul, cui resistit. Denique, quod malorum extremum est, nihil suis miseriis promeretur ille, quàm miserior ut semper evadat, deterior

Pfal. 1.4.

2. Cor. 7.5.

S. August. in  
Pfal. 1.

rior inde fiat, unde debebat remedium sperari. Iste est effectus tertius maledictionis reprobi, simulq; materia tertii mei puncti.

III.  
Punctum.  
Job 5. 18.

Constans Scripturæ sensus est, Deum immittendo adversitates, ordinariè subire officium amicabilis medici: *Ipse vulnerat, & medetur*, expertus loquitur Job. Imò tantus, quantus sit, eousque tamen se demittere vult, ut in nostris infirmitatibus nobis servire, ulcera animarum nostrarum obligare, non dedigneretur, observat S. Basilii Seleuciensis, *Tale est Numinis ingenium, ut quorum fuerit opifex, eis mederi non erubescat.* Sicut autem ægroti ingens est felicitas, si consequatur sanitatem; quantumvis amaræ potiones, ardua medicamina fuerint consumenda: ita è contrario infelicitas est extrema, post ægerrimè, & oblatrante stomacho, remedia ori ingesta omnem opem medicinæ, omnemque operam medici frustraneam & inutilem esse. Sic miserrimum D. Gregorius Nazianzenus peccatorum pronuntiat, non, quia Deus ipsum castigat, cum hoc singularis sit Divini amoris character: *Quem diligit Dominus, castigat.* Sed quòd in sua impietate obstinatus immittas disciplinas & severitates in proprium vertat salutis suæ interitum: *Non grave est plagis affici, sed plaga meliorem non efficit, gravissimum & acerbissimum est.*

Hebr. 12. 6.

Discimus è S. Scriptura, quòd Deus duplici, principali intentione moveatur ad affligendum peccatorem. Primò intendit, ut is se fateatur reum, suumque detestetur peccatum: *Castigabo te in iudicio, ut non videaris tibi innoxius.*

Jerem. 38. 11.

Secundò vult, ut ad se recurrat, illum compellere; creaturas contemnat, se in amabilia sui Creatoris brachia depo-

depo-

deponat: *In tribulatione sua manè consurgent ad me: veni-* Osee 6, 1. 2.  
*te, & revertamur ad Dominum, quia ipse cepit & sanabit*  
*nos.*

Quotnam cogitatis, fuerint è Prædestinatis, hoc tam miserando tempore, qui considerantes Dei flagella, transcuntia de regno, de provinciâ unâ in aliam, quæq; universæ Europæ nostræ faciem in sanguinolentum horroris ac miseriarum commutârunt theatrum, in seipfos seriò redierint, instituendo in anteaactæ vitæ seriem reflexionem, supra tot, tantasq; deordinationes & nequitias suas; salutaris pœnitentiæ vulnere perculsi cum Daniele exclamârunt: *Universa, quæ fecisti nobis, in vero judicio fecisti, peccavimus enim, & præcepta tua non audivimus.* In qua, Daniel, 3. 31.  
29.  
sui compunctione, per peccatorum contritionem secum statuerunt, emendare vitam, placare Numen iratum per Pœnitentiam.

Quot personæ è ruderibus destructarum suarum urbium collegerunt. Spolium bonorum jacturâ præstantius, patientiam, submissionem erga Divinæ Providentiæ dispositiones. *Totum licet seculum pereat, dummodo patientiam lucrifaciam,* votum sapiens erat Tertulliani. Si per amissionem rerum omnium hanc solam comparavero, felicem, divitem me judico.

Quot alii, videntes familias adedò potentes redactas ad incitas, cæperunt aspernari terrestria bona, concipientes desideria cœlorum thesauros inquirendi, & acquirendi? quot in publicis & particularibus necessitatibus se constitutos deprehendentes, imminuerunt vestium suarum pompam, detraxerunt sibi de mensæ luxu, ciborum pretio, qui carni & mundo valedicentes, de yotioni & charitati se consecrârunt?

S

Omnes

Omnes isti è profundo amaritudinum suarum dulces felicitatis fructus hauserunt, aduersitati adscribere debent, quòd fuerint cœno vitiorum extracti, cœlestibus gratiæ opibus ditati: unde Salvianus docet: *Nequaquam nobis dolenda est hac afflictio infirmitatum, quam intelligimus esse matrem virtutum.* Solus impius tam infaustus est, ut loco majoris in bono profectûs, ex suis quâ privatis quâ publicis tribulationibus colligendis, fiat in malo obstinatior, magisq; quàm antehac fuerat, induratus.

Ingruentibus publicis calamitatibus, considerans ille communem populum inopiâ exhaustum, cursum commerciorum intercisum, occasiones minùs faventes & millenas alias necessitates, quæ non obiter, sed profundiori inflicto vulnere cruentant; temporum malignitati imputat universa, hos præsentium temporum esse fructus, dicit.

Valde bene dixisti, mi Domine: oportet ergo, ut portionem tibi obtingentem æquanimiter perferas, nè reproborum catalago adnumereris à Regio Vate: *In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur.* Vim itaque aliquam tibi inferas, quidpiam de mensa tua demas, superfluxæ prodigalitati tuæ subtrahas, necesse est. Tali modo non discurret, & infert impius. Sed si tempus est tibi adèd iniquum, facile persuaderi debes, iniquius ea accidere operariis, artificibus, qui non inveniunt, quo vitam sustentare valeant; ingentem esse numerum pauperum in vicinia tua, præter egestatem adhuc infantium plurium mole gravatorum. Marsupium extrahe, id liberali dextrâ aperi, aut vende duntaxat partem boni cuiusdam mobilis pretiosi, & hanc temporum amaritiem dulcorabis pluribus familiis. Neque hoc vult ille capere.

tere. Tempus est malignum: nolim, ut imposterum quidquam inferatur Hospitali, nec ad captivos in ergastulo detentos, ulterius aliquid transmittatur, uti antehac fieri consuetum. Dicatur istis Religiosis ad portam mendicantibus, tempora esse iniqua, totum mundum inopiâ premi. Ecce fructum unicum, quem è sterili publicarum necessitatum messe congregat reprobis, imminutionem videlicet eleemosynarum, aliorumque Christianæ pietatis operum, quæ antea exercebat, unaque spem adhuc salutis suæ obtinendæ ei poterant ingenerare.

Quod si Deus immittendo peculiare adversitates tenter corrigere ipsius avaritiam, cumque stimulare ad concipienda cœlestium bonorum desideria per subtractionem terrestrium bonorum, ut si grandine fruges, vineas hoc anno dilapidando, obruat, vel obruendo dilapidet; inde impius occasionem arripit majoris inquietudinis & diffidentiae in Providentiam Divinam: perditum se jam credit, eò magis, ad reparandum ejusmodi damnum, non solum eleemosynas suis adibus eliminat, sed proximum insuper suum defraudat, & si Deus hæc ipsum ejiciat, illuc rursus subire contendit.

Deus applicare volens emplastrum cutandæ ejus superbix, contumeliam irrogari permittit, impedire, quò minus istud negotium ad optatum, quem prætendit, finem pertingat: dum verò is successu suo frustratus paternam Dei manum deberet considerare, bilem suæ vindictæ in suum inimicum, quo Deus solum per modum instrumenti fuerat usus, exonerat, in eum odia concipit & fovet implacabilia, omnem furorem, rabiem

effundit; ita ut Fastuosus perseverans, furiosus adhuc vindicativus etiam evadat.

Intendit Deus animæ illius procurare sanitatem per immisionem corporalium infirmitatum, conatur afflictione schiatiacæ, calculorum doloribus, turpis cujusdam ægritudinis ignominiam mortificare carnem ipsius adulteram, unaque simul extinctum in eo reanimare spiritum: sed infirmus hic peccator non solum impatientiam, tædio plenus, totam familiam suam infestat, sed blasphemias insuper in cælum evomit iratus: similis maledictis in Apocalypsi Reprobatis illis, qui blasphemaverunt

*Apoc. 16. 11. Deum cæli pro doloribus & vulneribus suis, & non egerunt penitentiam.*

Intentio Divinæ Providentiæ, uno verbo, eò respiciebat, ut aperiret oculos cæci istius felle afflictionis, hunc prodigum filium, per tam malignam tractationem ab alienigenis acceptam, compelleret reverti ad patrem suum parentem. Sed è contrario is singulis diebus spissioribus adhuc tenebris se involvit, imitatur Achabum. *Qui tempore angustie sue auxit contemptum suum in Dominum.* Tali

*2. Paralip. 23.  
22.*

modo, addit D. Gregorius, ut funestâ sorte, quod per Dei ordinationem deberet illuminare, eundem potius excæcasset; magisq; corrumpere, unde purificari debuisset; suamque impietatem roboraret nequam iis mediis, quibus esset exterminanda: *Fitque modo miserabili, ut culpa nostra, unde sperare debuit terminum, inde sumat augmentum.*

Sicut ergo peccator sic afflicto, ad meliorem frugem non redit, si non deterior fit, ita Dei ira non placatur sed irritatur, magis adhuc inflammatur. Quando Deus filios

filios

filios suos castigat, ipsi verò ex submissis tribulationibus profectum capiunt, ira benigni illius patris quiescit, imò ab iis transit, ut notat Isaias: *Et erit transitus virgæ:* Isa. 30. 32. quo loquendi more etiam Psalter utitur: *In me transierunt ira tua.* At peccatoribus obstinatis, suæ nequitix pertinaciter insistentibus constanter inhæret affixa Dei vindicta: *Ira Dei manet super eum.* Deus præsentis tempore, juxta Magni Gregorii gnomam, pœnas intentat, & immittit temporales, quibus si nil proficit, æternas demum adhibet: *Quos presentia mala non corrigunt, sequentia ad æterna perducunt.* Joan. 3. 36.

Infelix proinde est, non is, cujus vastantur agri & vineæ, qui beneficii aut officii ejusdam jacturam subit; sed qui patientiam perdens, deperdit fructum pœnarum & afflictionum suarum! Infelix ille, non quem Deus castigando punit; sed qui correptus à facie virgæ Divinæ fugit, se dedit vitiis! Infelix ille, qui se à Deo percussum, sentiens, arma offensiva necdum deponit, pacem non petit, imò ei resistere, & perseverare præsumit in sua iniquitate! Infelices isti, qui cum Christo quidem pariter Crucifixi, non tamen participant cum ipso de solatiis Divinis, neque spem ad paradysum habent; sed crucem applicant sibi per modum scalæ, qua facilius in profundum inferorum barathrum descendant! Tales afflicti verè sunt miserandi, quos deplorat S. Judas Apostolus: *Hi sunt murmuratores, querulosi, secundum desideria sua ambulantes.* Ep. Jud. v. 16. Delicati isti, quibus crux, quæcunque ferenda, videtur semper intolerabilis; impatientes isti, qui contra Deum obmurmurant, & maledictis proscindunt virgam disciplinæ, qua meliorandi corripiuntur; isti denique qui pas-



sionum suarum impetu rapiuntur volentes, cum amplexantur & ambiunt statum, non quem Dei, sed carnis dictamen suadet.

Hæc sola veritas probata, prout satis hæctenus probationibus roborata, nõne sufficere deberet, nos permovere ad execrandam impietatem? num non efficax sit ad fugiendam inquisitionem peccati? Cuncta nos sufferre oportet, siquidem pœnalitates, labores, adversitates sunt portio per hæreditatem filiis Adam à proto-parente legata & relicta. Considerate igitur, num ad dextram, num ad lævam Christi Cruci velitis affigi: an felices, an infelices in afflictionibus vestris esse cupiatis.

Si Crucem amatis, si in Crucis schola proficere desideratis, eligetis sociari Crucifixis à dextris Christi: quòd si voluntas vestra Dei ordinationibus se submittere respuat, si continuo vitiorum cœno jacetis involuti; in sinistro, & quidem loco à Deo maledicto, cum cruce vestra vos deprehendetis.

O quàm pauci numerantur inter nos, qui non pendeant inter crucifixos à sinistris! ô quàm longè plures reperiuntur paleæ in Ecclesiæ arcâ sub flagellis, quàm bona grana! plura rumpuntur vasa in fornace succensâ, quàm probentur, ac perficiantur! Nunquam tot vidimus cruceas, nunquam tam parùm patientiæ. Nunquam tot afflictos numeravimus, nunquam tam parùm probatos, & probos. Non observatur ultra hæc humilitas, hæc pietas, aliæq; ejusmodi virtutes, quæ debent esse fructus istius adeò speciosæ arboris, Sanctæ Crucis. Sumus ferè omnes similes illis pessimæ indolis mancipiis, aut pueris obstinatis, qui virgis quantumvis cæsi, in sua tamen pertinaciter

naciter persistunt nequitia; quales & ii erant, de quibus conqueritur Jeremias: *Percussisti eos, & non doluerunt: at-* Jerem. 5. 3.  
*trivisti eos, & renuerunt, accipere disciplinam, & noluerunt reverti.* Domine, afflixisti illos peste, fame & bello, manent nihilominus insensibiles. Ah! erravi, nimium sunt sensibiles in tolerandis suis malis, insensibiles quoad causam suorum malorum, quæ alia non est nisi peccatum: *Flagella sua dolent, quare flagellantur non dolent*, sic eos perstringit Gregorius Magnus.

Vellet Deus, nè hanc civitatem feriret exprobratio, quæ ab ipso alteri cuidam civitati, in sceleribus suis inveteratæ, inculcata est per Prophetam Ezechielem: *Væ ci-* Ezech. 24. v. 9.  
*vitati sanguinum &c. Multo labore sudatum est, & non exi-* 12.  
*vit de ea nimia rubigo ejus, ueque per ignem.* Omnia media, quæ adhibita, fuere frustranea; neque ignis meæ iræ & vindictæ quidquam efficere potuit, ait Deus, hinc *Im-*  
*munditia tua execrabilis, quia mundare te volui, & non es* Ibidem v. 13.  
*mundata à sordibus tuis.*

Voca, præcipit Deus Jeremiæ, voca populum istum jugiter afflictum, necdum tamen emendatum, populum à me reprobatum: *Argentum reprobum vocate eos, quia-* Jerem. 6. 30.  
*Dominus projecit illos.*

Contremiscamus ad minas tam horrendas, exq; , ut ex afflictionibus nostris proficiamus, nos exstimulent. Nè imitemur impium, qui se execratur, contra suas adversitates murmurando, oblatrat; recipiamus eas cum debito respectu, perferamus cum patientia, & loco perturbationis ac inquietudinis malorum, inveniemus hinc pacem & consolationem Divinam; tandem proferent cruces nostræ fructus gratiæ pro vita æterna: *Acquiesce Deo, & habe-* Job, 22. 21.  
*to pacem, & per hæc habebis fructus optimos.*

Sub-

Submittite vos decretis Divinæ voluntatis, ejusque vos consecrate Providentiæ, & inutiles anxietates, omnesque mentis perturbationes, quæ ad nil aliud serviunt, quàm ut vos miserabili & culpabili in statu constituent, in quietem vertentur, quam in cruce vestra capietis cum S. Andrea. Similem possidebitis pacem, quali fruatur infans intra materna brachia repositus: *Acquiesce Deo.* Obedite mandatis pii istius parentis, qui cum in finem vos castigat, ut desistatis ab hoc vicio, sitis magis devoti, eique obtemperantes: *Et pacem habebis.* Quâ non solum gaudebitis in præsentis sæculo, sed ipsam consequetur æterna in cœlis requies, a quam nos deducant Pater, Filius & Spiritus Sanctus, Amen,



SECUN:



# SECUNDA MALE- DICTIO PECCA- TORIS.

Supra Potentias Animæ.

## IMPIUS MALEDICTUS IN SVO INTELLCTU.

*Si audire nolueris vocem Domini Dei tui ... per-  
cutiat te Dominus amentia & cecitate. Deut.  
28. v. 15. 28.*

**I**N prima sermonum meorum parte oculis  
& auribus exposui impium, maledictionis  
schemate vestitum, *Induit maledictionem sicut* psal. 108. 18.  
*vestimentum*, ostendi eum maledictum à Deo  
in fortunæ bonis, in honore, in liberis suis, tam in prospe-  
ritatibus, quàm in adversitatibus suis. Jam demonstrare  
volo, quòd maledictio Dei grassetur ulteriùs in animam  
usque, cujus potentias corumpit, ac destruit; *Intravit sicut*  
*aqua in interiora ejus*: Impius nimiru sit maledictus in in- Ibidem  
tellectu suo excæcato, in ratione sua Fidei opposita, in vo-  
luntate sua perversa, sub tyrannico passionum suarum  
jugo, in remorsibus malæ suæ conscientiæ. Initium  
sumo

T

sumo à cæcitate intellectûs. Inter præcipuas Dei benedictiones, & evidentiora amoris Divini testimonia, justo cœlitus concessa, meritò accensetur, quòd ipse summus Magister velit, esse illius lumen ad dissipandas ignorantia tenebras contrarias ejus saluti: hanc benedictionem Davit omnibus justis expetiit, cum dixit. *Illumenet vultum suum super nos, & misereatur nostri.*

Psal. 66. 1.

Diversimodè Deus justos illuminat. 1. per habitum fidei & sapientiam infusam. 2. per dona Spiritus Sancti. 3. per gratiam sanctificantem, quam S. Joannes unctioem appellat; *Unctio ejus docet nos*, eòquòd per modum olei pretiosi nutriat lumen cordium nostrorum. 4. per actualem præsentiam Sancti Spiritus desiderantis in habitare centrum cordis, ut sit magister noster, juxta promissionem à Christo nobis factam in Evangelio: *Paracletus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia.*

1. Joh. 2. 27.

Joan. 14. 26.

Impius è contrario non solùm istà adeò præstanti benedictione manet exclusus, sed minis in super, infligendæ excæcationis, percellitur: *Percutiat te Dominus amentia & cecitate,*

Deut. 28. 28.

Hic peccator à Deo in intellectu excæcatus erit subiectum discursus nostris. Pro illustrandis verò hisce tenebris conferamus nos ad Patrem luminum, imploremus ipsius lumen ac gratiam per interventionem illius Virginis, quæ Solem justitiæ edidit in caliginosum antea mundum. *Ave Maria.*

De cunctis hominibus, in fausto caractere Filiorum Adam insignitis, verificatur illum Africani Doctoris August. pronuntiatum; *Omnis homo cæcus natus est.* Fidei dogma est, in prima nostra nativitate nos infelicis sortis proto-

parea-

parentum participes fieri, tam quoad cæcitatem, quam quoad originariam eorum labem. Non minus fides nos ad credendum obligat, quòd sub qualitate Filiorum Christi spectati, secundò & spiritualiter regenerati per baptismum, nascamur illuminati: qua propter à S. Paulo & Græcis Patribus baptismus vocatur *Βάπτισμα*, baptizati autem *Βαπτισμένοι*, id est illuminati. Parem sensum de Christianismo habuit S. Petrus, quem cum admirabili lumine comparavit: *De tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum.* 1, Petri, 2, 9.

Eundem loquendi morem observavit Coapostolus ipse Paulus, de Christianis sermonem faciens: *Omnes enim vos filii lucis estis, & Filius diei.* Erit ergo cæcitas inter Christianos ingens malum, siquidem illi in lumine nati, luminis etiam nomen portant. Spectabunt proinde ad maledictos à Deo, ad eos se, quos illa Christi tangit exprobratio: *Hoc est autem iudicium; quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem.* 1, Thef. 5, 5. Joan. 3, 19.

Benequidem scio, quòd omnibus Spiritualiter cæcis illud ex Sophonia applicari possit: *Ambulabunt ut cæci, quia Domino peccaverunt.* Causa cæcitatibus ipsorum est peccatum: peccatum est essentialiter voluntarium, ergo cæcitas pariter eis erit voluntaria. Nihilominus id, cum meliori fundamento asseritur de Christianis, quia isti errare nequeunt, nisi cum terga Christo obvertunt, Soli iustitiæ, qui protestatur expressè: *qui sequitur me, non ambulat in tenebris.* Soph. 1, 17. Jean. 8, 12.

Christiani voluntariè se triplici modo excæcant. **DIVISIO.**  
Primò, lumen negligunt, non inquirunt: tales sunt, qui ex privilegiis & gratiis Christianæ Religionis proficere non curant, quique se avertunt, vel oculos claudunt,

quando eis accensa ab Ecclesia fax contra vel ob oculos ponitur. Secundò, destruunt, ac debilitant suos oculos, seu suum intellectum, mediandibus suis deordinatis affectionibus, in talem statum redigunt, ut lumen ipsi sit rædiosum, imò intolerabile. Tertiò, irritant Patrem luminum, à quo cæcitate percutiuntur. Prima cæcitas est omissio malitiosa, secunda est effectus malitiæ positivæ, tertia demum est justa, simulque formidabilis pœna.

Primum lumen, quod nobis illustrandis communicavit Deus, est ratio; sed quia hæc ex natura sua est valde imbecillis, illam roborat, & elevat Deus splendoribus suæ legis, vivis luminibus sui verbi, ut David expertus testatur: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis.*

Idem præstat genuina ejusdem Verbi interpretatio ab Ecclesia facta: *declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis.*

I.  
Punctum. Ecce prima proinde ratio, cur tantus cæcorum voluntariorum numerus inter nos deprehendatur; sunt quippe Christianorum propemodum infiniti, qui volunt ignorare legem Dei, negligunt legere, intelligere, meditari Divinum verbum. Ubi sunt, qui cum Regio psalte Psal. 118. 77. gloriari audent: *Lex tua meditatio mea est? nullus est, qui Jerem. 12. 11. recogitet corde.* Tempus non suppetit, omnes mendaciis Psal. 2. 1. & mundi vanitatibus sunt occupatissimi. *Meditati sunt inania.*

Notetis, velim, cum Theologia, duplicem esse ignorantiam, unam invincibilem, quæ excusat à peccato, cum proveniat potiùs ex debilitate intellectus nostri, quàm ex malitia voluntatis: alteram vincibilem, ideòque culpabilem.

bilem, quæ in tres ulterius subdividitur species, in ignorantiam nim, crassam, in ignorantiam affectatam, ac denique malitiosam. Ignorantiâ crassâ laborant juxta S. Bernardum, qui in inutilibus novitatibus & curiositatibus se occupant, & intereâ rerum necessariarum curam minus curant; aut qui laborem horrent discendi ob vitiosam suam socordiam; vel qui probro sibi ducunt in sui status obligatione instrui. *Multi scienda nesciunt, aut sciendi incuriâ, aut discendi desidiâ, aut verecundiâ inquirendi.*

Hæc ignorantia à Theologis dicitur indirectè voluntaria; in quantum homo se applicare non vult, nec superare difficultatem, quæ occurrit in comparanda scientia salutis, nec à se conatur amoliri affectum nimium, quô rebus vanis & inutilibus est affixus: quod est velle, ignorare obligationes Christiani. Ista ignorantia species secum trahit characterem reprobationis, pro ut aperte ex verbis Dei per Oseam pronuntiatis, & oraculo Pauli Apostoli colligitur: *Tu scientiam repulisti, repellam te. Si quis ignorat, ignorabitur.*

Oseæ. 4. 6.  
I. Cor. 14. 38.

En, in quo rerum statu major Christianorum pars versetur, qui vix unquam addiscere student, quod ipsorum saluti adeo est necessarium. Quid prodest iis, hære in Schola Divinæ Sapientiæ, nisi adhæreant ejus lectionibus, & serâ applicatione laborent intelligere illius doctrinam? Fateri, cogimur, etsi non sine rubore nostro, cum S. Gregorio Nysseno, ex omnibus mundanis opificiis nulli minus adhiberi studium, quam arti bene vivendi & moriendi. Nullos propemodum reperit discipulos supermus Christianæ hujus scientiæ Doctor Deus, quando,



de cælo prospexit super filios hominum ut videat, si est intelligens, &c. ut David observat.

Psal. 13. 3.

Vult Deus, ut in hac urbe locum non habeant ejusmodi Christiani, qui illam mereantur reprehensionem, quâ D. Paulinus olim corripuit quendam festiva indole præditum, politix deditum, ad seculi genium accommodatum, in salutis tamen suæ negotio admodum rudem: *Floribus Poëtarum spiras, fontibus Oratorum inundus*; nec modicum in Philosophicis quæstionibus es eruditus. Tempus invenisti, uno verbo, quod insumeres comparandis cognitionibus humanis, nullum autem suppetiit, quod impenderes Divinæ Sapientix, quæ est Christus Jesus. *Vacat tibi, ut sis Philosophus, & non vacat tibi, ut sis Christianus.* Multi itaque nostrum sunt in ignorantia crassa, quia plures negligunt studere principiis fidei, eorumque sunt valde pauci, qui reflexionem instituunt super dogmata Evangelii.

Sed nondum sufficit operam navare principiis nostræ Religionis ad se perficiendum in scientia Theologica, vel ad majus lumen fidei inde hauriendum. O Deus! præsens sæculum reverà summoperè est illuminatum, plurimum sapit, sed parum de sapientia Christiana. Pro evitanda ista ignorantia crassa, quæ est prima cæcitatæ species, satis non est, ut quis multa addiscere laboret, sed oportet intendere scientiæ Sanctorum quæ est scientia practica, cujus exercitium non consistit in Theoria, sed in praxi. *Siquis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscat doctrinam, utrum ex Deo sit.*

Joan. 7. 17.

Observate mecum, rogo, quod S. Paulus quærat apud veros Christi discipulos oculos non solum in capite,

pite, hoc est, in intellectu, sed in pectore insuper, seu in voluntate; *Illuminatos oculos cordis vestri.* Sensus est, *Ephes. 1. 18.* veræ illuminationi necessariam esse copulationem luminis cum calore, scientiæ cum amore; alioquin nobis lumen quidem veritatis non deerit, at nos deerimus lumini.

Vulgatum in Moralibus habet axioma: *Omnis peccans est ignorans*; quod non sic intelligendum, ac si ratio peccatoris semper sit errore infecta; sed, quòd voluntariè sit cæcus, quando Deum offendit, suos videlicet oculos, sensusq; avertat à motivis absterrentibus à peccato, seq; innoxium conservare valentibus. Peccator est ignorans ignorantia tantum negativâ per cæcitatem & inconsiderationem quandam peccaminosam. Ratio hujus desumitur ex duobus principiis: primum est; quando Christianus Deum offendit, deliberat & consultat coram rationis tribunali, num sc. præferenda sit creatura Creatori: talis deliberationis reflexionem vix habemus ullam, cum intellectus sit velocissimus, simulq; assuetus objectis fidei speculativis. Ea tamen certò in nobis instituitur, aliàs peccatum hîc non interveniret.

Secundum principium est, quòd peccator quàmvis undique circumdatus Dei lumine, collustratus ex una parte ratione naturali, ex altera fidei luce, nihilominus non perspiciat motiva, à quibus in officio suo deberet contineri: & in sua deliberatione faciat intellectus libræ trutinam inclinari in partem objecti à tentatione repræsentati, libertas postmodum ipsius per electionem det præferentiam creaturæ. Ad quod requiritur intellectum excæcari, à voluntate verò in mente exsuscitari oportet fumos, nebulas, nubésque tenebrosas, quibus obscurentur  
ejus

ejus lumina. Imò peccator, quando te ad peccatum convertis, tuos sensus & cogitatus avertis à gehenna, à paradiso cœlesti à facie Dei ubique præsentis, & occludis oculos, nè fortassis per immissa cœlitus lumina, ad impediendam Dei offensam concessa à peccato absterrearis.

Tertull. in  
Apologct. c. 9.

Hoc ipsum perfectè in Apologetico suo explicat Tertullianus, ubi tradit in omni peccato mortali *Cæcitat* *duas species facillè concurrere*; per primam averti peccatorem à consideratione objectorum fidei, ne res prout in se, cognoscat, id est, excellentiam bonarum cœlestium expendat; per secundam è contrario eundem affigi luminibus fallacibus sensuum, & principiis fatuis mundanæ sapientiæ; *Ut qui non videant, quæ sunt, videre videantur, quæ non sunt*. Præterquam in illusionem, quam in suis mentibus effingunt præferibilitatem sc. temporalium præ bonis æternis, creaturæ præ Creatore.

II.  
Punctum.

Ista est prima peccatoris cœcitas, qui per ignorantiam crassam semet excœcat, non inquirendo lumen, nec acceptando oblatum. Secunda causa cœcitat

ignorantia quædam affectata, per quam inficit, & obscurat ille oculos sui intellectus, quò liberiùs passionibus suis indulgeat. Communis omnium scholarum, Philosophorum æquè Christianorum ac Gentilium recepta, teste D. Hieronymo, doctrina est, quòd passiones nostræ, quando non coërentur rationis fræno, invertant omnem animæ dispositionem, eiq; facultatem adimant, bene utendi gubernaculo rationis ac fidei.

Id autem fieri contingit tribus modis, ut ordinata methodo incedamus. Dico primò, quando passiones nostræ ferè omnes sunt terrestres & carnales, etiam men-

tis

tis aciem hebetant, obtusam, rudem, materialem efficiunt, animi vigorem tollunt, vi cuius is fundum, ipsamque rerum substantiam penetrat, in quo propere perspicacitas spiritus intellectualis, juxta D Thomam, consistit: *Intelligere est intus legere*, quia non oportet sententiam ferre de rebus secundum externas apparentias ad normam illius Divini Judicis, de quo Isaias; *Non secundam visionem oculorum judicabit.* Isa, 11. 3.

Secundo, cum passiones ex natura sua sunt turbulente, turbant pariter rationis tranquillitatem, confundunt judicium; sicut autem nostis turbatam faciem res aliter plerunque contueri, quam re ipsa sint, ita idem de intellectu acie, nimis passionum turbinibus axagitata, sentiendam.

Tertio, sunt passiones quandoque adeo vehementes, ut rationem inebrient, intellectum sopiant inque talem redigant statum, ubi res inter se justè discernere non valeat.

Probantur hæc omnia Scripturæ & SS. PP. assertionibus. Notate, monet Origenes, quod natura peccati & quidem maxime per habitum radicati, *talis sit ut increasset animam, sicut scriptum est, increassatum est cor eorum.* Quid indicare vult, increassare animam, nisi hoc, animam ex natura sua spiritualement reddi penitus carnalem? *Quod crassescit, est, quod carnale efficitur; animalis homo non percipit ea, que Dei sunt.*

Davidem audite, qui docebit vos veritatem, cujus ipse experimentum haurit, dum in animam suam passionum motibus liberiùs aliquando fræna laxavit: *Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum & ipsum non est mecum.* Psal, 37. 11.

U

Indif-

Joël 1. 5.

Indifferenter ad omnes peccatores passionibus deditos spectat, quod insinuare vult Joël Propheta, interprete D. Hieronymo: *Expergiscimini ebrii.* Ebrios vocat, advertit hic S. Doctor, *quia nulla res ita inebriat, ut animi perturbatio.* Homo vino obrutus non amplius est in statu faciendi prudens inter res discrimen; amicum tractat instar inimici; apertis licet oculis imminens sibi damum non advertit; discurret, sed, quod minimè servit ad propositum. Pari modo sunt constituti, inordinatà laborantes passione, non sunt in statu judicandi de veritate, neque compotes, bene utendi cognitione, inde perceptà.

Isa. 28. 7.

Ibidem,

Apoc. c. 17. 7.

Quis cogitasset unquam, conqueritur Isaias, quòd ipsi Presbyteri, Doctores legis, Prædicatores iisdem involverentur tenebris ignorantia, velut alii? deviant illi à communi salutis semitâ instar populi, & filiorum istius sæculi, qui ad alios ducendos sunt destinati, ipsimet seducti alios ducere nequeunt: *sacerdos & Propheta nescierunt.* En istius rationem; quia sicut alii amoris proprii inordinati, vanæ gloriæ, & æstimationis sæcularis merito sunt inebriati: *Præ ebrietate absorpti sunt à vino;* quod nimirum hauserunt, ex calice infamis Babylonis, ut in sua vidit Apocalypsi D. Joannes: *Inebriati sunt. . . de vino prostitutionis ejus.*

Possimus adhuc dicere cum S. Bernardo, quòd, sicut cæcitas corporis provenit ab intrinseco per quendam humorem calidum & ardentem, aut excessivè frigidum, corruptentem, & destruentem organa; ab extrinseco, ob pulverem oculis immixtum, vel alium obicem visus læsivum: ita Spiritus cæcitas oriatur aliquoties ab intrinseco peccatoris, hoc est, ex effrænis ejus passionibus, aliquando ab extrinseco, ex malitia sæculi nos excæcantis

cantis. Unica etiam scintilla, canit Psalter, illius ignis, quem Poëta cæcum, seu excæcantem appellant (*cæco carpitur igne*) sive amoris sensualis carbunculus, incidens in iudicium naturaliter bonum, & illuminatum, sufficit, ad idem ad eò vehementer excæcandum, ut solem videre amplius non possit, id est, primas, & magis necessarias veritates: *supercecidit ignis, & non viderunt Solem. Quem Solem?* inquit hic loci D. Augustinus; *Non illum, quem recum vident muscæ & pecora; est alius sol, de quo dictum est Sol Justitiæ non illuxit nobis.* Quotiescunque ergo ardens ejusmodi humor carnalis concupiscentiæ animam depascit, mox ratio corrumpitur, ac pervertitur: *Cum voluptas vincit, exulat ratio. Cæcus in Sole presentem habet Solem, sed ipse absens est Soli*, notat citatus Africanus Doctor. Pari modo, cum frigidus aliquis humor, è corde per odii glaciem constricto oriundus, mentem Christiani alicujus occupavit, mox cæcitas adest; ille non ulterius cernit optimas proximi sui qualitates, detegere nescit motiva supernaturalia, quæ habet, eundem amandi, de ipso non aliter judicat, nisi juxta suam passionem, non aliis utitur perspiciliis, quam iis, quæ propria suppeditavit invidia.

Eodem modo pariter sentiendum de aliis passionibus. Sicut itaque peccator voluntariè involvit suam voluntatem visco suarum deordinatarum affectionum, quæ sensum communem subtrahunt, fidem extinguunt, aut totaliter eclipsant: ita is ipse author est suæ cæcitatibus; culpandus proinde non solum ob vitium alicujus ignorantie crasse, sed insuper affectatæ.

Accedit, quod is cæcus sit adhuc per ignorantiam quandam malitiosam, eoquod voluntas illius, per passionibus istas corrupta, non tantum impediatur intellectum,

Psal. 57. 9.

S. August. in hunc loc.

Sap. 5. 6.

quò miniùs videat, & consideret veritatem, sed inspiret insuper ei odium contra veritatem talem, ita quidem, ut intellectus, qui aliàs naturali amore fertur in verum, id amplius sustinere nequeat: *sanam doctrinam non sustinebunt.* Tunc, quando compellitur, audire veritatem, fremit, in ipsam velut hostem insurgit, nihil omittit, quo illam destruere possit. Hæc est ingens petra scandali, ad quam potior pars Christianorum damnationis incurrit naufragium; quia ipsimet se in tali statu collocant, in eoque vivunt quieti sine remorsibus conscientia, ac si essent in bono statu.

Ratio naturalis, per fidem roborata, ab initio non defuit suæ obligationi, reclamando hunc contractum u. g. esse usurarium, injustitiam latere in illo commercio, per istud negotium notabiliter minui bonum, aut honorem cujusdam innocentis, libertatem hanc esse peccaminosam, & consequentem ex in genti quopiam cumulo peccatorum mortalium. Primitus exortus est metus, successit horror, timor mortis & inferorum etiam se infinuavit, sed denique horum invaluit consuetudo: ab eo tempore, quo intellectus est tali modo à voluntate per passionem corrupta, subactus, ut nil mali ampliùs perspiciat, nec latentem ulteriùs detegat injustitiam. Quare? quia teste D. Petro, malum non vult cognoscere: *Latet enim eos hoc volentes.* Studio non interrogantur Casistæ, nec consuluntur Doctores, idcirco evitantur conciones, ne vel invitis subrepat instructio non petita in ista materia: *De industria recesserunt à Deo, & omnes vias ejus intelligere noluerunt.*

Sed nedum istud satis est adhuc: malitia peccatoris primò ipsum ad iram contra Deum provocat ob lumen & verita-

veritatem cognitiones illi communicatas, quas ille non amat, imò respicit tanquam quietis & fortunæ suæ hostes. Secundò eidem arma ministrat, quibus oppugnet veritatem, ut ex Jobi, dicto colligitur: *Rebelle, lumini, qui dixerunt Deo: recede à nobis.* Notate priora verba: *rebelle lumini.* Populus suo principi rebellis necdum vocatur, quando ejus mandato parere renuit, edicta non admittit; sed inobediens solum arguitur tunc autem rebellionis meretur prædicatum, quando in superiorem sibi Potestatem obstinatè insurgit, & hunc suum motum armorum viribus tueri non reveretur. Huc pertingit supremus excessus cæcitatatis in isto peccatore, qui non solum veritatem refugit, intellectum suum corrumpit, ne eam cognoscat, sed præterea refractarium se opponit, cunctasque rationis machinas admovet ad veritatem expugnandam, & ad sustimendas contrarias illius partes, errorem sc. & mendacium. Verbo, eò tandem devenit, ut tenebras lumen, lumen tenebras appellare ausit: *Ponentes tenebras lucem, Isa. 5. 20. & lucem tenebras.*

Job. 24. 13. &  
c. 21. 15.

Quemadmodum peccator se in eo statu ponit, qui Deum ad iram concitat, eumque compellit ad illius excacationem, pari modo dicere possumus, quod ipse semet excacet, provocando Dei justitiam, & in se attrahendo hanc maledictionem, quam peccatum ipsius promeretur.

Istam quoque pœnam Propheta quispiam expetebat, ut superveniret in populum veritati rebellem: *Excaca cor populi hujus.* Deus cæcitatatis hujus triplici modo author à Theologis dicitur. Primò negativè, per subtractionem gratiarum, privando peccatorum efficacibus suis luminibus, iisque vivis illustrationibus, quæis mediantibus

III.  
Punctum.  
Isa. 6. 10.



bus alioquin lucem extraordinariam procurabat in illius intellectu. *Aufferetur ab impiis lux*, iterum: *Lucerna impiorum extingetur*. Secundò occasionaliter excæcat, præbendo ei occasionem se excæcandi; qualis est, ingens prosperitas in medio vitiorum existenti immissa, felices & faventes successus in omnibus etiam injustis actionibus, vel permittendo ipsi frequentiore cum hæreticis congressum, vel ut cum Semis atheis falsam contrahat amicitiam, à quibus in eorum inducatur errores. Tertiò, permisivè excæcat, dando facultatem dæmonibus, qui sunt principes tenebrarum, eundem excæcandi.

2. Thel. 2. 10.

In rem, pro hac materia nihil magis efficax, aut expressum afferri potest, quàm D. Pauli pronuntiatum; *Eo quòd charitatem veritatis non receperunt*; quia peccatores isti noluerunt recipere sensibilia testimonia amoris Dei, qui suis luminibus ipsos illustrans, evidenter demonstrabat eis, quòd ad humanæ dignitatis conditionem evecti non debeant in brutalem vilitatem degenerare, suisque passionibus se prostituere; & quòd, emisso semel Christianæ Religionis Sacramento, non ampliùs relabi possint in nefanda ideo-latrarum scelera: uno verbo, quia rationis suæ ordinem inverterunt, & malè tractarunt suam fidem per contemptum, aut per abusum suarum cognitionum, Deus ad iram in ipsos concitatus permisit suæ justitiæ congruam de iis sumere pœnam. Talis non erit in jactura bonorum, in mortibus liberorum, in ægritudinibus probrosis, vel in odio persecutione mundanorum, hæc enim supplicia sunt nimis levia pro enormibus adeo flagitiis vindicandis, isti nequaquam eorum maleficorum numero sunt accensendi, quibus emendandis immittere solet Deus egestatem, morbos, afflictiones, quæ salutem illo.

illorum possent promovere, sed immittet in eos, restante gentium Doctore, operationes erroris, ac mendacii. In-  
 flueta accipite verba: *Eoquod charitatem veritatis non rece-*  
*perunt, ut salvifarent: ideo mittet illis Deus operationem*  
*erroris, ut credant mendacio, ut judicentur omnes, qui non cre-*  
*diderunt veritati, sed consenserunt iniquitati,* hoc est, per-  
 mitteret dæmoni, qui est avaritiæ præses, ut loquitur qui-  
 dam S. Pater, in animum hominis istius *exercere imperium*  
*fallacia.* Hic persuadebit ei cum tanta energia ad conse-  
 quendam felicitatem, necessariò requiri divitiarum pos-  
 sessionem, ut is aliud nil spectet, nisi divitias, veluti uni-  
 cum mundi bonum.

Tradet hunc hominem Asmodæo libidinum incen-  
 tori, qui memoriæ ejus se insinuabit, potentiam istam ma-  
 enlabit, & profanabit, omnium rerum Sacrarum imagines  
 inde eradet, Dei, Cæli, Crucifixi cogitationes tollet: quo-  
 rum loco substituet turpes, infames phantasmatum re-  
 præsentationes: proserpet damnatus hic cerastes in intel-  
 lectum, ubi tantas miscebit confusiones, excitabit turbas,  
 ut fidem inde exulare, sit necesse, dubia de veritatibus cla-  
 rissimis sint subortitura. Sentiet, malignam in se gliscere  
 inclinationem ad amplectendas omnes novellas opinio-  
 nes, cunctas hæreticorum inventiones, ac fictiones, *ut*  
*credant mendacio.* Ab intellectu ad cor grassabitur in fer-  
 nalis illa pestis: quod succendet igne infami, ardebitque  
 die noctûque, talem, inferet voluntati vastationem, ut  
 eam occupaturæ sint testante Scriptura passiones plenæ  
 rabie ac furore: *Insaniuit super eos concupiscentia oculorum*  
*suorum:* Ezech. 13. 16.

Ecce effectum maximè horribilem iræ Divinæ. Ex  
 omnibus Ægypti plagis solum tenebras Sacer textus ap-  
 pellat

pellat horribiles, nosque ipsi pariter fateti, cogimur, omnium malorum, quæ peccator incurrere potest in præsentî vita, extremum, & maximè horrendum esse cœcitatem. Naturales tenebræ nil producant, noctes sunt steriles; at in animâ spirituales tenebræ sunt nimis fœcundæ, umbræ, noctes, istæ dant incrementum cunctis vitiis necem irrogant universis virtutibus. Hæc vita est via quædam; sine oculis spiritualibus, rationis sc. & fidei, erroribus & inlucis labendi periculis nos exponimus. Hæc vita est navigatio periculosa: sine oculis & sine directione mille naufragia in medio rupium fiunt. Hæc vita est conflictus continuus; sine oculis & sine lumine incidimus in manus hostium, quorum in fidia declinari nequeunt: *Facta est nox, in ipsa pertransibunt omnes bestie Sylvæ, ortus est sol, & in cubilibus suis collocabuntur.* En statum infelicis cujusdam animæ. Tunc, quando Deus illi loquitur, eique Divina justitia æternas pœnas in vindictam ipsius scelerum intentat, passiones se in ejusdem præsentia erigere non audent, vel si comparent, quamprimum se retrahunt, & abscondunt. Hic Christianus illuminatus ab initio has repellit, tentationi resistit, & exclamat: hoc est prohibitum, illud repugnat legi Divinæ, *sed facta est nox*, postquam cœcitas supervenit; impietas, usura, injustitia, calumnia, perfidia *in ipsa pertransibunt* securè, flagitia etiam turpiora non agnoscuntur, imò honori, gloriæ ducuntur, publicè jactantur.

Paucis itaque verbis concludamus, cœcitatem spirituales jacturam esse bonorum omnium, cum sit privatio cognitionis Dei, & sui ipsius: esse fontem omnium malorum, eoquod sit causa obstinationis in peccato, & impœnitentiæ finalis.

Placat

Placeat ut præsentis discursus clausulam cum notabili admodum, conceptu S. Augustini adponam. Siquis, subeundo locum infamem, vel se determinando ad perpetrationem peccati mortalis, eodem temporis momento cæcitatæ pœnâ plederetur, ac sentiret binas oculorum pupillas orbibus suis excidisse in terram, an non talis manifestam Divinæ justitiæ agnosceret ultionem, ultroneè certoque assereret, hanc sibi à Deo inflictam pœnam ob suum peccatum. Ah! fratres mei, quot peccatores sunt, qui indies feriuntur cæcitate invisibili, quæ facilius deprehendi potest, quàm ea, quæ corporali nos duntaxat visione spoliât. Vereamur talem vindictam, reformidemus maledictionem adeò horrendam; néve eam incurramus, evitemus peccatum, inquiramus cœli lumina per preces, per meditationem, per librorum piorum lectiorem, per concionem. Bene nobis lumem istud applicemus, ambulemus juxta Christi monitum, dum lucem habemus, ut nos elevet de claritate in claritatem, usquedum deveniamus ad diem sempiternum gloriæ cœlestis. *Amen.*



\*\*\*\*\*

# IMPIUS MALE- DICTUS IN RATIONE SUA FIDEI OPPO- SITA.

*Si audire nolueris vocem Domini Dei ... percutiat te Dominus amentia, & cecitate, & furore mentis, & palpes in meridie, sicut palpare solet cecus in tenebris. Deutern. 28. v. 15. 28. 29.*

**N** Agnus Apostolus, Divus Paulus scribens ad Colosenses, nobis ut caveamus, monet, ne nimiū tribuamus Rationi, Rationem amittere velimus, perdendo Fidem; affirmat insuper, quòd, si plus deferamus philosophiæ humanæ, quàm Verbo Divino, scientiam istam ad comparandā alioquin veritatis agnitionem ordinatam, nihil profuturam, nisi, ut mendacio involvamus.

*Colof. 2. 8. Videte, ne quis vos decipiat per Philosophiam, & inanis Fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, & non secundum Christum.*

Per vanam Philosophiam intelligit Falsas eas ratiocinationes, principiis solūm sapientiæ humanæ & sensuum experientie innixas. *Apostolus, inquit Tertulianus in expositione citati textus, fuerat Athenis, ibique expertus linqnatam civitatem, audierat Philosophorum speciosis potius dictionibus tumentia, quàm solidis veritatibus prægnantia*

*Tertul. 1. 7. de Præscr.*

stantia argumenta. Postquam conferentiam instituit cum istis Sapien- & Eloquentiæ corruptoribus, qui nolebant aliud sequi, præter rationem, eamque authoritati fidei submittere renuebant, judicavit admodum utile ad suum intentum, monitum istud inculcare Ecclesiæ: *Videte, ne quis vos decipiat per Philosophiam*, ne amittatis fidem nimium, inherendo rationi. *Cum omnes illic Sipientia atque Facundia caupones degustasset; inde concepit premonitorium illud edictum: videte, ne quis, &c.*

Multis, solo nomine Christianis, hæc D. Pauli verba appropiari possunt, qui respuunt se subicere authoritati Ecclesiæ, quantumvis ipsa in Fronte præferat characterem Sanctitatis, & potentia Dei, qui eandem stabilit, stabilemque conservat. Tales sunt, qui omnia disceptando, scrutari cupiunt, & plus fidunt debilibus proprii intellectus ratiociniis, quam certis & infallibilibus fidei luminibus, tales demum sunt, qui cum sint *cæci, & duces cælorum*, pro valde illuminatis doctoribus haberi volunt; licet debilissimi existant generose tamen mentis se jactant, vocantes, & *ponentes tenebras lucem.*

Intendo hodie ostendere manifestè cæcitatem horum, qui se illuminatos dicunt, demonstrare eorum debilitatem, qui se fortis animi gloriantur, simulque impios istos in sua ratione, fidei opposita, maledictus esse. Sed, quia Solut Spiritus Sanctus est omnium Magister Spirituum, & dissipare potest tenebras, quæ illos involvunt, eundem interpellemus, mediante Suffragio Beatissimæ semper Virginis. *Ave Maria.*

Pro meliori declaratione materiae tam ponderosæ, perspiciamus mox ab initio, in quo consistat vera animi

DIVISIO.

seu intellectus fortitudo, desumitur hæc ex triplici capite. Primò, ex principiis, quibus intellectus innititur ab intrinsecò. Secundò, ex testimoniis, & authoritatibus, quibus sustentatur ab extrinsecò. Tertiò, ex bonis animæ qualitatibus, quæ per puritatem & integritatem vitæ magis disponitur ad recipienda de cælo lumina.

Quid est ergo animus fortis, sive Firmus intellectus? est animus, qui vivis luminibus illustratur, & Ratio quædam cognoscens veritatem per principia certa & indubitata.

Quid est animus, seu intellectus fortis? est is, qui nititur extrinsecis testimoniis authenticis, & autoritate irrefragabili. Quid est denique intellectus fortis? qui ab omni inordinata affectione liber, suarum passionum confusione minimè turbatus, sed mediante suæ vitæ innocentia, morum suorum integritate firmus persistit, & constans in suis cognitionibus, percurramus hæc tria capita, & agnoscemus, quòd vera fortitudo intellectus inveniatur penes humilem, fidelem, qui te capivat in obsequium fidei; quòdque è contra nil lateat, nisi debilitas, ac cæcitas in homine curioso, temerario superbo, seu, ut communiter vocantur, libertino, qui obstinatè proprio suo sensui affixus inhæret, nemini, præterquam suæ debili rationi; vult deferre.

I.  
Punctum,

Ad illustrandam primam veritatem, dico quantumvis fides sit elevata supra omnem rationem, eo quòd explicet naturam primi rerum omnium principii ac supremi Creatoris, qui infinites transcendere debet omnium suarum creatorarum vires, minimè tamen fidem rationi repugnare: sicut nec lumen illud, quod Deus nostro infundit intellectui ad efformandum Christianum, extinguit primum

num istud lumen, quo donavit conditum à se hominem. Deus quippe sibi ne utiquam contrariatur, ejusque dona mutuo se non destruunt.

Quemadmodum in homine anima rationalis non supprimit animam sensitivam, sed hanc potius ad eminentiorem gradum evehit, ac nobilitat; ita pariter lumen revelatum, sociatum lumini naturali, istud fovet, & augmentat. Vel adhibeamus sublimiorem comparationem, exponamus presentem veritatem per Incarnationis mysterium: sicut in illo natura humana amittens suam subsistentiam, felicem, sibi que gloriosam incurrit jacturam, cum per ipsam elevata ad supremum honoris gradum, se jam videat, sustentari subsistentia Divini Verbi. Similiter Ratio renuntians aliquando humanis demonstrationibus, se que subternens revelationi Divinae, infinites majus capit emolumentum, quam damnum, eo quod tunc non insistat ulterius experientiae naturae, sed verbo infallibili Authoris naturae. Haec est gloria caeci istius voluntarii, ambulandi audacter, sine ullo aberrandi metu, tunc, quando renuntiat propriis suis sensibus, probe gnarus, Dei oculos infinites esse lucidiores prae humanis.

Verum itaque non est, intellectum fidelis Christiani sustinere infirmitatem quandam, cum e contra potius mirabiliter roboretur per communicationem cum Deo, prima & essent ali veritate, qui eum participem reddit Divinarum suarum cognitionum, concedendo eidem suorum mysteriorum intelligentiam, ut S. Joannes in- 1. Joan. 5. 20. nunt; *Dedit nobis sensum, ut cognoscamus*, quodque confirmat S. Petrus: *De tenebris vocavit vos in admirabile lumen* 1. Pet. 2. 9. *suum*. Fides ista juxta mentem S. Leonis *magnarum vigor*



*est mentium.* S. Joan. Climacus eum sequenti præconio exornat: est quædam firmitas & constantia intellectus invariabilis, ut quis nutare nesciat.

Ita quidem, ut postquam Verbum Dei fuit incarnatum, & ipsa veritas loqui cepit, mox è medio substulerit dubia & controversias Academicas; stabilierit vagos omnes conceptus, & ejusmodi discursus, qui in aëre evanescent: nos loquimur firmiter sine ambiguitate, sine æquivocationibus, & argumentamur efficaciter, quia credimus, *Credidi propter quod locutus sum.*

¶ Sai. III. I.

S. August.  
Serm. 151, de  
temp.

Videamus nunc, quale lumen intellectus curiosus, seu, ut vocant, libertinus substituat lumini fidei, quodnam etiam sit principium, cui ionitur. Respondet S. Augustinus: *In homine carnali tota ratio intelligendi, est consuetudo cernendi.* Jam peto, estne hic quidquam debilius, & errori magis obnoxium, quam sola Ratio, tali nixa sustentaculo? sit intellectus hominis quantumvis acutâ intelligendi acie præpollens, notabiles tamen secum congenitas ex natura trahit infirmitates ob causam propinquitatis & connexionis, quâ cum sensibus & materia est colligatus, nec operari valet, nisi mediantibus organis corporeis.

An non infinita quædam rerum occurrit series, et si magis communium, quæ omne illius intelligendi acumen hebetant, eumque ad ingenuam ignorantiam suam professionem compellunt? Post tot sæculorum revolutiones nullus hætenus evolvit causam legitimam fluxus in maris æstu, nec in febris intervalla sufficienter discussit; neque post tam longævas meditationes naturam continui exactè decidere novit, num videlicet partibus constet, num componatur ex punctis indivisibilibus. Quod si ergo  
rebus

rebus terrenis & humanis succumbat, quanto magis abdicissimis Divinitatis mysteriis? Optimè discurret sapiens: *Difficile est imensus ea, quæ in terra sunt, & quæ in prospectu sunt, invenimus cum labore, quæ autem in cælis sunt, quis investigabit?* Sap. 9. 16.

Credite mihi, effatum erat Episcopi Diadochi: *Nihil egentius, nihil stultius illâ mente, quæ de Deo extra Deum Philosophatur.* Cujus rationem adducit S. Thomas contra Gentiles: perfecta cognitio, quam circa rem habere possumus, est fundata supra ipsam quam habemus ex ejus substantia, siquidem fundamentum demonstrationis etiam in doctrina Aristotelis est, scire essentiam rei, quodque in fundo istius intimo later.

*Quid rei est,* postmodum examinantur illius proprietates, & accidentia. Cùm verò Divinæ essentia sublimitas infinities transcendat omnem nostram vim intelligendi, juxta Jobi assertionem: *Ecce Deus magnus vincens scientiam nostram,* necesse est, ut intellectus suis propriis naturalibus luminibus relictus se nocturnis tenebris involuntum deprehendat, quando tractare voluerit de natura Dei, ejusdem Decretis, & mysteriis, scire proinde Deo plura, vel alia non poterit, quàm ea, quæ sibi placuerit de se homini revelare. Testes sunt omnia profanæ antiquitatis perspicacissima ingenia, quæ post extraordinarios labores ex antlatos, aliud nil præstitere, juxta auream D. Chrysostomi gnomam, quàm, quòd mentem suam mille perplexitatum involucris induerint, errorum labyrinthum subjerint, unde exitum reperire nusquam poterint: *Talis cogitationum natura labyrintho cuidam similis est, nullum unquam finem habens, originem ab arrogantia, & sui estimatione sumens.* S. Joan. Chryl. hom. 2. in Ep. ad Rom.

Testes

Testes sunt, D. Augustini calculo, sapientes illi urbis Atheniensis, qui cætus cogebant sub Famosa Stoicorum porticu, aut in Academia Platonis, vel in Lycæo Aristotelis suos cælebrabant conventus. Hinc singuli erant incensi calore suam tuendi, aliorum verò invertendi sententiam, usquedum omnis disceptantium æstus abiret in fumum. Postquam millenos incurrerunt errores, vix in unius veritatis agnitionem inciderunt, quos Psalter Regius perstrinxisse videtur, quando cecinit: *Erraverunt ab utero, locuti sunt falsa.*

Pl. 57.4.

Certum itaque manet tam per discursum, quàm ab experientia humanum intellectum, non nisi propriis luminibus præditum, ipsamet esse debilitatem, rationem, Fidei gubernaculo destitutam, fontem esse omnium mendaciorum, & errorum.

Etiamsi Curiosus iste novator, aut Libertinus aliquis illimi & acuto polleret intellectu Platonis; etsi æquè illuminati esset ingenii, ac fuit Aristotelis; tam alta saperet, ut Trismegistus, vel quiscunque alius ex antiquis Philosophis: nihilominus teneo, cum adhuc nimis infirmum in suis discursibus, nullam habere firmitatem, nec securitatem in suo modo res cognoscendi, easque dijudicandi.

Quanta dementia, vocare intellectum fortem, illum, qui innititur principio hucusque in præsens semper fallibili, quòdque omnium errorum, omnium hæresum, omnium extra veritatis lineam vagantium opinionum extitit scaturigo; quod est iudicium proprium, sensus privatus, peculiaris, & ratio authoritati fidei rebellis, ac communi Sapientium sensui? Urgeamus ulterius hanc rationem.

Aut

Aut fortis iste intellectus est Atheus, vel non est: si fit Atheus, D. Hieronymi iudicio è numero hominum utp. irrationalius, est expungendus: *Absque notitia enim Creatoris sui omnis homo pecus est.* Deus non est occultus, docet Tertullianus, sed cunctis se manifestat, qui ex cognitione operum ipsius visibilibus erigere se conantur ad contemplandam invisibilem majestatem illius: *Deus in aperto constitutus est.* Quicumque voluerit in controversiam vocare veritatem Divinæ essentiae, mox in armis contra se sentiet creaturas, veluti turmam militarem propugnaturam notitiam & existentiam sui Creatoris: *Tantis operibus notitiam suam armavit.* Necesse est, ut Atheus hic, qui vult videri esse præditus intellectu præ communi aliorum illustrato, sit valde cæcus, cum tantum luminis non teneat, quo populi magis stupidi, intra sylvarum suarum densitatem educati gaudent, eoquod cognitionem Dei, primi principii, & sicut Canadienses loquuntur illius, qui omnia condidit, perdiderit: cognitio, quæ animæ dotis instar necessaria ab initio suæ creationis fuit appropriata, talis est, ut, quàmvis ea oculos claudere, seque propriâ malitiâ excecere velit, non possit, quin Deum semper præsentem advertat, & ipsius justitiam cogatur revereri. Unde propriè loquendo Tertulliani mentem, veri Athei non dantur. *Anima à primordio dos est conscientia Dei, nunquam Deus latebit.*

S. Hieron. in  
Epitaph.  
Nepot.

Si is credit, existere Deum, per necessariam sequelam debet pariter admittere, Religionem aliquam à Deo fundatam cum notis illustribus, & signis supernaturalibus, quæ nos doceat, quis Deus sit, & qualis Deo cultus sit deferendus: aliàs fingit Deum sine ratione, sine sapientia, cum Deus habere debeat finem se dignum, prout, est, se præbere

Y

præbere

præbere cognoscendum, & amandum suis creaturis; uno verbo, augere suam gloriam. Consequentia hæc certa est, & infallibilis; datur Deus, ergo datur etiam Religio à Deo Fundata; quia cum Deus, creaverit mundum, eumque suâ Providentiâ gubernet, necessariò requiritur, ut creaturas rationis capaces sui cognitione imbuat ipsèmet instruat mediante Religione, modo quodam admirabili à se institutâ, quæ illis non tantùm dicitur, esse Deum, sed, quid insuper ab iis exigit.

Alioquin, si relinqueret nobis Deus liberam facultatem discurrendi de se secundum phantasiæ nostræ instinctus & effingendi suarum perfectionum imaginem secundum nostrum concipiendi modum, cum ijs coloribus, qui cuilibet magis arriderent, eam exprimendi: mundus plenus spectaretur Chymæris ridiculis, stultis imaginatationibus, & extravagantibus intellectûs nostri productionibus, siquidem objectum istud intervallo infinito distat à nobis; hinc quisque Deum juxta propriam inventionem sibi sculperet, qua propter Christus Pythagoricus sapienter cavet: *de Deo nihil dicas, nisi didiceris à Deo.*

Eadem necessitas, quæ nos obligat, ut cognoscamus Deum, ejusque Providentiam, simul obstringit ad inquirendam quandam Religionem à Deo institutam. Aut hic Libertinus nullam prorsus, aut aliquam tenet Religionem: si prius, est Atheus, adeoque nec Deum agnoscit, quia si istum agnosceret, cultum debitum pariter attribueret ipsi deberet: si posterius, necesse est, ut quampiam recipiat fidem, seque eidem submittat. Si enim à Religione vellet separare fidem, & respueret credere, quod talis Religio ei dicitur de Deo, cum is omnem humanam rationem longè transcendat, manifestaret intellectûs sui imbecillita-

debilitatem extremam. Quia idem esset, scribit Arnobius, ac negare Deum, facere veritatem, & perfectiones Divinæ essentia dependentes à debilitate humanorum nostrorum discursuum.

Peto ex ejusmodi Libertino, quænam ipsius Religio, quam ipsius faciat professionem? quo prosequatur cultu primum principium, à quo fuit productus? unde acceperit istam Religionem? quis illi detexerit, quòd hæc Religio à placito proprii sensus modificata, & quæ est monstruosa solius intellectus fictio, pluris valeat, quàm Religio à tantis populis ante tot sæcula acceptata?

Vos itaque fallitis vosmetipsos curiosi, novatores, Libertini, nullam invenietis fortitudinem nec firmitatem per vestram obstinationem aut per vestram rebellionem in Christianas Veritates commotam. Vestra ratio non est fortior quàm Trismegisti aut Platonis, quorum tamen ratio nec ipsis securitatem vel firmitatem præstare potuit. Rejiciamus igitur hoc debile fulcrum; *Ut jam Eph. 4. 14. non simus parvuli fluctuantes & circumferamur omni vento doctrine*, monet Apostolus. Invenietis porro veram intellectus fortitudinem & firmitatem, si sequemini Divini Spiritus consilium: *Audi Fili, & accipe consilium intellectus, . . . injice pedem tuum in compedes illius. Eccl. 6. 24. 25.* Id est intellectum, animæ sc. pedem liga ferro amabili fidei. Sciatis, quòd ferrum & vincula ista futura sint vobis securi instar valli ad tuendos vos contra errorem, immobilis instar sustentaculi, quòd firmiùs veritati imitamini: *Et erunt sibi compedes ejus in protectionem Ibidem. v. 30. fortitudinis, & bases virtutis. Progrediamur ad secundam partem.*

II.  
Punctum.

Psal. 92. 5.

Act. 14. 17.

Intellectus fortis dicitur ille, qui roboratur, & sustentatur ab extrinseco ponderantibus & potentibus testimoniis. Jam quaero, estne Curiosus, aut Fidelis, qui ejusmodi insistit fulcro? Certum est, Christianum testimoniis niti, quae fide dignissima, imò *Credibilia facta sunt nimis*, Regio Propheta attestante. Non vacat modò perstringere omnia credibilitatis argumenta, quae Theologia recenset: solùm dico, quòd bene possimus asserere de Christo, quod S. Paulus pronuntiat de Deo: *Non sine testimonio semetipsum reliquit, benefaciens de caelo.* Sicut creatio & conservatio mundi evidenter probant Dei existentiam, ita intellectui omni bene disposito, rationis ductum sequenti fundatio & stabilimentum Ecclesiae Catholicae est testimonium evidens Divinitatis Christi, qui illius est author. Qualis fortitudo in mente Christiani, quanta firmitas & securitas ei in sua Fide, quando considerat originem, essentiam & principia Religionis, quae eundem docet veritates, quas credit!

Ista Religio est tam sancta, tam pura & innocens, ut absolutè proscribat omnia vitia, & exigat, laudè que cunctas virtutes. Profanae antiquitatis leges satis manifestè se merè humanas esse, prodiderant, utpote quae solùm exteriorem hominem efformare, & ex polire laborabant: at lex Christiana gratiam cordibus inserit, malum ad radicem usque extirpat.

Secundò, sola Religio Christiana est, quae proponit ideam sublimioris perfectionis: quia Deo omnem, reddidit gloriam, omnem obedientiam, omne obsequium, quod Creator à sua creatura exigere potest. Illa hominem demittit, & abjicit in abyssum sui nihili, eumque docet credere, protestari, Deum esse fontem bonorum omnium

num

num citra ipsius gratiæ influentiam neminem esse capacem nè quidem bonæ cogitationis à se concipiendæ. Hæc præterea attribuit proximo amorem perfectissimum fundat inter nos unionem adeo arctam, ut major excogitari non possit. Ista licentiosas hominis passiones rationis freno coercet, nè quidquam agat, permittit, nisi imperio partis superioris, quæ in inferiorem dominium tenet. Ut paucis rem absolvam: nostra Religio hominem omni perfectionis genere exornat; *Ut perfectus sit homo Dei, ad 2. Tim. 3. 6. omne opus bonum instructus.* Nemo quidquam sibi imaginari valet perfectius, aut amabilius ac essent Christiani, si vitam suam reificarent juxta doctrinæ Evangelicæ normam, & sequerentur fidei lumina.

Nonne mundus vederetur esse paradifus, & omnes, sicut Isaias observavit, quicumque aspicerent morum, vitæque nostræ perfectionem, manifestè agnoscerent, confiderenturque, nos esse populum à Deo benedictum, Filios Dei perdilectos? *Cognoscent illos, quia isti sunt semen, Ila. 61. 9. cui benedixit Dominus.*

Ecclesiæ Patres clarè probant, quòd unicus duntaxat annus prædicationis Evangelicæ plus sanctimonix & virtutis in mundum introduxerit, quàm omnia sæcula antecedentia; scholæ ab universis Philosophis aperta nec unicum pagnum potuerunt convertere: Religio verò Christiana Falsæ Deorum simulachra sepeliit sub delubrorum ruderibus & ruinis, ipsa terram emundavit ab ista monstrorum multitudine, quibus latriæ cultus deferebatur ab hominibus, quorum aliqua crudelium sacrificiorum extorquebant tributa, nec nisi sanguinis humani effusione poterant placari. Illa est, quæ evertit Amphitheatra, ubi gloriæ ducebatur hominum corpora in frustra dis-



cerpere: ipsa eliminavit sortilegia, mendacibus oraculorum linguis perpetuum silentium indixit, palamque, quas hic exercebant imposturas, per omnia detexit; quod Philosophi non minus vagarentur extra veritatis orbitam; quam Poëta; quòdque profundi speculatores isti pro tunc somniarunt, quando meditari voluerunt.

Hæc est Religio, quæ superbix tyrannidem sub jugum servitutis misit, quæ Ambitioni alas succidit, desidia avaritiæ extinxit, quæ exundantibus inordinatæ luxuriæ eluvionibus limites præfixit postquam rationem ad nativam suam puritatem & dignitatem evexit, docuit humilitatem, temperantiam & castitatem: consuluit ea contemptum dignitatum, & amorem paupertatis; præcepit mortificationem sensuum, munditiem ipsarum etiam cogitationum. Uno verbo, ex cæcis his idololatris veri Dei exsculpit cultores, ex hominibus, qui antehac omnibus dæmonum vitiis laborabant, effinxit Angelos incarnatos.

Impossibile proinde est, considerare excellentias istius Religionis, ejusdem sublimitatem, sanctitatem, & miraculosum modum, quo fuit instituta, quo confudit omnium Accademiarum, in sæculo licet maximè exculto, scientiam, ac sapientissimos, qui floruerant unquam, mediante ignorantia duodecim rudium piscatorum, *scientia piscatorum*, tradit S. Ambros. *stultam fecit scientiam Philosophorum*, quo item modo se extendit per mundum universum celeritate incredibili, reluctantibus licet omni conatu omnibus mundi magnatibus. Impossibile, inquam, est, considerare tam paradoxa, & non unà per sequelem necessariam inferre, quin Religio Christiana immediatè à Deo promanarit, cujus omnipotentix characterem portet  
ac con-

ac consequenter, quòd fidelis gaudeat felici sorte infantis viventis sub directione tam sapientis & tam sanctæ parentis.

Qualem firmitatem Christiano consiliat, posse dicere; Undecim milliones Martyrum, sive testium, omnis ætatis, omnis sexûs, & conditionis, ex omnibus rationibus animo tam generoso, imò cum gaudio sustinuerunt ignes, rotas, novaculas, ardentis fornaces, & millenas subjère mortes, easque crudelissimas ad obfignandas proprio cruore veritates, quas credo. Ego honorem habeo, quòd insistere queam vestigiis justini, Irenæi, Cypriani, Ambrosii, Hieronymi, Augustini, aliorumque tam illustrium Doctorum, qui suis singuli sæculis suspiciebantur, ut præcipua Spiritûs, scientiæ, atque virtutis miracula! quòd sequi possim Constantinos, Theodosios, Clodoveos, Carolomanos, S. Ludovicos, Heinricos, Eduardos, Sigismundos, ac innumeram Augustorum Monarcharum coronam, qui præfixo in diademate Crucis signo has ipsas propugnârunt doctrinas, quas & ego cum iisdem pariter sustineo. Non fuerit possibile, ut veritas effugere potuisset viros tantos, animas tam innocentes, à quibus tamen cum ardore adedò intenso, intentione tam pura fuit inquisita; ut se prodiderit solùm exili & infami numero quorundam Novatorum, Libertinorum, nec cognosci voluerit, nisi ab animis, passionibus & vitiis excæcatis? quomodo: ergo omnes probæ conversationis homines versentur in errore, improbi & sacrilegi e contra perspectam habeant veritatem? Hæ omnia certè sunt procul ab omni probabilitatis apparentia, sensui communi prorsus contraria. Insolens sit, necesse est, qui vellet omnes Scriptores mendacii insimulare, in dubium revocare veritatem omnium

Histo-

Historiarum; vel fanè fateri debet talis infinitudinem quandam ægrorum, qui sanati, cæcorum, qui illuminati, mortuorum, qui resuscitati fuerunt, quique omnes testes existunt invincibiles articulorum meæ Fidei & Religionis;

Quod si fidelis tali ratione, uti potest, discurrat, nunquid discurret fortiter, & intellectus talibus motivis roboratus, testimoniis adeò firmis & immutabilibus nixus jure merito qualitatem intellectûs fortis firmique præferre potest? Videamus nunc; num Curiosus & obstinati isti Libertini, qui fidem evertunt, similibus motivis gloriari queant, & an sustineantur ab extrinseco in suis particularibus opinionibus basi æquè robustâ.

Primò rescire cupio, ex quo renuntiârunt fidelium doctrinis, seque transtulerunt in libertatem credendi, quidquid sibi lubuerit, an meliores effecti, minùs jam iræ, avaritiæ dediti, plus modò studeant castitati, charitati, fortiores evaserint ad subigendas suas passiones? Saltem hoc fateri, oportet eum, qui bruti naturam non penitus induit, ita ut nec virtutem neque vitium ulterius discernere nôrit; bonam verâque Religionem adducere ad bonum, abducere à malo, sed ab eo tempore, quo fides in animis rationis hujus eclypsim passa est, omnem illi suam perdidere virtutem, ipsique viderunt, suam rationem infelici jugo captivitatis à passionibus suis subjici. Evidenter ergo constat, bonitatem & integritatem istarum opinionum particularium minimè roborare illorum intellectum.

Secundò, ad minùs habent præsumptionem quandam extravagantem, ac superbiam diabolicam, quæ ipsis persuadeat quòd soli sapiant, & intelligant; tam numerosam

rosam copiam testium in favorem Christianæ Religionis loquentium deserere nequeunt, quin etiam testimonio & autoritate aliorum quorundam utantur. Quinam verò sunt illi, qui ipsorum dogmata propugnant? sunt ne Doctores moribus suis inculpabiles? aut sancti, vitæ exemplaris famâ commendati? Minimè, sed ordinariè sunt proccaces, juvenes sine iudicio & prudentiâ, ad minimum, sine solidæ doctrinæ fundamento; homines perditis moribus, vitæ luxuriôsæ dediti.

En eorum Doctores, eorum Martyres, eorûmque Confessores, sed quæso, dicatis mihi vos Libertini, num tanta securitate asseritis animæ mortalitatem, quanta certitudine nos asseveramus ejusdem immortalitatem? Hoc satis non est, certiores vos enim esse oportet: quia nobis periculum exinde non imminet, cui tamen vos manetis expositi.

Tam parum sunt firmati in propria & particulari sua opinione, ut, quando se in quadam afflictione constitutos deprehendunt, vel morti se propinquoires sentiunt, metuant, suas mox deponant opiniones, illas revocent, contremiscant, fremant, quam primùm de Deo infertur discursus, de quo ante dubitare audebant: incipiunt jam execrari sua principia, advocant Presbyteros, confideri præsumunt; ita ut è mille, qui hujusmodi erroribus impliciti vitam duxerunt, vix tres sint inveniendi, qui in ipsa dem vitam claudere velint.

Quænam igitur intellectûs vel animi fortitudo potest attribui istis, qui revocant, ac mutant opinionem eodem tempore, quo veritas melius debet esse cognita, & chatior, quàm unquam fuit? Inspiciamus tertiam causam inconstantia ipsorum, quæ est tertium meum punctum.

Z

Quæ-

III.  
Punctum,

Quænam & causa firmitatis penes fidelem, & quæ subest causa dubiorum in Curioso, qui caret fide? Quoad primum in causa sunt bonæ ipsius animæ qualitates, quia per vitæ integritatem, per puritatem corporis sui per abstractionem cordis sui ab objectis sensibilibus, & per separationem sui à creaturis invitat Deum & communicanda copiosè sibi gratiarum subsidia, quæis mediantibus deinde firmiter & immobiliter in fide stabilitur.

Econtra incertitudinis ac dubiorum in Libertino & impio origo sunt pessimæ ipsius animæ qualitates. Primò enim perversæ & stultæ passiones obscurarunt in eo rationis lumen, intellectum oppresserunt. Fumosi & condensati vapores isti ex infami cloaca propriæ concupiscentiæ exurgentes superiorem animæ regionem occuparunt, & in illis perturbarunt sensum ac intelligentiam. Passi sunt in fluctibus malæ suæ conscientiæ naufragium, ut S. I. Tim. I. 19. Paulus animadvertit: *Bonam conscientiam repellentes naufragaverunt circa fidem.* Quam elegans est hæc Apostoli comparatio! quando eveniunt naufragia? furentes inter maris procellas, & horridas orientes tempestates. Quando verò exoriuntur ejusmodi procellæ & tempestates? tunc, cum cælum est obscuratum solis & reliquorum siderum radii spissis involvuntur nubibus. Credite mihi, quamdiu cælum conscientiæ est serenum, à passionum nubilus liberum & imperturbatum, fides in salvo ac securæ est: quamprimùm verò conscientia vitiorum & affectionum sensualium tenebris est obfuscata, Ah, milleni mox vapores ex inferni abyssu emergunt, mille turbines temptationum sc. infidelitatis, & mendacii talem animam exagitant, & cuius novæ doctrinæ sectæ involuunt: *Circumferimur omni vento doctrinæ.*

Memen-

Mementote, monet S. Bernardus, dicti à Christo Magistro nostro nobis inculcati: *sint lumbi vestri praeincti*, Luc. 12, & *lucerna ardent in manibus vestris. Nisi ignis ille inferior extingatur, superior lucere non potest.* Lumen nimirum fidei & Divini amoris ignis in anima ardere, & lucere nequeunt, nisi passionem ignis, cujus fumo eclipsatur vester intellectus, penitus extingatur.

Secundò, hæc dubia & infidelitates non solùm ex obfuscatione intellectus prodeunt, sed ex perversa potius voluntate, in furias acta ob vehementiam passionum, pro honore & plausu proprio tuendo.

Talis est, quæ ad agnitionem veritatum Evangelicarum excandescit, eoquòd istius intentionibus sint oppositæ. Ipsa tolerare nequit, ut dicatur sibi, aut ignem concupiscentiæ suæ extingendum, aut in igne gehennæ jugiter ardendum: malè parata reddenda, & aliena quævis suo domino restituenda aut necessariò bonorum cælestium jacturam esse subeundam in sempiternum: vindictæ propriæ vel renuntiandum, vel æternam Dei vindictam sentiendam. Hæc est voluntas, quæ contra Deum insurgit, ejus que lumina suscipere respuit: *Rebellos lumini . . . Job. 24. 13. qui dixerunt Deo; recede à nobis, scientiam viarum tuarum & c. 21. 14. nolumus.*

Spiritus Sanctus hujusmodi peccatores comparat aspidum generi, quæ aures obturare dicuntur, ne incantatoris vocem percipiant: *Furor illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surda & obturantis aures suas.* Psal. 57. 5.

Tertia causâ istorum dubiorum esse solet ira Dei in tales peccatores, de quibus illud dictum Apostolicum verificatur: *Revelatur enim de cælo ira Dei, propter hanc se Deus ab ijs retrahit: ut non videatur ulterius ipsorum* Rom. 1. 18;

Deus esse. Quando de Deo cogitare volunt, mille obscuritates, & Chymæræ, mille impertinentes phantasiæ, & horribiles blasphemiarum eorum intellectum obruunt. Tradidit, & reliquit illos Deus Spiritui tenebrarum, ac tam profundè sepeliit in ista nocte infidelitatis, ut in clara luce gratiæ, & in pleno ipsius meridie cæcorum instar cespitent, veritates etiam maximè palpabiles non agnoscant: *Percutiat te Dominus amentia, & cecitate, ac furore mentis, & palpes in meridie, sicut palpare solet cæcus in tenebris.*

Deuter. 28.  
v. 28. 29.

Detestemur istam fortitudinem intellectus, quæ aliud nihil est, nisi effectus maledictionis De: attrahere conemur super nos lumina fidei & gratiæ per humilitatem & submissionem intellectus nostri, per integritatem morum, & vitæ nostræ puritatem ut efficiamur aliquando felices in fruitione luminum gloriæ. Amen.



IMPI-



# IMPIUS MALE- DICTUS IN SERVI- TUTE SUARUM PASSIONUM.

*Si audire nolueris vocem Domini Dei tui . . . ser-  
vies Diis alienis, qui non dabunt tibi re-  
quiem, neque die neque nocte. Deut. 28.*

**S**æpius deplorandam duximus miseram cæcita-  
tem gentilium in idolo-  
latriæ tenebris degen-  
tium, qui non modò opera manuum suarum  
adorare, & in apotheosin referre contendebant pestem,  
famem, bellum, aliæque magis infamia & nociva naturæ  
monstra; sed insuper supra aras suas reponere sunt ausi,  
quos vel referre horret animus, nefarios homicidas, ince-  
stibus, & adulteriis infames nebulones, sub quorum tur-  
pissimo schemate ipsa longe enormiora flagitia veneranda  
& imitanda spectatoribus proponebant. Hoc est, quod  
illis S. Gregorius Nyssenus exprobravit: *Deus vitiorum  
suorum patronos effinxerant, ut non modò peccatum crimine ca-  
reret, sed Divinum aliquid censeretur.*

Miseria Christiani peccato obnoxii incomparabi-  
liter magis est deservenda: Siquidem is, postquam fidei lu-  
minibus jam illustratus agnovit, unicum esse Deum, cui  
soli sua servitia & obedientiam præstare teneatur; post-  
quam donatus jam fuit libertate filiorum Dei, efficitur ni-



hilominus idololatra suarum passionum, eisque sacrificat de omni eo, quod est magis pretiosum.

**DIVISIO.**

Hæc est maledictio, quæ hodiè pertractandam se offert: sed, quia contraria juxta se posita magis elucescunt, placeat vobis, mihi concedere, ut ostendam in prima parte privilegia, favores justi possidentis verum, permanentem & gratam libertatem: in secunda maledictionem impii sub tyrannico jugo veri, perpetui & crudelis servitii degentis. Ad id verò præstandum imploremus auxilium Spiritûs libertatis, per interpositionem humilitatæ & ab omni creatura liberrimæ Virginis. *Ave Maria.*

**I.  
Punctum.**

S. Augustinus super Genesin ad literam speciatim observat, quòd Deus in productione Universi prædicatum *Domini* sibi non arrogarit, præterquam tunc, quando primum hominem in terrestrem paradisum introduxit, eique imperium in illum, & omnes insuper alias creaturas concessit: quasi per hoc, notat hic S. Doctor, nobis significare vóluerit differentiam inter dominium, quod humana potestas, & quod Divina exerceat majestas. Ista quippe intendit constituere dominos & magistros: *in eo quod dominos ipse constituat.* Illa verò servorum & mancipiorum numero gloriatur. Est inventio Dei sapientiâ omnino digna ad ostendendam gloriam sui regni, ad illustrandam suæ curiæ magnificentiam, sibi deservire nolens nisi Reges, & personas perfectâ libertate donatas.

Id. quod S. Augustinus de Deo, ut Creatore, idem de Deo, ut salvatore, Christo Jesu sensit S. Ambrosius, quem is considerat victoriosum, non ob ingentem captivorum numerum ad morem mundialium heroum, sed ob assertorum è servitute in libertatem copiam. Ratio in promptu est,

est, quòd Christi bella & victoriæ non ortum trahant ex titulo justitiæ, sed gratiæ & Charitatis, quæ neminem lædi sustinent. *Christi victoria libertatis est, quæ omnes gratiæ vindicavit, nullum astrinxit injuriæ; quos Christus alligat, liberat; quos astringit, solvit.*

Eadem est D. Pauli doctrina in diversis locis docentis, maximè dum ad Galatas scribit, ijs per Christi passionem partam ostendens perfectam & supremam libertatem: *Vos in libertatem vocati estis, ... qua libertate nos Christus liberavit.* Galat. 5. 13. Haussit Apostolus hanc veritatem ab ipso Christo, suo magistro, quem alius ejusdem discipulus sic loquentem inducit: *Veritas liberavit vos ... si vos filius liberaverit, verè liberi eritis.* Joan. 8. 32, 36.

En primam rationem, quæ probat, servos Dei veram possidere libertatem, provenientem, ut videtis, ab ea quàm Deus donat, cujus dona sunt vera & perfecta bona; item à Christo Jesu, vero Redemptore nostro nos verè liberos constituyente, in tantum quidem, ut nos in amicorum etiam suorum numerum adlegere, dignetur: *Jam non dicam vos servos, vos autem dixi amicos.* Joan. 15. 15. Hæc prima ratio confirmatur aliis, desumptis ex natura Divini servitii, ejusque principali effectu.

Quid est, servire Deo? propriè loquendo, *Deo servire regnare est.* Videtur quidem ab initio in verbis istis contrarietas aliqua, servire, & regnare, obedire, & imperare. Perfecta ista libertas in gloriosa servitute, quæ nos Deo sub mittit consistit in hoc, quod nobilissimum exercitium voluntatis nostræ & vera possessio sui, quam homo habere potest, repereantur in obedientia, quam legi Divinæ exhibemus, infideli item sequela motuum seu inspirationum ipsius Spiritûs.

Sicus

Sicut rivuli cursus minimè dicitur violentus, qui mox ac oritur, per canalem deducitur suum: vel, sicut astra, si rationis essent capacia, causam se conquerendi non haberent ob directionem à superioribus Intelligentiis permanantem tanquam scientibus motuum illorum proprietates, effectus, ac perfectiones: ita homo pariter vim sibi, aut suæ libertati inferri, murmurare non debet contra Deum, dum eum ad obedientiam suæ legis pertrahit; ipsum enim facit operari modo nobilissimo & naturæ ejus animæ maximè congruo.

Quapropter S. Paulus in secunda ad Corinthios universim pronuntiat: *Ubi autem Spiritus Domini, sibi libertas.*  
 2. Cor. 3. 17. Iterum in Epistola ad Galatas sequentia adjicit: *Si spiritu*  
 Gal. 5. 18. *ducimini, non estis sub lege.* Non dicit, non habetis legem

Jacob. 1. 15.

sed non estis sub lege; hoc est, lex Dei vobis non imponitur per modum jugi, sub quo gemere debeatis; nec est jugum timoris, sed jugum suave & amabile, cui etsi alligati, perfectè tamen liberi persistitis juxta D. Jacobi assertionem: *Qui autem perspexerit in legem perfectam libertatis & permanserit in ea.*

Veritas ista adeò conformis est bono sensui & rationi, ut Seneca, solius naturæ moralibus principiis illuminatus, eam agnoverit, fassus, ingens & incomparabile hominis esse bonum, suum esse, id est, sui possessorem, sui dominum, & sui magistrum esse; *inestimabile bonum est, suum esse.* Addit præterea, quomodo id fieri possit: *Nemo suus fieri potest, qui non priùs sic Dei fiat, ut omnia cum Deo aut nolit, aut velit.* Alibi iterum docet: *si vis subjicere tibi omnia, subjice te rationi,* præcipuè rationi supremæ, quæ est ipse Deus.

Cassiodorus, utpote fidei luce irradiatus clarius & apertiùs in rem nostram loquitur, sic Deum alloquendo:

*Tunc*

*Tunc ero meus, cum fuero tuus, dominus ero in me ipsum, quando obediens ero tibi.*

Quis est effectus principalis obedientiæ, quam Deo exhibemus? *Vir obediens loquetur victoriam.* Victoria Prov. 21. 28. sanè illustris, quam per auxilium gratiæ consequimur de omnibus vitiis, ac passionibus.

Prima, & nobilissima hominis libertas est, D. Augustini testimonio, quâ per obedientiam suam erga Dei legem quis eximitur criminibus, quæ tyrannidem in alios exercent, sitq; dominus harum prædominantium passionum, quæ tot pene mancipia numerant, quod in terra homines computantur: *Prima libertas est, carere criminibus: ubi ceperit Christianus ea crimina non habere, tunc incipit, caput erigere ad perfectam libertatem.* Consentit S. Gregor. Nyssenus suo calculo, dum justum turpi servitute inordinatarum suarum passionum liberum introducit in possessionem gloriose libertatis Filiorum Dei, cujus meminit Apostolus: *Ipsa creatura liberabitur à servitute corruptionis in libertatem Filiorum Dei.* Rom. 8. 21.

In hoc puncto, ait S. hic Pater super Genesin, principaliter relucet character filiorum Dei, & gloriosa illa similitudo, de qua ab initio mundi loquebatur Deus, quando statuit secum: *Faciamus hominem ad imaginem ad similitudinem nostram, & præsit piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestiis, universæque terra.* Genes. 1. 26. Videtis ne, advertere nos jubet idem S. D., quòd in imperio Deum homo repræsentare, eique assimilari debeat? In quod autem suum exercere dominium & imperium oportet? in voluptatem, in ambitionem, & avaritiam, maximè verò in passiones omnes, quæ in sensu morali exprimentur, ac significantur per pisces maris, volucres cæli, & bestias terræ.

Si velitis, ut eruamus præsentem veritatem ex ipsius fundo & fonte: observetis, velim, quod Ethica, & fides doceant, nos omnes turbinibus civilis cujusdam & intestini belli implicitos esse. Habemus in nobis ipsis, penes quem sit summa potestas, spiritum rationalem: *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Interea tamen *caro concupiscit adversus spiritum, rebellis servus.* Omnes item passiones nostræ arma corripunt contra dominum suum legitimum, quem throno deturbare attentant, ut tyranno auctoritatem stabiliant. Isti bello cuncti sumus intricati duplici ex capite: primò, quia sumus homines è corpore & anima compositi. Secundò, quia à Protoplaste Adamo, eoque rebeli parente descendimus, qui primus hanc intestinæ rebellionis telam exorsus, inde in nos vitiatam à se stirpem deduxit in vindictam suæ inobedientia. *Sic vindicatur in rebellem, ut ipse sibi sit bellum, qui noluit habere pacem cum Deo,* est animadversio S. Augustini.

Quinam sunt ergo, qui hoc tyrannidis jugum excutiant, quo nos natura corrupta & peccatum opprimere nituntur, & qui per istum remedium veram tueantur libertatem? Illi soli, qui Deo obtemperant, & qui possident eam libertatis gratiam S. Paulo promissam à Deo, iisque omnibus, qui se ad recipiendam ipsam præparate *2. Cor. II. 9. voluerint: Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.*

Sive igitur consideremus Deum & Christum auctores libertatis in iusto; sive consideremus naturam obedientia & servitii, quod hic Deo præstat; seu reflexionem instituamus supra effectum, quem in illo producit hæc obedientia; manet evidens, quod is veram perfectamque possidet

possideat libertatem. Ista libertas, secundo, est constans & perseverans; deperdere ipsam nequit; conservat eam in medio carcerum, inter catenas & vincula. Ratio hujus est aperta, quod illa non sit extrinseca homini, sed in fundo animæ sita; consistit in possessione gratiæ, quæ homini invito nullatenus potest subtrahi. In probationem assertionis nostræ adducit S. Ambrosius Josephum, quem malitiâ fratrum suorum venditum in Ægyptum, etsi David servum pronuntiet: *In servum venundatus est Joseph,* servus Psal. 104. 17. tamen reverà non fuit. Corpus quidem innocentis multo gravabatur ferro, nihilominus anima semper remansit liberrima: *Humiliaverunt in compedibus pedes ejus, sed non animam ejus.* Quomodo enim, inquit Mediolamensis Antistes, dicatur servus, qui oraculi instar consulebatur à Regibus Ægypti; *quomodo hic servus, qui erudit principes populi, & universum Ægypti populum in servitutem redegit?* S. Joannes Baptista apparenter quidem succubuit victima crudelitati Herodianæ, à quâ in ergastulo tenebatur mancipatus: de illo tamen æquè; ac universim de sanctis Martyribus istud Tertulliani axioma verificatur: *Etsi corpus includatur, omnia Spiritus patent, nihil cruc sensit in nervo, dum animus est in cælo,* corpus quantumvis sit vincularum, spiritus fruitur libertate.

Tertiò, quemadmodum hæc justæ libertas est vera & permanens, ita pariter suavitati & dulcedini est sociata, eoquòd consistat in pace interna animæ, cujus dulcedini nihil in mundo comparari potest; *Pax Dei,* expertus loquitur D. Paulus, *quæ exsuperat omnem sensum.* Veri Dei Philp. 4. 7. servi constituunt populum cum millies beatum, cujus apud Deum meminit: *sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in requie opulenta.* Isa. 32. 18.

II.  
Punctum.

Jam alteram obvertamus faciem, & dicamus in ista secunda parte, quòd per rationem à contrario petitam, peccatores Deo obedire detrectantes, quocunque in statu, vel qualicunque in conditione versentur, nequeant à se excutere jugum veræ permanentis, & crudelis servitutis.

Suprema, absoluta potestas & independentia est bonum à Divinitate inseparabile. Novit quidem Deus quandam è nihilo extrahere creaturam, & ad tantum magnitudinis gradum evehere, ut ipsius immensitas se undique per omnia extenderet. Nec Divinæ potentia repugnat quàm eidem communicaret capacitatem intellectus tam amplam, ut cognitionem infinitudinis objectorum assequeretur: sed talem producere non valeret quæ semper esset independens à suo Creatore. Frustraneum itaque est, ut impii jugum adèd honorificum & amabile excutiendo, se nolle servire protestantur cum illo, quem Jeremias inducit: *Confregisti jugum meum, & dixisti: non serviam*, servient, quantum vis inviti. In libera eorum optione non est, servire, aut non servire, sed servire domino, qui ipsis placuerit.

Minus implicas, videre rivulum sine fonte, radium sine suo sole, quàm creaturam absolutam & independentem. Independentia perfectio est incommunicabilis, & quòd plures perfectiones creatura à Deo participat, tantò magis ab illo dependet, cum omnes perfectiones istæ totidem sint tituli præstandæ servitutis.

Millies igitur infelicis ejuscemodi Christiani, qui illicio libertatis mundanæ inescati, & sub prætextu volendi cogitare id, quod volunt, volendi, loqui quomodo volunt, agendi, quodcunque libuerit, tegunt turpiorem servitutum velo malitiæ, uti S. Petrus innuit: *Velamen habentes malitia*

*malitia libertatem.* Jactant illi, se vivere liberos, id est secundum proprium humorem suamque phantasiam: volunt sequi suam imaginationem, facere id omne, quod placet; ubi tamen non advertunt, se per hæc degenerare in mancipia corruptionis, id est, naturæ destructæ & corruptæ per peccatum, & à dæmone occupatæ: quod etiam S. Petrus declarat: *Libertatem illis promittentes, cum ipsi* 2. Pet. 2, 19. *servi sint corruptionis.*

In isto infausto statu reperiuntur omnia, quæ nobis imaginari possumus, tanquam spectantia ad veracem quampiam servitatem: tyranni sine numero, tenebrofi, subterranei recessus, obscuri carceres, catenæ & vincula ponderosissima, supplicia & tormenta acerbissima.

Axioma famosum refert Apostolorum Princeps, quod ubivis gentium receptum, armorum item juri congruit: *A quo quis superatus est, hujus & servus est.* Quapropter *Ibidem.* Christianus, qui spreto succursu gratiæ Christi à diabolo se superari permittit, eodem mox tempore efficitur ejusdem mancipium, imò omnium, quot in orco numerantur, dæmonum. Quia, *qui facit peccatum, servus est* Joan. 8. 34. *peccati,* est pronuntiatum infallibile Divini Verbi. Et experientia nobis magnifestè ostendit, peccatorem à tot gubernari tyrannis, quot in eum dominatur passiones. Ecce, quales hi sint tyranni?

Quid est amor profanus, fruitio voluptatem prohibitarum etiam Divini spiritus oraculo, quam fovea, carcer? *Fovea enim profunda est meretrix, puteus angustus.* Qui *Prov. 23. 27.* dam pictor mundanam adumbraturus venustatem cum omnibus suis fascinis & illicitis, tabulæ suæ istud duntaxat verbum infernè, nec sine ratione suffixit: *Labyrinthus,* siquis enim vinculis carnalis amoris semel est irretitus,



exitum reperire non ampliùs poterit, hic occurat Mino-  
taurus, aliàque monstrosà bestià, cor illius devoraturà.  
Verbo juxta Scripturà phrasin omnis perversa habitudo  
est abyssus profunda, in qua peccator jacet sepultus; *Cùm  
in profundum venerit. &c.*

Prov. 18. 3.

II.

Pandum.  
Pl. 118. 61.

Denique in probrosa hac servitute peccatores sunt  
vincti & illigati: *funes peccatorum circumplexi sunt me*, hic  
item sunt affixi catenà, hic sunt discerpti à remorsibus  
conscientià suà. Quòd si servitus ista sit vera, tamdiu per-  
manet, quamdiu peccator in peccati statu persistit. Idem  
mancipiis Algerianis aut Tuneranis non evenit, hæc  
enim saepe suos effugiunt tyrannos, nec ipsorum catenà  
nisi membra constringunt exteriora. Impius verò *intra se  
dominos habet intra se servitutem patitur*, ut notat D. Am-  
brosius, hæc vincula sunt ex cordis illius substantià fabre-  
facta, *velle meum tenebat inimicus, & inde fecerat cate-  
nam*: D. Augustini querela olim fuit.

Deut. 28.

Sed ante omnia servitus ista crudelis est ob tres rati-  
ones, in verbis præfixi mei thematis contentas: *Si audire  
nolueris vocem Domini Dei tui . . . servies Diis, alienis, qui  
non dabunt tibi requiem neque die, neque nocte.*

Primò, peccator serviet non uni domino, sed pluri-  
bus, *diis*. Secundò, sicut hi domini & dii non erunt legi-  
timi domini, & veraces ipsius dii, sed tyranni, & deastri,  
ita erunt immites sine ullo pietatis sensu, sine compassi-  
one in suum servum, *Diis alienis*. Tertiò, domini erunt  
furiosi, intolerabiles, adeò, ut eum continuo sint oppres-  
si citra ullam nocturnà aut diurnà quietis indulgenti-  
am. *Qui non dabunt tibi requiem neque die, neque nocte.*

Quemadmodum non habemus nisi cor unum ani-  
mam unam, ita unicum duntaxat Deum veneramus, cui  
servi-

serviamus, qui in suos tam benignus, ut malit potius uti jure & titulo patris, quam domini, vel magistri erga ipsos; *Non dicam vos servos, vos autem dixi amicos.* Peccator uni Deo servire renuens, hanc unitatem in pluralitatem dominorum partitur: quid faciet? non habet nisi unum cor, id insuper est valde exile, & nimis angustum capiendis tot, tamque vagis passionibus, quæ nullis limitibus se coercere sinunt. Quod autem molestissimum, est, tales dominos sibi semper contrarios, nunquam convenire in suis intentionibus; præterquam in re solum unica, quæ tendit ad torquenda & ex crucianda miseranda sua mancipia.

Non potest quidquam pulchrius, nec eloquentius hac super materia afferri, quam id, quod Petrus Venerab. Cellensis Abbas in tract, *de panibus*, Scriptum reliquit: *Imperant ei vitia, non domini, sed tyranni: imperant, sed sine miseratione; mandant, sed sine discretionem; congregant super uno, sed cum dissensione: rixantur frequenter inter se isti tyranni,* ex. gr. passio voluptatis exigit prodigalitatem, avaritiæ passio econtra vult, parci sumptibus ambitio urget laborem, ut obineatur honor, cui amor quietis & vitæ se hinc opponit. Certamen hoc in seipso expertus testatur S. Augustinus: *Certant in meipso, de meipso cujus potissimum videar.* Quid verò in ejusmodi conflictu justo agendum, quomodo pugnandum, mox sequitur: *Ego autem quantum valeo, resisto, Jesum meum reclamo, Jesu meo me commendo,* sed peccator, qui gratiam non habet tollendi istam dissensionem cedit his tyrannis in prædam, qui per istos contrarios motus ipsum distrahunt, ac discerpunt.

Non credo, asserit D. Ambrosius, quod maleficus quispiam à quatuor equis in diversa abstractus, tantum, quan-

quantum hæc miseranda mancipia sustineant, quorum corda à passionibus tam passionibus tam oppositis distrahuntur. Propheta Isaias ad mirabili modo hoc tormenti genus nobis repræsentat, quando docet, dæmones vitiosarum passionum præfides elevare se aliquando contra infelicia sua mancipia, iisque effero & crudeli vocis tono imperare: *incurvare, ut transeamus*: prosternite vos in terram, ut suppra ventrem vestrum incedentes, pedibus vos consulcemus *incurvare, ut transeamus*.

Isa. 51. 23.

Ibidem,

Asmodæus animæ alicujus tyrannidem nactus, eam compellit, ut se omni turpitudini, quæ nostram naturam commaculat, subjiciat; *incurvare*: raptat illam per omnes cloacas, & oppidi immunditias; cogit ipsam ad erogandamagnas expensas, pro latis factione quadam brutali consequenda.

Mox avaritiæ dæmon insurgit thronum occupat, præcipit: *incurvare*. Eò miserum peccatorem adigit, ut propter pecuniarum profusionem in infames ejuscemodi delicias propemodùm desperet: in tantum premit eundem, ut omnibus injustitiæ artibus deditus, per fas & nefas corradat, quo honorum jacturam, quam incurrit, compenset. Sic vix liber fit ab una passione peccator, mox recidit in aliam, mutat quidem dominum, nunquam tamen jugum excutit servitutis. Dicere vobis liceret cum M. Gregorio, infelices istos mortales in lumen dæmonibus destinatos, à quibus pilæ instar projecti, de vitio in vitium, de passione in passionem detrudantur. *Ludus est dæmonum cum vagas & instabiles animas de vitio notant in vitium.*

Credite mihi, quod jam monui, cor humanum nimis augustum, excipiendis passionibus tam amplis & vastis; quapropter se mutuò percutiunt, jugi. & que repercutiunt,

cutiunt. An nunquam spectâstis mare angusto freto conclusum? id fremit, tumet, irascitur, spumantes fluctus in adversas libertatis suæ obices, scopulos nim, evomit; jam in altum se erigit, jam in profundum subsidit, perpetuum patitur fluxum atque refluxum. En vivam, Isaia teste, cordis humani à passionibus agitati effigiem: *Impii autem, Isa. 56. 20. quasi mare fervens, quod quiescere non potest.* Quod alia versio significantius exprimit; *impii ad instar Euripi fremunt.*

O Deus! quàm ille se egregium probavit poëtam, seu mendacem, exclamat Seneca, qui noctem quandam tranquillam descripturus canit: *Omnia noctis erant, placida composita quiete, omnia, hoc factum est: nulla quies est, nisi quam ratio composuit.* At quid servit, custodiri strictissimum silentium in anteriori principis camera, si interiori conclavi cordis ingentes insolentium passionum turmæ seu potiùs dæmonum horrendum edant clamorem? S. Chrysostomus admirabilis est in præsentī materia dum se confert ad unum horum mancipiorum, id sic alloquens: Mibone amice, ex vicenis & quatuor horis, quæ diem, noctemque componunt, queram, obsecro, tuæ designata est quieti? numera tuas inquietudines timores tuos, displicentias, desperationes, citiùs sanè ad calculum revocarem maris arenas, fluminum guttas.

Nonne verum est, ab infroenium tuarum cupiditatum motibus cieri tempestatem in tuo corde, etiam tunc temporis, quo turbulentus alioquin Oceanus pacificè suos componit fluctus, omnis naturæ strepitus quieto compefcitur silentio? quòd si phrenesis tua, quò minùs id cognosceres, prohiberet, habemus Deum omnis veritatis, qui testatur: *Non est pax impiis, dicit Dominus.*

Bb

Accedit

Prov. 30. 15.

Accedit, quod ista servitus sit crudelis; quia, quò plus his indulgetur tyrannis, magis exigunt, & quidem respectu mancipiorum magis se submittentium truculentiorum exercent tyrannidem. Longè prius satis fieret alioquin insatiabili, Neronis, Heliogabali avaritiæ, aliisque similibus abortivis naturæ monstris, quàm inordinatis istis affectibus & desideriis, qui ut fame sitique exhaustæ sanguisugæ incessanter clamant: *affer, affer*, plus ultra nunquam satis.

Psal. 13. 3.

Quid non tentat homo gulæ deditus, novus aliquis Sardanapalus ad explendas carnis, ventris concupiscencias? Vocat Psaltes *sepulchrum patens guttur eorum*, continuò apertum, in quo tot pecudum, attilium cadavera, tot ciborum genera exquisitè cocta sepeliuntur; tot infunduntur amphoræ vini nobilissimi, nec tamen explentur unquam.

Petite ex avaro isto, quas curas coquat, labores devoret, quot tædia digerat, ut avaritiæ suæ os obstruat, eisi intereà adeò urgens, tamque importuna non fuerit. Si verum est dictum illud Theophili Alexandrini: *Avaritia senescere nescit*; reliqua ferè vitia cum vitâ decrescunt, hæc senium non sunit, viret in omni ætate viribus semper integris.

Et tu Veneris infame mancipium, immunde libidinis porce, quæ hætenus non tentasti ad exsaturandam carnis tuæ pruriginem? ædes tuæ jam dicuntur destructæ, fanitas deperdita, honor diffamatus, vita abbreviata, mortem, imò infernum dudum millies promeritus es, ob tot contractas lethalium peccatorum noxas. Num verò aliquando tibi satisfactum? Negativum audire videor responsum; & quòd infernalis hic sub nive caniitei tuæ la-  
rens

tens ignis, velut sub cinere adhuc gliscat, nunquam non ardeat, usque dum ipse in fumum abeat, majori quàm unquam furore sæviens. *Implet luxuriam, & adhuc esurit; sustinet pœnam, & adhuc crescit,* ut adnotat Venerab. Petrus Cellens. Abbas.

An exactiorem quis crudeliorem sibi imaginari queat, præter istam, ubi sine fine petitur, & repetitur, etsi milies sit solutio facta; ubi ad mensuram solutionis fit continuatio supplicii? *Inclementius nihil hac exactiorem, ubi solutum semper repetitur, innovata cum cruciatibus repetitione,* ita censet Madnus hic Abbas. *Mallet,* addit is insuper, *non habere membra, quàm tot suppliciorum pendere vectigalia:* mitius mecum ageretur, si rotæ cujusdam essem aculeis innexus, quàm adeò crudeli & infami servituti subiectus.

Non minor amplius, quòd olim S. Augustinus docuerit: sicut tyranni ad excrucianos Ecclesiæ Martyres solebant adhibere carnifices; ita utitur dæmon passionibus inordinatis veluti lictoribus ad suos, mundi, & inferni Martyres probandos. Id reverà asserere post tantum Doctorem, non erubesco, quòd carius emant damnata hæc mancipia infames suas delitias, quàm SS. Martyres æterna cœli gaudia: *Plus torquetur libidinosus voluptatis amore, quàm Martyr Christianus sanguinis effusione.*

Fallitis vos, & fallimini vos mundani, cum Prædicatores ut importunos ac Criticos traducitis, qui à vestris delitiis vos abstrahere intendunt: fallimini, inquam, si quidem nos intensius, quàm ipsimet, vestram quærimus felicitatem & satisfactionem; si vos exhortamur ad mortificandas passiones vestras, quæ juxta fidei, rationis &

experientiæ dictamen necessariò summum vestrorum tormentorum sunt supplicium; si vos provocemus, ambabus arripere manibus gladium, ad eas funditùs delendas, ad pacem vos invitamus. *In pace autem vocavit nos Dominos.*

Hoc verum est, mi Prædicator, opponet mihi aliquis; intereà tamen sequendo doctrinam vestram, me vitâ successivè privo; necesse erit, ut istud deseram, illo me bono exuam, ne ulterius me isthuc conferam, nec ampliùs ibi compaream. Ah! quid, quæso dicis? Onus intolerabile imponis humeris meis, sub cuius pondere succumbere me oportet. Deciperis, repeto denuò non succumbes, non moriêris, animum sume, supprime passiones has, quæ hactenus te in præsens usque oppresserunt, & pacis tranquillam quietem invenies. Isti pariter intricatus hærebat errori olim S. Augustinus, æquè ac tu, eo tamen expeditus, expertus illius falsitatem, *quàm suave, is exclamat, subito mihi factum est, carere suavitatibus nugarum, & quas amittere metus fuerat, amisisse gaudium fuit,* imitare hanc S. Patris generositatem, recipies Dei benedictionem, gustabis dulcedines gratiæ ipsius in præsentem, in futuro autem delitiis afflues gloriæ sempiternæ. Amen.



IMPIUS MALE-  
DICTUS IN REMOR-  
SIBUS SUE CONSCI-  
ENTIÆ.

*Si audire nolueris vocem Domini Dei tui . . . . da-  
bit tibi Dominus cor pavidum, & animam  
consumptam mœrore, timebis nocte & die.  
Deut. 28. v. 15. 65. 66.*

**Q**uando in Scriptis Gentilium lego, quòd pecca-  
tum necessariò post se suum trahat supplicium;  
*sceleris in scelere supplicium est*; quòd ipse impius  
fit sui primarius tortor, sui que infortunii faber: *prima &*  
*maxima peccantium pœna, peccasse est*, juxta Plutarchum.  
Quando video Senecam agnoscere, & adorare Divinam  
Providentiam, unaque eidem grates exsolvere ob re-  
rum omnium ordinem, tam suaviter, quàm sapienter in-  
stitutum, speciatim ob præfixam cuivis homini in quam-  
cunque statûs eminentiam subvecto, peccanti etiam in  
præsenti vita suam pœnam; *nullum scelus licet fortuna*  
*suis exornet muneribus, licet tueatur, ac vindicet, impuni-*  
*tum est.*

Seneca epist.  
98.

Seneca ibidem

Quande ex Epicuro, in omnibus Sapientum Aca-  
demiis tamquam infami & brutali homine semper pro-  
clamato, suos docuisse discipulos intelligo, quòd si juxta  
proprium suum beneplacitum vitam instituere velint, in  
quo summam ille felicitatem reposuit, studiosè nihilomi-



nus peccatū evitent, eoquod offensa & pœna sint geminæ forores, uno tempore conceptæ & natæ tormentum & timor sint socii criminis individui. Quando inquam, has veritates addisco ex ore illorum, qui studio consecretantur, ut mendaciis fidem adhibeant, erubesco. nec immeritò; quod Christiani cœlesti disciplinā imbuti sint rudiores pagani, magis brutales Epicuri asseclis, utpote sibi persuadentes, rerum bonum, solidūmq; gaudium inter vitia posse reperiri. Discurramus hodie sanius de falsa hac peccatorū pace, & discamus ex damno impii à Deo maledicti, extraneam istam pulchritudinem, externam illam lætitiā, alloquium hoc tam gratum, non esse aliud, nisi tegumenta cordis exulcerati; falso beatos mundanæ felicitatis alumnos cruciatibus continuis remordentis conscientiæ torqueri, per similes esse delubris in Ægypto, in fonte auro radiantibus, etsi aliud ibidem interiùs nil conspiceretur præter serpentes & Crocodilos corda illorum corroden-tes. Discamus, eorum inobedientiam juxta Dei comminationem vindicari per timores & terrores assiduos.

Gloriose Spiritus Dei, qui es Deus pacis, & unicum principium veræ lætitiæ, da nobis veritates istas agnoscere; hanc enixè rogamus à Te gratiam per illius suffragium, quam tibi elegisti in sponsam tuam. *Ave Maria,*

Quid est conscientia mala? Si responsum petamus è profanæ Sapientiæ trypode, audiemus, esse rigidum censo-rem, tyrannum implacabilem, irā excandescentem tor-torem, Megæram aliquam; verbo, infernalium furiarum turmam, quæ aspidibus cincta, flagris & faculis ardentibus armata, peccatorem obsidet, & incessanter discuciat: *Sua quemque fraus, & suus, terror maximè vexat, hæc sunt impiis assidua, domesticaque furia.*

At

At sequendo sacratiora, eaque infallibilia Divinæ sapientiæ dogmata, quid nobis illa de conscientiae malignitate enuntient, advertamus. Est biliosi, seu irâ bullientis cruoris aculeus, crudelis spina, quæ cordis medullas perforat, omnia cruentat. *Conversus sum in arumna mea,* Psal. 31. 4. *dum configitur spina.*

Est tinea ossium intima continuo consumens. *Ego quasi tinea Ephraim.* Est adversarius noster importunus, qui nos toto vitæ præsentis decursu instanter affligit, nisi ei consentiamus, de quo Christus mentionem injicit: *Esto consentiens adversario tuo cito, dum es in via.* Est vermis, qui arrodit cor animæ, in fatuis voluptatum delitiis natus, mori nequit, nisi amaritudine absynthii & pœnitentiæ contritus. *Vermis eorum non moritur.* Est vipera illius viscera discerpens, qui ipsam produxit: *Concepit dolorem, & peperit iniquitatem.* Est infernus in hac vita peccatoris. *Convertantur peccatores in infernum,* id est secundum D. Augustini interpretationem; *Dentur in manus suas, & illaqueentur delectatione mortiferâ.*

Perceptis jam Scripturæ conceptibus, videtur nil posse dici efficacius de tormentis perversæ conscientia, quam id, quod S. Bernardus assertit, cujus verba triplicem, eamque pulcherrimam & exactissimam subministrabunt divisionem. *Mala conscientia tribus fungitur officiis ex parte peccatoris ipsa testis, ipsa iudex, & tortor est.* 1. Tanquam *testis* vel accusator per suas objectiones nos confundit. 2. Ut *Judex* per sua mandata nos stringit, & condemnat. 3. Ut *tortor* per suos remorsus nos affligit; *accusat, judicat, cruciat.* En tria discursus mei puncta.

Facile

Facile possumus nocturnis in tenebris sepelire nostra scelera, inquirere loca ab hominum consortio remota ad peccatum opportunius perpetrandum. Hoc verò frustraneum, impossibile est, ut nostrorum officiorum auctoritas, aut divitiarum nostrarum ingens cumulus ora obstruant injusticias nostras spectantibus, linguas linget, quò minùs in vulganda nostra delicta se effundant, ac mundus universus condemnet, de quo nullus audeat conqueri. Quòcunque nos conferamus, in quovis loco conscientia nobis assistit, & in medio turbæ nobis plausum ferentis ruborem imprimit per suas exprobrationes. Vocatur ipsa à D. Bernardo testis domesticus, comes inseparabilis, non tamen propterea intermittens testari contra proprium suum Dominum: *Quòcunque vado, conscientia mea non me deserit, ubicunque, mihi gloria vel confusio inseparabilis sic sic in domo propria, & à propria familià habeo accusatores & testes.*

Credite mihi, addit idem mellifluus Doctor: *Nullus molestior oculus suo cuique, non est aspectus, quem tenebrosa conscientia suffugere magis velit, minùs possit.*

Vix commissimus malum, mox accusator adest, ut suum exercent officium, dum contra nos insurgit, teste D. Chrysostomo, nobis exprobrat, & ipsi pectoris meditullio inelamat! Ah! temerarie, quousque te tua insolentia, ut ausu nefario præsumeres contemnere majestatem Dei, sacratas illius transgredi leges? Hæc ne, ingrata, est recognitio tot favorem, tantarum gratiarum à Divinæ bonitatis fonte promanantium? An nescis, impie, te per hanc lethalem noxam incurrisse odium Dei tui? te denuò Christum Cruci suffixis-

Cruci suffixisse, amisisse te inexplicabiles Paradisi delicias, te promeritum æterna inferorum tormenda? *Statim conscientia insurgit, inclamans, & magnitudinem peccati ostendens. Fugere non potes conscientiam tuam, amarulentam accusatricem.* Sicut effugium nullum patet, ita nec ullum eam corrumpendi argento, medium suppetit: *Hoc tribunal pecuniis non corrumpitur, blanditiis non acquiescit.* Quemadmodum enim suam commissionem immediatè à Deo obtinet, cujus bonum & honorem tuetur, ita non respicit personam hominum, non reveretur Imperatorum thronos, non suspicit coronas Regum, nec tiaras Pontificum attendit: objectiones, invectivas declamat, cùm alii Panægyres adornant; ruborem, confusionem imprimitis, quibus alii laudes concinunt, publicos ferunt plausus. Licet etiam extrinsecus non adsit, quem pertimescatis; nullus adsit, qui vos confundat, accusator, qui sententiam contra vos ferat, iudex; qui minas intentet, hostis; impunitatem tamen, vel quietem promittere vobis minimè potestis; intrinsecus enim latet, qui litem moveat, pacem turbet, vos convincat, & perterreat. *Non timebis inimicos, erit in te, quid timeas: licetorem evades, spiculatorem effugies, non sufficit, te tenebis.*

Aliâ probatione hîc opus non est pro veritatis istius assertionem, sufficit exemplum è maximis coronatorum capitum unius, Davidis sc., qui nos docet, se post admissum scelus à propria conscientia tam fortiter accusatum, tam efficaciter confusum, ut rubore plenus ne oculos quidem cælum versùs sustollere sit ausus; sed in terram duntaxat defixos tenuerit: *Miser factus sum, & curvatus sum usque in finem, tota die contristatus ingrediebar.* Curiales & officiales aulæ stupebant non modicè, quòd viderent à Rege

Cc

tam

tam mœsta fronte ad eò latos recipi cursores, optatissimas secum ferentes novellas de recens interceptis oppidis, integris modò provinciis ejus imperio adjectis, prælio fugatis & ad internecionem deletis hostibus sub gloriosis Joabi Archistrategi auspiciis. Dum dicti aulici, inquam, inter gratulantium festivos plausus, faustas victoriæ acclamationes nil præter anxii cordis suspiria & gemitus animadverterent, tam intempestivæ mœstitiæ illi radicem perquirere. Unde, vel quæ, Rex invictissime, tam insolitæ materies tristitiæ? quidnam illum, quod cor tam fortunati, à Deo copiosissimè benedicti, hostibus ad eò formidandi, ab amicis tantoperè æstimati Principis, Patris patriæ, & omnium nationum delitii, turbare, inquietare possit, vel ausit? sed responsi loco profundum silentium, amari & frequentes è regio cubili prorumpunt intermissis lachrymis gemitus, ubi conscientia, torquendo Regem, suum exercebat officium, eique ob oculos proponebat intuendam vivacem suorum flagitiorum imaginem. Videbatur sibi David nonnunquam, se quasi oculis spectare fumantem adhuc è plagis Utriæ profluum cruorè; adulterii infamiam frustra laboravit è memoria abolere, tradere oblivioni: *Peccatum meum contra me est semper*, seditionem in me jugiter commovens; conscientia nimium in mei carnificinam ingeniosè sævit, mihi nullam unquam quietem indulget, tam genuinis mea scelera coloribus exprimit, ut ea coram intueri videar: *Non est pax ossibus meis à facie peccatorum.*

Psal. 50. 5.

An non exquisiti supplicii genus est: *Nocte dieq; sum gestare in pectore testem*, oculis videre, auribus audire, ad latus suum continuò habere accusatorem irritatum, suis nos improperiis indefinenter vexantem? Attamen-  
hujus

hujus se tradat manibus, necesse est, si quis peccare intendit.

Quando impius animum divertere cogitat, conscientia ipsius, quam sibi reddidit adversantem memoriæ representat istum incestum, brutalem in juvenili ætate dudum commissam illam turpitudinem. Idem aliò mox intellectum suum detorquet; sed conscientia eum confestim persequitur, hoc homicidium, hoc furtum, hanc proditionem mentis objicit obrutibus. Expellit quidem peccator molestas ejusmodi muscas; at eodem tempore digito quasi ostendit istas ædes, familiam destructas per ipsius fraudes, istas viduas, orphanos & egenos oppressos, vindictam à Deo de illius injustitiis sumendam expostulantes. Impius faciem avertit & mentem, abigit, & arguit nimis importunam admonitricem. Sed obstinata conscientia acrius instat, umbram in lucem protrahit infelicis cujusdam puellæ, cui simul & semel olim floris virginæ decus, & jus ad cælum subtraxit, quæ inter rogi infernalis flammæ hunc raptorem incusat ut authorem æternæ suæ damnationis, & omnibus à se commissis reatibus obnoxium, cum primis tot sacrilegarum Confessionum ac Communiorum participem.

Proprietatem hanc recepisse conscientiam à Deo, agnovit Victor Episcopus Carthaginensis, ut defectibus nostris tribueret immortalitatem, & vitam in memoria nostra perpetuam, nobis licet invitis. *Conscientia, apud quam non moritur, omne quod gerimus.* Etiam si elinguis existat, nihilominus fortiter semper inclamat, *quæ, cum loquendi non habeat usum, servare tamen nescit silentium.* Diceretis, pergit hic Sanctus Præsul, esse apparitorem Di-

vinae justitiae ad torturam vobis destinatum: *Hæret pectoris tenet te reum, & in sua dictione captivum.*

Quod verò intolerabilius adhuc videtur, est, quòd conscientia nos affligat, nobis instet, tam vivas imprimendo imagines, ut intellectus invertatur, iudicium turbetur, sibi persuadeat, se videre, quod non est. Id expertus est Nero, cuius historia satis perspecta; eandem mentis vacillationem sensit Theodosius Rex Italiae, qui apposito immanis piscis capite supra mensam; Symmachi injustè à se interempti, caput coram spectare, sibi imaginatus fuit, quasi cædem suam ulciscendæ vindictam spirans expectaret. Testis quoque accedit Saulus, qui juxta Tostati glossam in mortis faucibus constitutus, desperabundus exclamavit, se, quos jugulandos præceperat sacerdotes, jam sui accusatores coram Divino tribunali, intueri. *Sta super me, & interfice me, quoniam tenent me angustia.* Ubi Tostatus ex Hebræo vertit: *quoniam me tenent ora vestimenti Sacerdotalis.* Testis insuper est Henricus Rex Angliæ, qui, ut refert Sanderus, paulò ante mortem sibi cernere videbatur coronam Religiosorum, quos violento pariter fato opprimi procurârat, lectulum suum obsidere. Testis denique sit Constantius Græcorum Imperator, qui post illatam fraternam cædem Diactri, conscientia iniquitudine & remorsibus in tantum exagitatus fuit, ut crederet, umbram fratris undiq; sibi occurrere, calicem effuso sanguine refertum propinantem, & exprobrantem: *Bibe, bibe frater.*

O quàm verissimum itaque manet vulgatum illud adagium: conscientia plus valet, quàm mille testes! O Deus! quis non mallet potius circumdari ingenti accusatorum turbâ cum famosissimis à capite stantibus Advocatis,

eis, quàm secum ferre hunc solum testem & accusatorem individuum; postquam enim illi suam deposuissent denuntiationem, inde recederent, si isti Philippicas suas declamassent, silentium tenerent; at hic exactor spirat, clamat indefinenter vidictam. *Quæ, cum loquendi non habeat usum, servare tamen nescit silentium.*

An non in seipsum crudelis sit, oportet, qui pro assequenda tam brevi ac turpi voluptate, qualis ex peccati fonte profluit, adeò prolixum & molestum pœnitere in se suscipit? *Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis?* liberè petit rescire Apostolus, quis sit fructus tot malorum residuus vobis, præter confusionem & pudorem? Infelix Christiana, quæ coram confessario tantùm semel horres adeò confundi: quid lucraris, obsecro, celando, tegendo peccatum tuum? cui servit, pedibus calcare pretiosum Christi Jesu sanguinem, sacrilegè confitendo & communicando cum Juda? quid hæc dissimulatio prodest? sufficit, ut tu ipsa scias, & Deus cognoscat peccatum tuum, ad te centies solam & totam confundendam nocte ac die, imò per omnem vitæ decursum miserabiliter excruciamdam: *Arguet te malitia tua, &aversio tua increpabit te.* Opus non erit, vult Jeremias, præcone, qui te castigando, confundat, tuum tibi peccatum in faciem exprobrat: præstabit id propria tua malitia, disce ab experientia, monet idem Propheta: *Scito, & vide, quia malum & amarum est, reliquisse te Dominum Deum tuum, & non esse timorem mei apud te, dicit Dominus Deus exercituum.*

Quod si mala conscientia tam rigida est in officio accusatoris, quantò strictior & exactior erit in se suscipiens qualitatem Judicis: *Ipsa accusat, ipsa judicat.*



II.  
Punctum.  
S. Chrysoft.  
conc. 1. de La-  
zaro.

*Explica mihi*, de Divite Epulone loquitur D. Chry-  
stomus, *istius conscientiam, & videbis velut in curia men-  
tem ad thronum conscientiae consedisse regalem, & tanquam  
Judicem consistentem.* Ubi non solum tanquam in Justitiae  
camera occulta producuntur peccata, sed etiam condigna  
poena & sententia justissima in peccantem pronuntian-  
tur.

Postquam in nostro intellectu depinxit illa Deum,  
nobis iratum, tormentis & suppliciis armatum, lateri no-  
stro undequaque inhaerentem, adjungit, justum esse, ut poe-  
nas Divinae Justitiae debitas exsolvamus. Si quandoque coe-  
lum tonitruum murmure iram suam, quam intus coquit, ex-  
teriorius prodat, mox peccatori, aures vellicando, inclamat:  
cave tibi, caelestis haec bombardae Dei furore in tui vindi-  
ctam jam est succensa, tuum petit demerere caput: memi-  
nistin istius impietatis, discursus illius, qui plus Atheis-  
mum, quam Christianismum sapiebat? jam agnosces  
Deum esse, qui impios castiget: senties modo manum  
Omnipotentis, cui haecenus illusisti. Milleni alii coele-  
stibus flammis sunt absumpti, nequaquam adeo scelesti ac  
Sacriligi, ac tu fuisti.

Grassatur in urbe quadam febris ardens, aut alia le-  
thifera contagio, mox conscientia consuetos intentat ter-  
rores; tu ne hanc litem securus evadere praesumis? vindi-  
ctae tempus praeforibus est, experieris, quamprimum mi-  
nas meas esse complendas.

Recensetur funestus casus viri subitanea morte ex-  
tincti, aut alterius fatum quodpiam infaustum; conscien-  
tia rursus cordis fundo fortiter inclamat: similia te ma-  
nent fata, talis mortis te dudum exitisse reum, pronun-  
tio, ob peccatum, quod optimè nosti; ii, de quibus sermo,  
in comparatione tui merito haberi possunt innocentes.

Hoc

Hoc omnino est, quod nos olim discere voluit S. Ambrosius, dum dixit: *Conscientia offenditur, cum alius castigatur, & in alieno vulnere semper ipsa percutitur.*

Si contingat, ut Zelofus quispiam Ecclesiastes nativis coloribus ad vivum exprimat inferorum cruciatus, conscientia, quidquid majorem horrorem, metumve ingenerare valet, id omne in compendium seligit, quò efficacius peccatoris animum penetret, & perterreat; audisne, illum alloquitur, quæ tibi immineant tormenta propter hanc noxam, cujus te nunquam pœnituit; en mercedem, quam fuisti promeritus; id te non latet, brevi propriâ ditces experientiâ, istum concionatorem tibi vaticinatum esse.

Conceptus hic profuit è fonte Divinæ Sapientiæ: *Cum sit enim timida nequitia, dat testimonium condemnatio-* Sap 17. 10.  
*nis.* Sicut perversa conscientia est sine gratia Dei & virtute, ita simul est sine securitate & confidentia animi, pro tunc etiam, quando Dei miseratio benignissimos suos oculos in salutem peccatoris deflectit, conscientia tamen non mitior mortis dicitur decretum: *Dat testimonium condemnationis: semper enim præsumit seva, perturbata conscientia.* Ibidem.  
Nec solum condemnare nos audeat, sed creaturis insuper inanimatis vitam, umbris vocem, muris, rupibus aliisque rebus sensum quodammodo communicat, ut nos condemnent. Hinc tot timores & terrores, uti advertit aureus Orator Chrysostomus: *Suo ipsius judicio damnatus parer, qui talis est, omnia; umbram, parietes, lapides ipsos vocem emittentes.*

Fingite vobis in animo maleficum diu jam carcere detentum, morti præterea adjudicatum, comparebit is mortuo quàm viventi similior: si mentem ipsius inspiciendi vobis

Job. 15. 22.

vobis tribueretur facultas, cerneretis ibi tristes patibuli, rotæ, aut alterius supplicii expressas ideas: videtur hic sibi jam concursum populi ad spectaculum suæ necis properantis, spectare, carnifices adesse credit, quoties carcerem aperiri, intrantes sibi propinquare, animadvertit. *Sonitus terroris semper in auribus* (impii, à propria conscientia, damnati) ait Job; iterum: *Non credit, quòd reverti possit de tenebris ad lucem; circumspèctans undique gladium.* Peccator iste sibi, nil audire, imaginatur, præter clamores mortis, & vocem Dei irati: nec cernere aliud, nisi fulminantem Justitiæ ejus machæram undique se persequentem, cui se per fugam subducere quærit: *Fugit impius nemine persequente.*

Prov. 28. 1.

Pulchrum hujus paradigma habemus in proto-parente & peccante Adamo, vix consciverat noxam cum ad arma jam inaudiit conclamari; hinc cum uxore sua sub arboris foliis se recondidit. Quid hoc, mi Adame, portendit; unde tam repentinus horror? quis tibi quidquam mali inferre præsumat, tibi unico Mundi Monarchæ, Supremo in terris Numinis Vicario, cui creaturæ omnes parent subjectæ? *Vocem Dei* audiivi, reponit ille. Quomodo, *vocem Dei*,? nunquid hæc est vox Creatoris tui, Patris tui, amabilissimi benefactoris tui, & istum timeas? Fortassis horrida tonitruum voce te invehendo, perculit, & cum echo peccati admissi aures Divinas perstrinxit, mox ad vindictam te provocavit, interitum utp. ingrato, rebellis servo intentavit? Nequaquam. Erat quippe vox querentis, & ad se allicientis: *Adam ubi es?* Num idcirco fugam meditari oportebat? cur timeas, cum nemo te condemnârit? Est quidem id verum, veruntamen conscientia jam tulit mortis sententiam; hinc metus, hinc fuga

Genes. 5. 9.

fuga à facie Dei in profundum abyssi, dummodò pateret, Ita olim de iis cecinit Victor Marius, cujus poëmata in Bibliotheca PP. inveniuntur:

-- -- -- *cuperent, si fortè pateret,*  
*Condere se barathro, usque adeò contermina pœna*  
*Culpa sua est.*

Silentio hîc præterire nequeo, quin ad clariùs com-  
monstrandam veritatem istam, historiam quandam com-  
munem in medium producam, cujus forrè nullam fecistis  
singularem reflexionem, uti fecit S. Chrysostomus.

Balthasar summus Babyloniorum Monarcha, hæres  
æquè vitiorum parentis sui Nabuchodonosor, ac sceptri,  
vespere quodam assidebat mensæ in suo triclinio, Regio  
luxu instructo, millenis imperii sui toparchis stipatus, an-  
notavit Proph. Daniel: aures ejus demulcebant suavissi-  
mæ voces, quæis junctæ concordabant variorum instru-  
mentorum symphonix; os, palatum mirè exhilarabant  
epulæ exquisitissimæ, vina delitiosissima, totum corpus sa-  
ginabant omnes imaginariæ voluptates; sed ecce fune-  
stam, quâ lætissima comœdia repentè in luctuosissimam  
tragediam conversa est, catastrophen! Rex enim in spe-  
ratò miraculosam in pariete manum advertit: *Apparue-* Daniel. 5. 5.  
*runt digiti, quasi manus hominis scribentis contra candelabrum in superficie parietis.* Ad primum prodigii aspectum  
Rex in pallorem versus, terrore plenus obrigescere; cruor  
in venis quasi glacie constringi, ipse extra se rapi, horri-  
sonum edere clamorem; ad quem velut dato signo omnes  
è mensa surgunt magnates, mox ingens exoritur tumultus,  
quot quot aderant convivæ, propiùs Regem confi-  
stunt, quem sic interpellant: Imperator invictissime, vi-  
ve; unde tam vehemens, tamq; subitanea consternatio?

Dd vides

vides utique omnem Regiam fortissimis heroibus cinctam, qui simul ad pedes tuos proni, pro te moriendi, sunt avidissimi. Quæ ergo metuendi causa hîc subesse possit? Ah! emortua propemodùm voce ille dat responsi loco, Ah! res inaudita hæcenus! Vidi manum quandam.

Quomodo, quærit ulterius S. Chrysoſtomus, si manum vidit, propterea tantoperè turbari debuit? quid manus potentissimo Regi in medio suorum procerum sinistri moveat, in suæ Monarchiæ Metropoli, cujus latus tantæ stipant custodiæ, selectus è militari nobilitate flos, numerosissimus in armis exercitus communit, ad arcendum Darium, ejusq; hostilem irruptionem paratus? quid si oculis ipsius objectus esset monstrôsæ vastitatis, ære, ferrôque armatus gigas, aut ingens, informe è styge spectrum convivantium cœtui se immiscuisset? at manus unica! imò non manus, sed umbra, apparentia duntaxat manûs.

Daniel. 5. 5.

*Quasi manus hominis*: quæ si saltem stricto acinace minitabunda, aut sanguine imbuta se præsentâset, aut ferrum in Regis sinum abdidisset: sed spectabatur nuda, solâ manus digitis calami fragilem comprimens: *Quasi manus hominis scribentis*. Ergo umbratilis sola manus cum calamo prosternat, nimys terroribus correptum obruat mundi Regem longè potentissimum? plus sanè subvisionis istius schemate latuisse, oportuit. Opinio D. Chrysoſtomi est, principem hunc penitus persuasisse sibi, quod re ipsa erat, manum in pariete eam ipsam mortis subsignâsse sententiam, quam ejusdem cordis fundo impressisset conscientia: *Cùm sit enim timida nequitia, dat testimonium condemnationis*. Vultis jam Balthazaris animum eximere timoribus? sceleribus priùs ipsum exuatis, necesse est, ad promittendam securitatem nè allegeris  
vigi-

Sap. 17. 10.

vigilantissimas custodias, potentissimos despotas, munitissima oppida; solam placate conscientiam: justificate impium, si valetis; & tremori, quo occupatur modò, generosus succedet animus, omnino imperterritus; *Justus* Prov. 28. I. *autem quasi leo confidens.*

Non miror, quòd Judæi in publicis precationibus suis sic orare soleant: *actiones terrorum*, peccata sc. *ne recorderis Domine.* Christiani admirandi potiùs, majorem habentes de peccati malignitate notitiam, item de odio, quo Deus illud execratur, ideoq; teneriorem, & magis sensibilem deberent habere conscientiam; Christiani, inquam, sibi imaginantes, quòd juxta proprium beneplacitum vitam suam conformare queant in præsentia judicis istius tam rigorosi, & reperire quietem ad pedes formidandi hujus tribunalis: *Putas prodesse tibi, te non habere conscientiam, cum conscientia quotidianum sentis perpetuumq; judicium.* Cogitas, ô excecate peccator, inclamat S. Ambrosius, quia invenis homines malitiâ tibi non difformes, plures deprehendis eorundem tecum delictorum reos, tuis insuper nequitiis applaudentes; item, quia possides aurum, argentum, quibus testium ora obturare tuos corrumpere possis; vel, quia coram mundo potens, magnus suspiceris, credis, quòd captare quietem tibi liceat in medio enormium tuorum facinorum, eaque remansura impunita. *Tuta scelera esse possunt, secum non possunt.* Minimè opus est, ut ita loquar, ut Deus se hîc immisceat provocando contra te malignam fortunam: *Plus torquet opus malum, quàm mala fortuna.* Nescit crudeliorem tibi immittere lictorem ad te plectendum, nisi teipsum: tu ipse eris, qui expedies tibi rotam, & qui in theatro fatalem exhibebis scenam à te sumpturus pœ-

nas pro peccatis tuis. Hoc tertium meum punctum est.

III.  
Punctum.

Postquam ista conscientia officium testis in accusando, item iudicis munus in condemnando explevit, deinde tortoris vices assumit in cruciando. *Accusat, iudicat, cruciat.*

Perversa hæc conscientia, si SS. Doctoribus fideri adhibemus tot carnifices, quot cogitationes habet; sunt illorum manus instructæ flagris, cuspidibus, aculeis, quibus peccatorem dilaniant; discerpant; è plagis, quas infligunt, consequitur longa mortis tabes, & ipsa anima sepulchro vermibus pleno videtur similis, à quibus jugiter corroditur. *Videbis mentem tanquam iudicem sedentem, & cogitationes loco carnificum adhibentem, in equuleo suspendentem, lateraq; conscientie unguis corrodentem, rectè observat S. Chrysostomus.*

S. Chryso-  
st. Conc. I. de  
Lazaro.

Ejusmodi pœnæ ad eò sunt acutæ, & sensibiles, ut historiæ plures nobis enumerent, qui talem internam carnificinam ulterius tolerandi impotentes, ad inde se eximendos, se suspensio necârunt, alii pugione pectus aperiendo libertatem spiritûs quæsierunt, quidam se in abyssum præcipites egerunt: non deerant, qui ultronei se iudicis tribunali sistentes ob patrata sua scelera decretoriæ sententiæ executionem postulârunt, eligentes potiùs, ut ipsimet sponte fatebantur, sub manibus carnificis oppetere mortem, quàm diutius has domesticarum Furiarum cruciatus sustinere. Tiberius, referente Suetonio, se à conscientia sua torqueri sentiens coactus est Divos invocare, ut in mortem tam dira supplicia convertere velint: *Dii me perdat, suspirabat ille, quem quotidie perire sentio.* Quidam nomine Flaccus apud Philonem idem confessus est eadem.

dem equuleo obnoxius : *Jam in horas pramior, multas  
sustinens mortes ante ultimam.*

Oportet sanè mortem adedè lentam, supplicium esse longè acerbissimum, eoquòd vindex Deus id ad hibuerit ad vindicandi Caini fratricidium, eum non quidem morti adjudicando, sed vitæ usum concedendo, non tamen, alium, quàm cum perpetuo terrore, & remorsibus assiduis connexum, ipsum proprium sui carnificem constituens juxta annotationem S. Basilii Seleuciensis. *Ut percussorem suum timendo, quotidie pateretur, & ipse suus sine ulla intermissione sibi carnifex esset.*

En, quàm ad amussim huc quadret illud Dei in impium prolatum decretum apud Prophetam Ezechielem : *Et tu porta confusionem tuam.* Septuaginta vertunt : *porta tormentum tuum.* Ezech. 16, 52. Abi infelix, qui credideras, quòd tēmet elongando à summo bono, posses placidè, quietè vivere. Abi fili prodige, qui judicas, meliùs esse, inter extraneos quàm inter domesticos, & in paternis ædibus commorari ; ad te puniendum neminem alium, quàm te tibi ipsi immitto, & trado : *porta tormentum tuum*, tuam rotam, tuum tortorem, id est, perversam conscientiam tuam, ad lusum & comœdiam, ad lectum & mensam, ad publica & privata negotia tua, *porta tormentum tuum*. O Deus! quale istud foret supplicium, exclamat S. Chrysostomus, malefico, mortis reo, coram spectare continuo carnificem ad mensam tempore prandii & cœnæ, habere carnificem comitem in ambulatione, vel quacunq; actione, carnificem ad caput lecti, quando cubitum concedit. In tali, eoq; miserrimo statu infelix hæret peccator, asserit præfatus Doctor : *Peccator quasi carnificem circumgestat, se laniantem, & flagellantem perpetuò.*



Etiamsi tormentum istud, de quo loquimur, foras se non prodat, at eò intensius est malum, quò magis lateo absconditum, & interiora infestat. Credite mihi, dixit Gentilium aliquis, proprium est solis Diis, hoc supplicii genere mulctare: homines quippe ferire nequeunt, nisi externum solum corpus lædere possunt; Dii autem irritati fundum animæ penetrant, ipsum cor transverberant: *Deorum tela mentibus infiguntur.*

Rom. 2. 9.

Hoc ipsum meliùs docet Gentium Apostolus: *Tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum.* Verbis illis, *in animam*, exprimit differentiam inter afflictiones bonorum, & veras reprobòrum pœnas. Morbi, jacturæ divitiarum, cruces, equulei, & quidquid ingeniosa tyrannorum ferocia excogitare potest, sunt extra animam. Hinc non rarò contingit, quod expertus testatur Sanctus Paulus, ut in medio pœnarum exteriorum Sancti possideant in interiori cordis fundo gaudia, consolationes ineffabiles: *In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur.* Impii è contrario extrinsecus fruuntur pace, at intestinum fovent bellum. Quàmvis ipsi sequentes vestigia infamia Babylonis ad suaves lyrarum, fistularum sonos, & juxta instrumentorum Musicorum cadentiam descendant in infernum, prout Prophetarum aliquis prævidit; cor nihilominus circumferunt millenis anxietatum fluctibus agitato, animamque crudelium remorsuum laniatibus in frustra discerptam.

2. Cor. 4. 8.

Ideo non sine ratione magnus hic Apostolus ad declarandos internos peccatorum cruciatus utitur binis hisce verbis: *tribulatio & angustia*, concors hac in parte cum universa Scriptura: Job descripturus nobis peccatoris in Deum insolentiam & rebellionem: *Tetendit, ait, adversus*

Job. 15. 14.

versus

*versus Deum manum suam, & contra Omnipotentem roboratus est.* Idem subnectit, Deum ad suppressendum ejusmodi temerarium ausum validissimo occurrere exercitu in binas alias diviso sub regimine & auspiciis Conscientiæ: una pars illius vocatur *tribulatio*, altera *angustia*: *Terrebit eum tribulatio, & angustia vallabit eum sicut Regem,* Ibidem.  
*qui preparatur ad prælium.* Quæcunque se conferat peccator, videbit, se undiquaque circumcingi invisibili illo Dei exercitu, testante id Davide propriâ experientiâ: *Tribulatio & angustia invenerunt me.* Psal. 118. 143.

Per *tribulationem* Spiritus Sanctus non solum intelligit bellum intestinum passionum nostrarum, turbas & seditiones has domesticas, de quibus heri mentionem fecimus; sed etiam timores mortis, horrores judiciorum Dei, phantasmata tristitia & afflictiva, quæ fluctuum instar maris irritati verberant, & reverberant cor malignum. *In quantam tribulationem deveni, & in quos fluctus tristitia!* I. Machab. 6. 11. clamabat Rex ille reprobus Antiochus. Sed quodnam te adeò infelicem reddit? *Nunc verò reminiscor malorum, quæ feci in Jerusalem:* quasi disceret; ah sentio acerbissimos remorsus conscientiæ, quæ exprobrat mihi scelera mea perpetrata. Ibidem.

Per *angustias* dantur nobis intelligi tædia, tristitiæ, quæ cor impij dissecant, tali modo, ut cum is reflectat se supra perversam suam vitam, seipsum sufferre nequeat. Veluti leprosus horridam & purulentam corporis sui infectionem contuens, libenter turpes carnis suæ exuvias deponeret; sic inveteratus peccator dissolutiones suæ juventutis, injustitias adultæ & virilis ætatis, avaritias suæ senectutis perpendens, contemptus in Deum, sua scandala,

Psal. 56. 5.

Job 7. 14.

dala, perfidias, fraudes in proximum commissas, uno verbo, isthoc putidum & abominandum ulcus, unde profluunt omnes vitiorum sordes, perspicuus, seipsum execratur, angustiis tam amarulentis obruitur, ut vivere ipsi displiceat. Unde frequenter oriuntur salutis propriae desperatae cogitationes: se respicit, & recenset jam inter damnatos, noctu infestatur ab horribicis insomniis: *Dormivi conturbatus*, fatetur David post admissum suum scelus: & Jobi querelae sunt: *Terrebris me per somnia, & per visiones horrore concuties.* Quod denique malorum omnium apex & coronis est, quod peccator agnoscat, suas miseriae aliarum more in morte cum vita minimè finiendas, sed potius revereatur augendas. *Atque eadem metuit, magis haec ne in morte gravescant.*

An non merito deplorandus est talis status? nonne fateri oportet, in se crudelem existere eum, qui peccatum comittit?

Nec vobis persuadeatis, enervari tot tantaque argumenta, si dicatis, non omnes peccatores tanto cum rigore exceptos esse. Non dissentio, non omnes reprobos ejusmodi syntereses & remorsus experiri at hocipso sunt longè deterioris conditionis: *O te miserum, si haec sentis, miseriorem, si non sentis!*

Qui flagellum sentiunt, nec inde meliorantur, sicut dixi, miserabiles sunt judicandi, at ii, qui illud non sustinent, nec sentiunt, miserabiliores adhuc censendi, prout videbimus, quando probaturi sumus, statum insensibilitatis conscientiae esse malorum omnium summam, & characterem haud obscurum aeternae reprobationis. Unde sequitur, ut vivat peccator, debeat, secum statuere jam con-

con-

condemnati instar vivere, sive suffocando importunos conscientia suæ clamores per enormia flagitia, sive tolerando tormenta & remorsus interiores, quos vobis representavi.

Discamus ergo hodie viam illam, quæ tam anxie inquisita, nec tamen cognita ab impiis, viam sc. pacis & veræ quietis: *Contritio & infelicitas in viis eorum*, Psal. 13. 3. & *viam pacis non cognoverunt.* Nè autem decipamur, audiamus ex oraculo Regii Prophetæ & Apostolorum, 1. Pet. 3. 10. Principis Petri viam rectam: *Qui vult dies videre bonos*, Psal. 36. 27. viam in præsentī vita incedere pacis & solidæ lætitiæ? Ecce viam: *Declina à malo, & fac bonum.* Vitium fuge & detestare, ama & amplectere virtutem.

Ut observemus, petit à nobis Sanctus Augustinus, illum Psalmistæ locum; ubi *Justitia & Pax osculate sunt*, Psal. 84. 11. osculo se invicem copulârunt. Inde colligi docet idem S. Pater, justitiam & pacem esse amicas intimè sibi conjunctas, & à se mutuò inseparabiles, unam alterius reciproce procurare utilitatem: *Dua amicae sunt, tu fortè unam vis, & alteram non facis*; amas pacem, contemnis justitiam, id est, innocentiam ac virtutem. Scias, velim, monet præfatus Doctor, quòd pax locum apud te invenire minimè possit.

*Quare litigas cum justitia? si amicam pacis non amaveris, non amabit te ipsa pax, nec veniet ad te. Ecce justitia,* pergit Sanctus Augustinus, *dicit, nè freris, & non*  
Ee audis:

*audis: nè adulteres, & non vis audire.* Arciffimum, intercedit inter utramque amicitix vinculum, unius fi duntaxat consortium horres, utraque te horrebit ut communem suum hostem.

*Inimicus es amica mea, dicit tibi pax, quid me quaeris?* quàm parum lux & tenebræ conveniunt, tam parum ego (sic Deo ordinante) cum impietate confistere possum. *Non est pax impiis, dicit Dominus.* Isa, 48. 22.

Permittite ergo prædicatori, ut is gladium Verbi Divini arripiat, perforet, & aperiat secreta vestra ulcera, quæ malignas has interiores febres in vobis procurârunt. Tantum ei indulgeatis, nè à vobis prius discedat, quàm bonum illud mala fide acquisitum, cum quiete vestra incompatible ædibus vestris proscripseritis; conscientia quippe vestra os non claudet, clamores suos non continebit, antequàm illud legitimo domino restitueritis. Concedite tantum zelosi Confessarii vestri charitati, ut ipsi liceat spinam è fibris pectoris vestri extrahere, quæ tanto tempore vos, tamque acriter pungendo, afflixit: id est, peccatum istud occultum, quod à vobis commissum, at in confessione nunquam detectum, vel cujus circumstantiæ speciem mutantem, silentio suppressæ, confessionem reddidère sacrilegam.

Ah! nimium est, confusionem, accusationes & carnificinam hujus conscientix tolerare. Exaudite tandem

tandem clamores ejusquàm velocissimè, & vocem Dei per illam vos alloquentis.

Et vos animæ innocentes, nè falsa apparentia, nè ve externa species peccati fallax vobis imponat; conservate per integritatem morum vestrorum tranquillitatem bonæ conscientia, quæ testimonio Divini Spiritûs est *quasi jure convivium*, & prægustus quidam deliciarum, quas in cœlorum regno Divinus Sponsus vester æternùm præparabit diligentibus se. Amen.

PROV. 15, 15.





# TERTIA MALE- DICTIO PECCA- TORIS.

Supra Virtutes Illius Appa-  
rentes.

## IMPIUS MALEDICTUS IN SUA FIDE.

*Tu quis es? & confessus est, & non negavit; quia  
non sum ego Christus. Joan. 1. v. 20.*



Cognitio sui ipsius, cuius D. Joannes adeò nobile dedit paradigma, dum se legatis Jerosolymâ destinatis clarè non Messiam, sed ejus duntaxat Prodromum manifestavit: cognitio inquam ista motivum est admodum excellens, ad compassionem cum impio vitii & maledictionibus Divinis oppresso gerendam, sanè egregiè movens. Si peteremus ex ipso: *Tu quis es?* vel quæreremus: *Quid dicis de te ipso?* promptus mox responderet centena mendacia. Responderet, se Christianum, credere se in Deum, in Deum æquè sperare, in ejusdem gratia moriendi, unicum suum votum esse: sed fallit se, fallitq;

fallitq; alios. Hæc est tertia maledictionis species capitibus impiorum immines; *Et sicut oleum in ossibus ejus.* Su- psal. 108. 18. pra jam annotavimus cum interpretibus, per ossa, quibus corporis compaginatur moles, exprimi virtutes, quæ tamen solum apparentes & falsæ in peccatore illo, ideóque à Deo reprobatae & maledictæ.

A fide, quæ chorum reliquarum ducit virtutum, exordium hodie desumam, probaturus, fidem hanc esse in peccatore maledictam, ad salutem proinde inutilem, imò potius cum magis culpandum reddere.

S. Paulus de hujuscemodi hominum face differens, qui ore *confitentur se nōsse Deum, factis autem negant,* sc Tit. 1. 16. quentem subinfert censuram: *Cum sint abominati, & ad omne opus bonum reprobi;* non solum sunt ipsi coram Deo abominabiles, sed insuper ad quodcunque boni operis exercitium profus inepti, sub apparente virtutis habitu contegunt enormia flagitia.

Vocem quidem habent Jacob, cum fidei symbolum recitant, sed vitâ, moribus suis corruptis manus Esau præferunt. Idem de talibus Christianis falsis, quod olim D. Hieronymus de infami sui temporis nequam pronuntiavit, aptè verificatur: *Ex contrariis, diversisq; naturis monstrum diceret esse compactum.* Credunt illi ut Christiani, sed vivunt ut pagani: caput ostentant Angeli, simulque corpus diaboli. Pro meliori intelligentia infelicitatis fidei istius à Deo reprobatae & maledictæ, necessariò indigemus Sancti Spiritûs illustratione, pro qua obtinenda salutem dicamus Virgini, *Ave Maria.*

Observatio Africani Doctoris ingenio digna est, quâ Deum in creatione universi istius notat, suam impertisse

Ec 3

bene-



benedictionem non aliis præterquam creaturis fecunditatis dono insignibus.

Placuit licet eidem lux, non tamen Generis mentionem facit, quod luci benedixerit, uti nec Soli, neque reliquo siderum choro, sed terræ, ac creaturis universim, omnibus iis, quæ essent multiplicandæ. *Non dictum est, benedixit lucem: non dictum est, benedixit cælum: sed cum ventum est ad ea, quæ habitura erant semen fecunditatis, benedixit ea Dominus.*

Sicut ergo fides impii, cuius maledictionibus percensendis immoramur, fecunditatis bono caret, ita nullam à Deo benedictionem sperare debet, sed è contrario juxta plurium Ecclesiæ Patrum opinionem ab ipso Christo maledictionis fulmine petita fuit sub figura infructuosæ ficûs illius, quæ mox exaruit, quam primùm Divinam sententiam excepit: *Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum.*

**DIVISIO.** Omnis proinde fides, quæ bonorum operum fecunditati non est maritata, maledicto & reprobationi Divinæ subjacet. Duobus id argumentis probo, quæ in duas partes præsentem discursum dividunt: prius desumptum est è natura ac qualitatibus fidei veræ: posterius ex intentione & fine propter quem Deus nobis fidei donum infudit.

**I. Punctum.** Quando naturam fidei definire aut describere incendimus, non sufficit, de ea prædicare, quod sit prima, supernaturalis intellectûs humani vita, aureus radiantis auroræ fulgor dissipans tenebrosam humanæ, mentis ignorantiam, eidem demonstrando invisibilis Dei majestatem; quod sit columna ignea, quæ lucem undiquaque noctu diffundens Israëlitas in terram promissionis deduxit, è captivitate Ægyptiaca, id est è servitute sensuum & passionum

num in libertatem animi asseruit. Oportet insuper cum quodam ex antiquioribus SS. PP. adungere, quod fides sit excellens imago Verbi Divini. En triplicem utriusq; inter se analogiam.

Prima est, Verbum Divinum & adorandum est productio intellectus Divini: fides nobilissimus item partus est intellectus humani. Secunda, Verbum est expressio, figura, & character omnium excellentiarum & prædicatorum Patris: fides pariter nobis manifestat omnem celsitudinem in mysterio Divinitatis reconditam. Tertia, Verbum est sermo personalis, per quem Pater sibi met loquitur: fides est etiam sermo, sed creatus, veritas revelata, per quam Deus nobis, cum hominibus loquitur.

Pro fundamento observetis velim, binam in Verbo adorari fecunditatem intrinsecam sc. & extrinsecam. Est quippe illud non solum imago visibilis, character vivus, ut S. Paulus loquitur, substantiæ Paternæ, verum etiam recipit à suo Patre fecunditatem, vi cuius cum ipso simul comprincipium esse possit Spiritus Sancti: ita ut lumina in generatione sui æterna participata non tantum splendeant, sed ardeant unà ad accendendum cum Patre Divinum istum ignem, adorandam hanc flammam Amoris Personalis. Pari modo, ut fides nostra sit perfecta & juxta Divinarum idearum exemplar efformata, necessariò exornari & illustrari debet luminibus æquè fecundis ac splendidis; nec sufficit, si nobis attributa, Deiq; perfectiones repræsentet, requiritur insuper, ut in pectore nostro amoris suscitet focum erga Deum, quem proponit adedò amabilem: *Lucerna ardens & lucens.*

Joan. 1. 35.

Neque hoc fatis est. Verbum non solum fecunditate pollet intrinsecâ Divinitati, producendo Amorem Personalem;

nalem; sed etiam externâ, communicando essentiam seu existentiam, vitam rebus omnibus: *Omnia per ipsum facta sunt.* Quod Plato similiter videtur agnovisse, cum docuit, primariam ideam non esse formam duntaxat exemplarem, sed præterea fontem & causam esse efficientem, omnium naturarum. Sic vera fides producere debet suam virtutem ad extra per actiones sanctioris vitæ & per exercitium omnium virtutum. Hoc ipsum Theophylacti opinione nobis S. Paulus insinuare voluit verbis illis; *Justitia Dei*, id est, justificatio & sanctitas Christiana, *in eo Rom. 1.17. revelatur ex fide in fidem.* Ex fide quæ intellectum illuminat per revelationem Divinam, *in fidem*, quæ cor per amoris ignem accendit, & ducatum præbet ad virtutem; *ex fide* inchoata adhuc informi *in fidem* perfectam & consummatam.

Verificari oportet universim de verè fidelibus id, quod scriptura de Prophetis enuntiat, Deum non tantum fuisse Prophetis ad aures cordium locutum, sed ad ipsorum simul manus; *Factum est Verbum Domini in manu Aggæi 1. 3. gæi &c. Verbum, quod locutus est Dominus &c. in manu Jerem. 50. 1. remie.* Heteroclitus sanè loquendi modus, non enim verba circumferuntur in manibus sed in auribus. Spiritus Sanctus nos instruere vult, scribit Olympiodorus in Catena Græca, Prophetas opere complevisse, quod auribus à Deo excepissent. Idem omnino necessarium Christiano, ut primo per auditum recipiat fidem, *fides ex auditu;* ibi tamen otiosa non debet relinqui veritas revelata, verum ulterius in manus demigrare per frequens bonorum operum exercitium.

S. Ambrosius appellat fidem virtutum genitricem; eoquod illæ sint, ait ille, illustis & gloriosa familia progeneranda

neranda ex casto connubio per Spiritum Sanctum contracto cum fide apud Oseam: *Sponsabo te mihi in fide, aut cum fide*, ut alia versio legit. At quemadmodum fecunditas est finis, seu, ut melius loquar, ornamentum, corona matrimonii, ita non minus perfectio & complementum fidei consistit in fecunditate virtutum.

Communis est SS. PP. sententia, Liam & Rachelem figuras extitisse, priorem fidei, posteriorem luminis gloriæ. Testatur Scriptura, juniorem hanc pluribus præ seniori prærogativis ornatam; eximia quippe corporis venustate fuerat dotata, cujus blandis illiciis cor Patriarchæ Jacob veluti sagittis transfixum, ipse ad laborē diu noctūque continuandum dulci quadam violentia abstractus fuit. Nihilominus natu major gaudebat privilegio fecunditatis. Esto, quod Lia debiliori laborarit visu, non tamen sterilitatis vitio Rachelis instar; plurium illa liberorum Jacobum constituit Patriarcham. Negari nequit, tradunt SS. PP. quin lumen gloriæ sit speciosa Rachel, in sui amorem & desiderium mirè nos abripiens; lumen fidei etiam si opacum & obscurum, fecundum tamen cum Lia est, procreat virtutes, parturit merita, quæ cœlesti nos hæreditati transcribunt; ipsa est, quæ in D. Bernardi mente, ut mater concipit & gignit amorem: *Amorem fides concipit, spes parturit, Spiritus Sanctus format & vivicat.* Sicut amor est activus ex sua natura, ita fides per hunc amorem se applicat servitio & executioni legi, quod S. Paulus in Epistola ad Galatas expressit: *Fides, quæ per Charitatem operatur.* Docuerat hic Apostolus, quod in Christo Jesu, seu in statu Christianæ legis nequidquam valeat circumcisio vel præputium, id est, neque Judaismus cum omni cæremoniarum suarum pompa, mi-

nus paganismus cum operum suorum moralium amplif-  
simo apparatu sint capaces ad nos justificandos, cœlesti  
gloriæ inserendos; soli fidei tantas inesse vires, subjungit;  
sed cui fidei? certè solitaria, otiosa, imperfecta fides non  
salvat, sed fides Charitate informata, *qua per charitatem*

*Ibidem.* operatur. Fides, quæ recipit istum amorem, cum eo suam  
excellentiã, suamq; meritum, & ut Græcus habet tex-  
tus, suam energiam, suamq; virtutem.

In hoc sensu accipiendum est illud D. Augustini:  
*Justitia tua, fides tua.* Ista virtus fidei justificativa pro-  
manat ex triplici fonte. Primò, ex causa meritoria, quæ est sanguis  
Christi Jesu. Secundò, ex sua natura, quia inducit ipsa in-  
animum motiva efficacia nos sanctificandi; *fides est com-  
pendiosa eorum, quæ urgent, cogitatio*, affirmat Clemens  
Alexandrinus. Tertiò, ex eo, quòd sociata sit donis &  
gratiis juxta Concilii Arausiaci dogma de se potentibus  
nos ad sanctimoniam provehendi. Ob eandem ratio-  
nem S. Augustinus tenet, fidem esse similem radici, quæ  
in virtute sua continet arborem & fructum, & cujus per-  
fectio consistit in flore, in germine & in productione fru-  
ctuum.

Solidè jam fundatâ doctrinâ de necessitate fidei, quæ  
fit fecunda, duo nobis occurrunt Apostoli, qui ex dicto  
principio derivant consequentias, quæ jure merito nos  
confundere possunt & debent.

Primò, S. Paulus docet, quòd, cùm fides velit habe-  
re libertatem, se totaliter extendendi supra fidelem, &  
quidem supra cor ipsius, ut actus desiderii & amoris cor-  
dis sanctificet, supra oculos, ad consecrandos ejus obtu-  
tus, supra linguam, ad rectificandos discursus inde prode-  
untes, & sic loquendo de cæteris potentiis tam corporis  
quàm

quàm animæ illius: Christianus libertate sua fidem spoliando, ei contumeliam inferat, & in captivitatem pertrahat; *Qui veritatem Dei in injustitia detinent.* Imagina- Rom. I. 18.  
mini vobis Archi-strategum quempiam à seditioso quodam militum globo carceri mancipatum, qui licet excessus sui exercitiis è custodia observet, iis tamen obviare non potest, quòd corporis, animiq; vires ferro sint ligatæ. Fides in se spectata meretur prædicatum heroinæ victoriosæ, quæ mundum subjugavit universum. Num rescire desideratis illius potentiam tum agendo, tum patiando? legite catalogum, quem S. Paulus in Epistola ad Hebræos descripsit. Insurgentes autem postmodum passiones nostræ in fidem, ferro & vinculis ipsam constrinxerunt, ut impotens, imbellis effecta plus præstare non valeat, quàm Christianum gravioribus involvere flagitiis.

Gravissimæ huic doctrinæ Apostolicæ non leve item pondus superaddit D. Jacobus in sua Catholica nobis prædicans, fidem non solum in captivitatem redigi, sed etiam vitæ exui, occidi; *Fides sine operibus mortua est.* Sicut Jac. 2. 26.  
enim, declarat S. Bernardus, separatio animæ à corpore est mors hominis, ita *mors fidei est separatio charitatis.* Accedit calculus S. Cyrilli Alexandrini unà idem sentientis: *Si quis post justificationem recidat in peccata, fidem in seipso quasi occidit.*

Verum est, bene novimus vos baptizatos & in baptismatis fonte signatos esse caractere filiorum Dei; non tamen nos latet, in Ecclesiæ sinum vos receptos solenne juramentum edidisse, adhibendi fidem Evangelio, servandi ejus legem & sequendi doctrinam Evangelicam. Etiam de hoc æquè nobis constat, vos renovâsse promissionem vestram, quoties aliquam Religionis nostræ emisistis pro-

fessionem. Quòd si tamen horum immemores vita m. instituatís Atheorum similem, vix unquam, Missæ Sacrum aut concionem frequentetis, si mysteriis Religionis non nisi coacti & unicè pro salvando respectu exteriori & apparentia vos societis, si liberè Dei violetis præcepta ex habitu jam radicato, ac consuetudine inveteratâ, si invidia, avaritia, ambitio, voluptas vinculis suis vos captivos suos obstrinxerint: fidelium numero accensere vos nullatenus possum; quinimò cum D. Bernardo potiùs sentio, vos atro reprobationis calculo notatos, impios, diabolo in prædam esse relictos, cui nobilissimam vestri portionem dudum, consignastis: *Non rectè planè sed impiè linguam Christo, animam dedisti diabolo.* Addo cum D. Joanne, vos de-

1. Joan. 2. 4.

ceptores, impostores publicos, mendaces esse, utpote aliud ore aliud opere profitentes: *Qui dicit, se nôsse (Deum) & mandata ejus non custodit, mendax est.* Joanni comitem jungo Doctorem gentium, vos arguentem Apostatas, ab-

Tit. 1. 16.

negatores fidei; *Qui consentitur se nôsse Deum, factus autem negant.* Concludo denique cum Christo in suo Evange-

Luc. 12. 47.

lio, vos infidelibus longè deteriores esse, ideoq; gravioribus pœnis subjiciendos: *Qui cognovit voluntatem Domini sui, & non fecit, vapulabit multis.*

Concedite, quæso, hunc mihi favorem, vel potiùs D. Paulo, qui ore meo vos obtestatur; tunc, quando de fide, quæ justificat, & ad salutem est necessaria, tractatur, nè tam facilè vobis persuadeatis, quòd illam teneatis; vos ipsos ad examen revocate, probate fidem, æqua judicii lance librate, experimentum capite, num sit legitima nec ne: *Vosmetipsos tentate, si estis in fide, ipsi vos probate.* Interea verò, dum in hanc reflexionem vestri incum-

2. Cor. 13. 5.

bitis,

bitis; transgredior ad alteram & ultimam meam partem.

Secunda ratio, quæ plus roboris priori in se continere videtur, magis nos convincet de inutilitate fidei, quæ bonis operibus est viduata. Istam desumo ex fine, cujus gratiâ Deus cordibus nostris fidem infudit. S. Paulus in epistola ad Hebræos facit mentionem fidei, eamque à Deo nobis concessam, ut esset substantia, vel prout Græcus loquitur textus, hypostasis, hoc est, principium, fundamentum, basis rerum, quas sperare oportet tam in statu gratiæ, quàm in statu gloriæ. Divinum hoc lumen immisit intellectui nostro ad detegendas & perspiciendas res aliquin invisibiles: *Fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Hebr. 11. 1.

Idem Apostolus in epistola ad Colossenses tradit, Christianos supra fidem Fundatos esse, *in fide fundati.* Huic Apostolico loquendi modo innixus sic discuro: fundamentum duo respicit & exprimit; primò, ordinem necessarium ad ædificium. Secundò, proportionem ac conformitatem. Unde infero: quicumque ponit fundamenta, indicat, quòd in iis subsistere nolit, sed ædificium superstruere intendat; fundamentum ex se imperfectum est, non locatur nisi animo ulteriorem imponendi structuram. Deus itaq; fidem pro fundamento collocat in animabus nostris D. Pauli testimonio: vult autem simul, ut super fundamentum istud ædificemus, cooperando Divinæ gratiæ, & cum ipsius lucursu erigendo perfectionis Christianæ spirituale ædificium, prout ab eodem D. Paulo appellatur: *Dei ædificatio estis.* 1. Cor. 3. 9.

Sola proinde fides est fundamentum adhuc imperfectum & iuxta D. Jacobum suam continuationem primum consequitur a complemento bonorum operum. *Ex operibus*



Jacob. 2. 22. *ribus fides consummata est.* Christianus, qui jacto Divinitus in se fundamento contentus, ulterius progredi non intendit, jure illud Christi meretur audire opprobrium;

Luc. 14. 30. *Hic homo cepit aedificare, & non potuit consummare,* aut potius noluit opus jam ceptum ad perfectionis coronidem deducere.

Infero secundò, quòd fundamentum exigit proportionari cum aedificio, ita ut fundamentum spatiosum, amplum & profundum serviat palatio Regali, magnifico templo, aut alteri admodum splendidæ structuræ, non, autem casæ pastoritiæ. Fides, ut ex S. Paulo intelleximus, fundamentum & cordibus nostris impositum. Quale fundamentum? id exponit Deus per suum Prophetam

Isa. 45. 27. 14. *Isaiam: Fundabo te in Sapphiris &c. Et in justitia fundaberis.* Est fundamentum adeò nobile & opulentum, ut in se contineat eminenter omnes virtutes, ipsam etiam quodam modo gloriam, veluti arbor ejusque fructus præcontinentur in semine seu radice. Fundamentum hoc est Christus Jesus, novus homo, qui incipit formari in nobis per fidem. Quicumque ergo Sapphiris & adamantibus istis superinjicit scænum, paleas, non verò aurum vel argentum, ut Apostolus loquitur, qui, inquam, tam pretioso & præcellenti fundamento imponit mansionem è luto, stramine. Id est: omnis Christianus, qui supra fidem supernaturalem & Divinam extruit opera terrestria & mortua, qui hîc erigit vitæ carnalis & mundanæ aedificium; qui, uno verbo, supra Christum inchoatus aedificat veterem hominem infectum & corruptum: talis non solum habet fidem informem & imperfectam, eoquòd nequam esse possit sustentaculum vitæ Sanctioris, basis operum gratiæ, *fundamentum in aedificationem corporis Christi.*

Hoc

Hoc est, imitationis sanctitatis ipsius ; sed dehonestat insuper & infamat per vitiorum sordes suam fidem, prorsus contrarium agit primævi sæculi Christianis, qui, ut scribit Clemens Alexandrinus, *Fidem suam operatione sancta decorabant.*

O Deus ! quàm sinistrè falsi hi Christiani conceperunt istas veritates, dum fatentur ultro, se non ex eorum devotioni deditorum numero, qui singulis diebus horas certas precibus consecrant, nec toties animum exomologesi se expiare, aut Sacra communionem se munire, dies suos hilariter transigere, in mundo secundum mundi leges vitam suam ordinare, interea tamen nemini ullam irrogare injuriam. Falluntur ejusmodi politici, hujus sæculi prudentes, suimet idololatræ, seipsos inquam turpiter decipiunt ; per talem quippe mundanum ac sensualem vivendi modum inprimis contumeliam inferunt Sacratissimæ ordinationi & intentioni Dei, à quo speciatim electi, ut fierent sancti. *Elegit nos, ut essemus sancti.* Ephes. I. 4. Imponunt Christo Jesu, qui est proto-typon & exemplar, quod imitari debent. Ecclesiam prostituunt, quam oportet esse congregationem, non è Senecis, Epictetis, è Philosophis profanis, ex hominibus è carne & sanguine progeneris, collectam, sed cœtum eorum, *qui ex Deo nati*, secundum Dei voluntatem vivere debent. Injuriam denique inferunt adhuc fidei, quam non perficiunt & consummant per Charitatem, imò è contrario perverfis moribus ethnicorum instar deturpant.

Cur, quærit summus Pontifex Sixtus tertius in Bibliotheca SS. PP., perpendite mecum, cur inquam Deus cumulârit vos donis adeò præstantibus & raris, qualia sunt dona fidei, aliîq; infusi habitus virtutum supernaturalium,

turalium, si vestro vulgari, & communi vivendi genere sit contentus? multum sanè hallucinamini. Audiamus ipsum oraculum Pontificium: *Inenarrabile est, quod credimus: immensum est, quod speramus: non est vulgare quod quærimus, ergo non vulgare debet esse, quod vivimus.* Objecta fidei nostræ sunt myseria magna, sublimia, ineffabilia; Deus, qui est omnipotens, ter sanctus, summè amabilis, in suis muneribus infinitè liberalis, fidelis in suis promissis, terribilis in suis suppliciis; Deus incarnatus, Deus amore nostri Crucifixus; *inenarrabile est, quod credimus. Speramus bona infinita, felicitatem & vitam æternam; immensum est, quod speramus.* His tamen neglectis audeamus defigere obtutus nostros, curas & intentiones omnes in politiam perituri istius sæculi; insumere dies nostros miscendis chartis, aleis, lusu, nugis, animo colligendi parum luti & pulveris?

*Non est vulgare, quod quærimus, ergo non debet esse vulgare quod vivimus.* Ut fideles non levia aut vulgaria inquirimus & exspectamus, hinc par est, nè vitam communem & plebejam sed eminentiorem utpote fideles teneamus.

In memoriam reyocemus dictum S. Pauli superius allegatum, quòd Deus mentes nostras fidei luminibus illustrarit, ut iis prælucentibus licet obscuris nobis detegeret res incognitas, bona alioquin nobis invisibilia: *Argumentum non apparentium.*

Hebr. 11.1.

At quam ob causam fides hæc revelat nobis res invisibiles? nisi ut æmulemur eos Christianos, qui stupendis contemplationibus dediti, à sensibus alieni, insensibilia Divinitus illuminati intuentur, ut Apostolus observat:

1. Cor. 5. 18. *Non contemplantibus nobis, quæ videntur, sed quæ non videntur.*

117.

*itur. Quæ autem videntur, temporalia sunt: quæ autem non videntur æterna.*

Ad quid, inquam deservit lumen istud supernaturale, præterquam ad vitam illam à sensibus plurimum remotam nobis manifestandam, quæ Prædestinatis est propria? Fides, ait S. Paulus, nobis est concessa, *ut in fide ambulemus.* Ipsa est, quæ nos ad Christum perducit, ait S. Augustinus in ea Evangelii verba: *Jesus Christus est via;* data igitur est nobis, ut progrediamur: *Et quò imus? ad regionem veritatis imus.* Tergum obvertimus mundo, qui est regio mendaciorum, nuntium remittimus terræ, cor inde abstrahimus, cum sit plena erroribus & fraudibus, cælum petimus, quod est patria veritatum. *Ad regionem veritatis imus.*

Quod si ergo suscepta fide, quæ est participatio aliqua Sapientiæ Divinæ, & argumentum convincens veritatum æternarum adhuc juxta carnis & sanguinis principia ratiocinamini: Si detectis jam per fidei lumina semitis ad cælum adeò sublimibus & arctis, nihilominus latam perditionis viam inceditis: si gressum ad anteriora non promovetis, sed in contrarium retro tenditis, evidens omnino est, fidem vestram non consequi finem à Deo præfixum, cujus gratia Deus illam vobis communicavit, fidem esse inanem, vanam & inutilem, similem cognitionibus veterum Philosophorum, quos acri hoc lixivio perstrinxit S. Paulus: *Evanuerunt in cogitationibus suis.* Quæ Rom. I. 21. verba sunt admiratione & ulteriori reflexione digna.

Ut bene intelligamus hanc Philosophorum evanescentiam, supponamus, necesse est, communem quandam doctrinam, habere sc. nos duplicem cognoscendi

Gg modum,

modum, unum speculativum, alterum practicum : prior occupatur in consideratione veritatis ob amorem ipsius sine intentione ulteriùs tendendi : posterior haustam suam cognitionem in praxin seu ad opus ordinat.

Tunc itaque, quando persistitur in sola speculatione, lumen naturæ viam nobis ad actionem demonstrans, propriè loquendo, evanescere dicitur, & perdere animum in medio itineris. Ecce evanescentiam antiquorum Sapientum. Noverant ipsi per demonstrationem evidentem luminis naturalis, prout S. Paulus eisdem exprobrat, dari principium primum, Deum esse omnipotentem, summè adorandum, summè amandum, quem tamen re ipsa non adorabant, nec debitum ei servitutis obsequium præstabant ; quod est idem ac, quòd *evanuerint in cogitationibus suis* ; cunctando & hærendo tunc, quando à speculatione ad actionem transgredi opus fuisset.

Jam si Apostolus ad eò vehementer detonat in illos Sapientes corruptos, qui *detinebant* (phrasis Paulina est) *veritatem in injustitia*, nōne citra comparationem malitia longè gravior, injustitia multò intolerabilior est inter Christianos, fidem tenere vanam & vacuam, suffocare omnia hæc Divina lumina? Talis Christianus compellatur à S. Jacobo phantasma, umbra solùm Christiani : *O homo inanis es.* Quid, vel cui, quæso fratres mei, proderit, habere fidem, quæ operibus caret? ipsimet vobiscum perpendite ; *Nunquid poterit fides salvare eum?*

Quid juvat ex. gr. Christianum nōsse, & pro infallibili fidei articulo tenere, quòd peccatum lethale sit pestis animæ, ruina, desolatio omnium bonorum gratiæ ac gloriæ,

etæ, obiectum Divini odii, materia iræ, & causa maledictionis Dei : Si tamen is interea præ metu contremiscit, ne unius u. g. ducati iacturam subeat ; si infirmitatis aliqujus solam umbram perhorrescit ; si eo ipso tempore nihilominus peccandi occasiones quærit ; si id, veluti ridendo, perpetrare, in eoque menses & annos integros perseverare audeat ? num ejusmodi Christianus non in sua fide evanuisse arguendus, qui credit, quod peccatum sit extremè detestandum & execrandum, ipsum tamen minimè detestetur vel execretur ? *O homo inanis es. Tenet me, Deum testor, aliquando extasis & stupor quidam,* Ibidem, ingenuè confessus est pius ac sapiens Princeps, Picus de Mirandula, capere & combinare nequeo fidem & opera Christianorum, speculationem tam diversam à praxi.

Non nisi emotæ mentis deberet esse, docet idem illustri scriptor, qui dubitaret in veritatibus fidei annuntiatæ per Crucifixum, qui in toto universo latriæ cultu honoratur, suamque Crucem Capitolio Romano præfixit ; qui in dubium revocaret veritates, quas Apostoli innumeris gloriosi prodigiis publicârunt, quas tantus à tot Martyribus profusus cruor subsignavit, omnis generis miracula stupenda confirmârunt. At longè major est insania, imò quædam rabies & furor nominandus, credere veritates istas Evangelicas, iisq; tamen vitam prorsus contradictoriam instituere ; *Longè major est insania, de veritate Evangelii non dubitare, & tamen ita vivere, quasi de falsitate non dubitares.*

Inseix Christiane, si omnem fidei doctrinam circa beatitudinem cœlestem crederes esse meram fictionem seu fabulam, num de illa minùs cogitares obtinendam, quam

quàm modò? An magis æstimas, ac de facto æstimas, siquidem obolum, inò nihilum eidem præfers? credere paradisum cœlestem summè desiderabilem & amabilem, nec tamen appetere, est in fide sua evanescere. *O homo inanis es.*

Etiam si Christus Dominus vitæ ac necis non esset, sed poëtarum quispiam finisset, malos in fine mundi sempiternis esse mactandos suppliciis, vermem damnatorum immortalem, ignem fore inextinguibilem, infernalem rogam esse reproborum æternam portionem, minùs ne apprehendi posset carcer gehennæ, quàm in præsentis apprehenditur, è quo nulla redemptio speranda, quia tot in eum singulis diebus se præcipitant inextinguibili succensum flamma ad captandum ambitionis funum, seque exponunt tantorum suppliciorum periculo manifesto intuitu bestialis ejusdam voluptatis? Confiteamur ergo candidè, aut carere nos omni fide, aut fidem nostram penitus evanuisse.

O Deus! quàm excellenti Canadienses recens conversi pollent judicii acumine, dum enim exprimere volunt, mortalem ab aliquo contractam noxam, talem excœcatam, perdidisse eum visionem Cœli & inferni, adstruunt, incredibile judicantes, viva fide credere promissa atque comminatione Dei vindicis, simulq; eundem peccato gravi offendere.

Intereà tamen hæc mortua & evanida fides inhaeret nõnne potiori Christianorum parti? O quàm apè  
hic

hic quadraret Auditoribus meis quæstio ab Isaia olim  
mota : *Quis tu hic, aut quasi quis hic?* Vos estis Chri- *12. 12. 16*  
stiani, ergo simul operarii Evangelii; sed ubi sunt ope-  
ra Christianissimi, falsi Christiani, falsi operarii?

Non amplius demiror illud Christi tonitru : *Multi* *Math. 20. 16.*  
*sunt vocati, pauci verò electi; quia pauci signati,* clarè ra-  
tiocinatur Claravallensis Doctor, pauci verum fidei cha-  
racterem, qui est Prædestinatorum nota, gestant. Ex-  
fuscitetis proinde extincta ferè in vobis Fidei lumina,  
per peccata, ut sitis ex pusillo electorum grege, vivite  
tanquam veri Christiani ad recipiendum cum iis  
pariter effectum promissionum Christi Jesu  
in cœlesti beatitudine.

Amen.







perpescant, quæq; eis certam spem obtinendæ salutis suggerit,

Sed, postquam fidem ipsorum ostendimus esse maledictam, solum dico, spem illorum haud melioris esse notæ, & undecunque hæc suam trahat originem persuasio, summæ miseræ extremitatem, simulque certam esse characteristicam perditionis & damnationis ipsorum perpetuæ.

Probo id duplici argumento, quod duplicem partem **DIVISIO,** simul ministrabit præsentis discursui. Primò falsa spes ista demonstrat, carere impium timore Dei, ac consequenter statum illius formaliter opponi gratiæ primæ cœlesti ad conversionem sui necessariæ. Secundò, si impius reciperet gratiam, falsa ejusmodi confidentia timore Dei destituta privaret ipsum duabus virtutibus, quæ sunt duo principalia instrumenta in ordine ad præstandam efficaciam gratiæ.

Quò meliùs hanc exponamus veritatem, Spiritum, adeamus veritatis, eum interpellando per intercessionem Dei Matris. *Ave Maria.*

Prima lectio, quam Divinum Spiritus ad se accedentibus prælegit, est de timore Dei, sua secreta is non revelat nisi animabus timoratis. Magni illi veteris testamenti cultores Deo alioquin familiarissimi, adeò tamen timore Dei percellabantur, ut extraordinario quodam loquendi modo Deum suum timorem appellarent. Ita Jacob in Genesi juravit per timorem Isaac, id est, per nomen Dei Isaac. *Nisi timor Isaac (quod idem ac Deus) affuisset mihi.* I. Punctum. Genes 31, 42.

Vigebat hic timor non solum in veteri tanquam in lege rigoris, sed etiam in nova gratiæ sc. & amoris, quem omnium

omnium

omnium fervorum suorum cordibus Deus imprimere voluit. Isaias declarans thesauros gratiarum inestimabiles, quibus anima Christi esset exornanda, inter alios *Isa. II. 3.* etiam ponit: *Replebit eum Spiritus timoris Domini.* Hebraeus textus habet: *Spiritus Domini faciet eum spirare timorem Domini.* Eo modo, sicut miles non spirat aliud præterquam cædes, sanguinem; sponsus amorem & amoris illecebras: ita Christus respirat undique non aliud quam sanctum istum timorem.

Singulariter animadvertunt Evangelii interpretes, quòd Christus, cum prima vice populum instructurus templum subiisset, secum tulerit virgam in manu in testimonium zeli severitate pleni, quo ardebat. Præferabat ab initio vultum Sacro quodam furoris igne succensum, nec prius verbis quam verberibus prædicare incepit: quo extraordinario, & amabili cæteroquin inclinationi dulcissimi cordis sui tam contrario agendi modo, ut D. Augustinus explicat, nos instruere intendit, timorem Dei lapidis angularis loco in Ecclesiæ suæ fundamento collorandum, eo quòd sit dispositio præviè necessaria ad hauriendum profectum è luminibus Evangelii.

Non loquor nunc de timore illo inquieto, cuius amor est individuus comes: *Res est solliciti plena timoris amor.* Nec de timore filiali, quem S. Augustinus vocat timorem castum, ei similem, qualem sponsa gerere solet, ne sponsi sui offensam incurrat: neque de timore profusus servili, & terreno, qui ex amoris proprii fonte derivatur, & in causa non est, teste D. Augustino, ut observetur iustitia, sed solùm impedimento est, ne pœna incurratur: ita quidem ut sine timore pœnæ non fugeret aliquis malum, cui

cui illa est affixa, imò vellet adhuc habere potentiam id committendi. Timor iste est malus ac vitiosus.

Loquor de timore, qui medium inter servilem & filialem occupat locum; nec adeò illimis & defœcatus ut filialis, neq; adeò terrestris ac carnalis per modum servilis, sed miscens proprium commodum cum honore Divino, metuens quidem pœnas, plus tamen pœnarum causam, quæ est peccatum.

Timor tali modo sumptus est donum supernaturale, effectus Sancti Spiritûs, ut Concilium Tridentinum decernit. Scriptura plerumq; eum nominat originem salutis, initium sapientiæ, inchoatam charitatem eoquòd hanc post se trahat veluti acus filum, D. Augustini est comparatio; acûs instar ille sindonem u. g. penetrat, ut charitatem tanquam filum ibi relinquat.

De cona que cum Tertulliano, *timor*, de quo hic nobis sermo, *fundamentum salutis est*. Rationem dicti idem mox subnectit: *Qui presumit, superbit, presumptio invercundia portio est*. Superbia verò formaliter opponitur primæ gratiæ, quæ effectus purus est solius misericordiæ; ad hanc igitur obtinendam, necessarium est, ut timor Dei humiliet peccatorem, eumque in statum redigat, in quo Publicanus Evangelicus suspirabat veniam: *Nam humilibus dat gratiam.* Jacob. 4.6.

De prima ista gratia sentit D. Bernardus idem, quod de subsidio Angelico à Deo hominibus promisso, dummodò sint in viis suis: *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.* *Quænam sunt viæ hominis? timor & humilitas; presumptio & obstinatio sunt viæ demonum.* Peccator, qui justitiam Dei non reveretur, ejusque minas non perhorrescit, caret dispositione ne-

Isa. 66. 2.

cessaria ad hoc, ut radiis Divinæ lucis collustretur, qui sunt initium conversionis peccatoris. *Ad quem respiciam, quærit ex Isaia Deus, in quem effundam viscera misericordiæ, defigam oculos pietatis meæ, nisi ad pauperculum, humilem, parvum in oculis suis, & contritum Spiritu, & tremementem sermones meos?* Cùm timor itaque nos constituat in statu primos Divinæ miserationis intuitus recipiendi, cum Sancto Bernardo concludere possumus; *Prima gratia est timor Domini, sine hac gratia gratiarum, quæ totius Religionis exordium est, nullum bonum pullulare aut manere potest.* Adeoq; nec ullam spem veræ conversionis concipere licet.

Si consideremus peccatorem in suis vitiis & depravatis suis habitibus, cæcus est, quem illuminari oportet; ignorans est, qui instrui debet; profundo scelerum lethargo, sicut ordinariè scripturâ loquitur, oppressus, somno sepultus jacet, quem proin evigilare, necesse est; habet adhuc fidem, at fidem quandam mortuam, quæ resuscitari debet: in hoc statu talis Christianus nec capit, vel intelligit quidquam de rebus sublimioribus, quæ indies fiunt ac factæ sunt pro salute illius in Ecclesia.

Videtur mihi adumbrari vivo colore stupiditas & insensibilitas horum Christianorum famoso illo casu, quem incurrisse legimus in historia profana celebratissimum Philosophum Archimedes. Erat hic in speculationibus suis Mathematicis aded absorptus, ut in summo devastationis, deprædationis tumultu amplissimæ urbis, nil videat nec audiat, nullum sibi periculum imminere sentiat. Romanorum exercitus ex una parte Syracusarum muros prosternit, prostratos occupat, indeq; interiora urbis penetrat, omnia cæde & igne replet; miles avaritiæ

ritiæ cæstro percitus ob partam victoriam insolens, omnia deprædatur, quæ secum auferre nequit, cuncta devastat & succendit: percipiuntur in omnibus urbis angulis miserorum lamenta, hostium clamores, ovantium victorum applausus, qui omnia, quæ occurrebant, & resistere poterant, prosternunt, extirpant. In tanto tumultuantium, undique militum & civium strepitu, in totius urbis ad eò spatiose fatali everfione, unicus Archimedes se minimè commovet, continuò in suos circulos, triangulos, aliasq; figuras oculis defixus. Furiosus quispiam supervenit, miles, lanceam manu intentans, jam jam illaturus necem, Philosophus manet immotus; hostis contemni se ratus brachio lanceam vibrat, Archimedes nil advertit, necdum quicquam mali adesse, suspicatur: perforatur eidem pectus, sed nihil sensisse videbatur ille. Unde hoc provenit? paucis Titus Livius id exprimit: *Erat totus formis intentus.*

En veram imaginem Christianorum, qui terrenis rebus penitus immersi, in objectis carnalium suarum passionum suffocati, *Transferunt*, ut Psalter eos depingit, *in affectum cordis.* <sup>Pfal. 72. 7.</sup> Omnis ipsorum intellectus, omnis ratio, tota anima tam arctè adstringuntur & affiguntur ejusmodi figuris, formis, phantasiis, quas mundus illis proponit, ut nihil videant, nihil concipiant vel capiant de magnis & summè proficuis Christianæ Religionis dogmatibus. *Toti formis intenti* corpore & animo. Avaritia, ambitio, vindicta mille ad eorum latera opprimunt, & impudicitia decem millia trucidat: *Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis.* <sup>Pfal. 90. 7.</sup> Interea tamen nil finistri subodorantur, quamvis aliorum instar in puncto sint

Hh 2

mox.

mox damnandi: *Nihil timent, quia nihil vident*, inquit D. Ambrosius.

Auspiciū ergo conversionis horum peccatorum petendum ab interruptione somni, cui indormiunt; abstrahendi è vitiorum culcitra, excitandi à fatali & maledicto suo lethargo. Quodnam verò adhibendum remedium? tonitrua Divinæ Justitiæ supra obstinatorum capita immugire, quibus terreantur, fulgura aëreis fornacibus erumpentia, ut intueantur imminētem Dei vindictam, oculos illorum somno clausos aperire debent.

Magnum observat S. Ambrosius discrimen inter timorem Divinum & naturalem; hic, si crescit, turbas, motus in animo fovet & auget; ille cæcas passionum tenebras dispergit, roborat rationem, fidem animat. *Cum hic timor immittitur, non ibi ratio extinguitur, sed illa caligo, qua mentem premebat, discutitur.*

Quid adhuc est peccator in statu vitiorum suorum constitutus? est lethali morbo & quidem cum periculo æternæ mortis obnoxius; cui salubrius antidotum pro redintegrandâ sanitate præscribi nequit, quàm timor Dei salutaris: universale & optimum istud ad ejiciendum omne lethiferum virus animæ, alexi pharmacum dictavit

**Ecd. 1. 27.** ipse Spiritus Sanctus: *Timor Domini expellit peccatum.*

Idem remedium approbat Sapiens, qui insuper mox post ipsius applicationem promittit salutem; *Time Deum, sanitas quippe erit in umbilico tuo.* Vel sequendo aliam conversionem: *& medebitur concupiscentiæ tuæ*, pestilentibus febribus tuis è passionum deordinatarum æstu eluctantibus.

Ah! utinam liceret hoc Adventus tempore sumere ignes, flammæ, stridores dentium, furores Divitis in  
Evan.

Evangelio Epulonis, & exprimere vim & virtutem omnium istorum suppliciorum mediante quadam profunda meditatione, inde extraherem liquorem reipsa & perverso naturæ gustui amarissimum, cujus tamen una dosis sumpta certissimæ cederet saluti omnibus avaritiæ febri laborantibus in hac urbe, egererent & restituerent ii omnem illum terræ cumulum, quo se repleverunt sicut serpentes, suasque deonerarent conscientias alienis bonis prægravatas, postquam tot jam annis ea in suis ædibus detinuere.

O! si daretur facultas per sermones meos infundendi cordi istius mundo dediti, ambitione inflati aliquot præfati liquoris stillas aliquid de timore ignominiarum & confusionum æternum damnatorum: quàm faciliè evanescerent omnes illi vanitatum vapores, qui in cerebrum ejus ascendentes, vertiginem, inquietem continuam capitis exsuscitant.

O! utinam voluptatum cæno immerfus, cujus peccus infamibus pustulis impudiciæ est exulceratum, salutari nostro timoris Divini aspergeretur rore, aut eo per modum succi corrosivi uteretur, noxiam putredinem separantis, citò talis reconvaleret. Consilium istud medicum præscribit D. Augustinus animarum archiater dexterrimus: *Timor Dei sic vulnerat, quomodo ferramentum medici putredinem tollit.* Omnino hic timor est, qui aperit ulcera nostra, ut pus omne effluere possit. *Quicumque* ait S. Doctor, *tali vulnere non fuerit vulneratus, non perveniet ad vitam æternam, sine læsione dicta, vera sanitas & animæ conversio obtineri nequit.*

Resumamus paucis, quæ diximus. Ad conversionem peccatoris necessarium est, deprimi fastum istius ni-



miùm de se præsumptis: oportet illuminare hunc cæcum, excitare dormientem, sanare ægrotum: hæc omnia, ut vidimus, feliciter præstat timor Dei. Qui proinde est dispositio necessaria ad consequendam conversionis gratiam. Quamdiu igitur peccator huic suæ falsæ inhærebit persuasioni, quam S. Hieronymus *pessimum magistrum* nominat, scholam frequentabit pessimi magistri, qui cum in vitiis suis roborabit. Quamdiu ille carebit timore, in sua cæcitate, profundo vitiorum lethargo obrutus perdurabit. Quamdiu denique respuet timorem Dei, tamdiu detinebitur in sua infirmitate, medicinâ & remediis destitutus.

Ecl. I. 28.

Omittamus metaphoricè loqui, apertè cum Divino Spiritu pronuntiemus: *Qui sine timore est, non poterit justificari*; id est, qui non tangitur sensibus timoris Divini se non justificabit unquam. Cujus ratio est clara; timor iste non solum est necessarius pro dispositione ad recipiendam gratiam conversionis, prout jam intelleximus, sed requiritur insuper ad consensum gratiæ præstandum.

Rom. 8. 30.

Ordo hic à Deo stabilitus manet immutabilis, notat S. Bernardus, exponens textum modò citatum; *Præcedit timor, sequitur justificatio*. Ad probandum istum ordinem & connexionem utitur S. Doctor D. Pauli Theologicâ doctrinâ; *Deus, quos prædestinavit, hos & vocavit, quos vocavit, hos & justificavit, quos autem justificavit, illos & glorificavit*. Ecce, ait S. Bernardus, ingentem illam misericordiam, quam laudibus extollit Psalter Regius, nullis terminis circumscriptam utpote incipientem sine principio in æternitate anteriori per Prædestinationem; seque extendentem sine fine in æternitatem posteriorem per glorificationem. *Misericordia Domini ab æterno usq; in*

Psal. 102. 17.

a107-

*æternum.* Super quem tanta veniet misericordia? pergite ulterius in allato textu, mox audietis: *super timentes eum.* Ipsa ergo portio esse debet animarum timoratarum.

Notate, hortatur S. Bernardus, prædestinationem, ac glorificationem istam æternam uniendas esse in tempore mediante vocatione, consequente justificatione; *quos ab æterno prædestinat, in æternum glorificat, intercedente vocatione cum justificatione.* Dico autem, prosequitur suum discursum D. Bernardus, quòd *timore vocemur, amore iustificemur.* Concludit jam S. Doctor, quòd si peccator velit possidere partem æternæ istius misericordiæ, recipiat in se sensus timoris, quibus illum Deus tangit, vocando ad se, ut obediat gratiæ vocationis suæ: *Audiat ergo peccator in sui vocatione, quod timeat, & sic accedens ad Solem iustitiæ videat illuminatus, quod diligat.*

Ponamus in exemplo, quòd Deus peccatori, quem convertere intendit, inspiret pro tunc sublimes & terribiles has veritates; fidem sine operibus mortuam, Christianum reprobum nil in futuro debere sperare præter inferorum rogos; necessario aliquem salvatum, aut damnatum iri; debere eum pœnitere aut ardere; mortem haud procul distare, ex insidiis invasuram esse peccatorem, quando nil minùs is cogitat; Deum in illos statuere iustitiæ suæ exemplum, qui misericordiâ ipsius abutantur. Ad has Dei voces si pavore concutitur peccator, seq; cum Publicano humiliet percutiendo pectus suum veniam petit & misericordiam; obedit gratiæ vocationis suæ, se tangi patiens per timorem, brevi iustificabitur per amorem. *Studit se vocari, cum timore concutitur, sentit se iustificari, cum amore perfunditur.* Pari modo Deus Divum  
Augu-

Augustinum è veterno suorum vitiorum excitavit, ut ipse in suis confessionibus ingenuè fateatur: *Instabas tu Domine in oculis meis, severà misericordià flagella ingeminans, timoris & pudoris.*

O Divina misericordia, videbaris mihi, spoliata esse omnibus dulcedinum tuarum illecebris, tuum, quod mecum instituebas, alloquium erat non nisi de morte, de iudicio & inferno, & in decreto, quod habebas, me salvandi, me perdendi minas mihi intentabas.

Sed si peccator has mortis, iudicii, inferni cogitationes contemnit, & tanquam importunas ac melancholicas phantasias rejicit, comminationes Divinas deridet, resistit gratiæ Dei, sine qua justificationem sperare nequit: *Qui sine timore est, non poterit justificari*, perseverabit in peccato, rectè concludit Spiritus S. maledictus proinde est impius iste à Deo, & spes ipsius præsumptuosa causat hanc maledictionem. Transeamus ad alteram partem.

II.  
Punctum. Etiam si peccator, qui fallaci suæ spei innixus securus quiescit, nec est capax suscipiendi motus timoris Divini, possit recipere gratias, easq; admodum præstantes, id necdum satis esset, quia deberet valorem gratiis istis tribuere, quod tamen ille præstabit nunquam citra timoris Dei adminiculum, quo privatur per falsam suam confidentiam. Autoritas D. Pauli manifestè hoc nobis declarat scribentis ad Philippenses: *Cum metu & tremore salutem vestram operamini.* Quasi diceret; per vestram cooperationem gratiæ cœlesti communicare suum valorem. Id ipsum inculcare nobis voluit in Epistola ad Corinthios: *Perfici-*

*2, Cor. 7. 1. cientes sanctificationem in timore Dei.*

Ratio veritatis istius desumitur ex eo, quòd verus  
Dei

Dei timor sit sociatus binis virtutibus, quæ illi servire debent ut instrumenta efficacia, quibus anima indiget ad superanda obstacula suæ conversionis, & ad ea, quæ Deus ab ipsa pro sui justificatione exigit, exequenda: prima virtus est sollicitudo, seu cura salutis, secunda est fortitudo.

Sollicitudo animæ provenit exinde quòd sciat, cuncta Dei promissa de remissione peccatorum facta, nixa esse conditionibus necessariò priùs adimplendis. Sic promisit nobis per Ezechielem, conferre vitam gratiæ, præviè tamen requirendo totalem pristinæ vitæ immutationem: *Si aversus fuerit à via sua mala, vita vivet.* Ezech. 18. 31  
Recipiet quidem nos Deus intra amplexus suæ misericordiæ, oportet tamen, ut ad ipsum cum tota cordis nostri revertamur intensione, antea totaliter simus à peccato abstracti. *Si reversus fuerit ad me in toto corde suo.* Ibidem.

At verus Dei timor reddit animam vigilantem, & ad implendas condiciones necessarias applicat: è contrario autem præsumptio peccatorem sopore obruit, & turpi quadam otiositate vinculum captivat.

S. Gregorius Magnus eximium super præsentis materia discursum instituit. Inprimis notat ille duplicem spem seu confidentiam in Deum assignari, vitiosam videlicet & virtuosam: priorem vocat characterem reproborum, posteriorem signum prædestinatorum; bonam confidentiam docet esse bene ordinatam, malam verò inordinatam. Sed in quo consistit hæc ordo? attendite: bona confidentia futurum non respicit, ut speret misericordiæ effectus, qui sunt peccatorum remissio, om-

Ii nesque

nésque gratiæ in justificationis negotio comprehensæ; quin prius respexerit præteritum in ordine ad detestanda peccata sua, atque considerârit præsens ad complendum id, quod Deus præcipit: *De omnipotentis Dei misericordia ordinatè confidit, qui hoc, quod peccando deliquit, prius pœnitendo corrigit.*

Falsa confidentia præsumptioni connexa talem ordinem non curat, tota occupata versatur circa futura, non anxia, quomodo præterita reparet, nec cogitat, ut præsentia bene disponat. Audiamus hunc peccatorem, venè se jactat, sibi que promittit ille, quòd Deus aliquando gratias efficaces & victoriosas sit sibi ad conversionem suam concessurus, assistendo simul in articulo mortis, ut æquè fructuosè ac quivis alius pœnitens pronuntiare possit: *peccavi.* Intereà nullatenus est sollicitus circa restaurandas Deo irrogatas injurias, nec inordinatos passionum suarum componere studet motus, nec emendare sua vitia. Hanc confidentiam atro signat calculo Magnus Gregorius: *Inordinata confidentia apud Deum vindictæ locum habere potest, indulgentiam vero obtinere non potest.*

Verum itaque manet, quòd spes ista fallax peccatorem impediatur, quòd minùs is efficacem suam gratiam reddat, idq; perficiat, quod sibi incumbit facere ex sua parte pro sui justificatione; dum è contra timor Dei per Sacram hanc sollicitudinem animam applicat ad conservandam gratiam, ne in vanum sit recepta, sed ut motus & impressiones ipsius fideliter sequatur, exequendo id, quod Deus ad justificationem prærequirit, separationem nimirum cordis totalem ab omnibus peccatorum objectis, & impletionem voluntatis Divinæ.

Hic

Hic ipse timor suppeditat animæ robur, animum virilem ei necessarium, juxta Divinæ Sapientiæ testimonium in Proverbiis, ubi ea fundari vult supra timorem Dei confidentiam quampiam fortitudine & generositate stipatam ad agendum & patiendum. *In timore Domini fiducia fortitudinis.* Et Eliphaz Jobum alloquens, eidem repræsentat, quod timor Dei esse debeat illius fortitudo, patientia &c. *Ubi est timor tuus, fortitudo tua, & patientia tua & perfectio viarum tuarum,* id est impletio omnium Dei circa te intentionum? Videtur primitus, paradoxum esse, asserere, nos à timore mutuare robur, fortes, animosos effici timendo: *Degeneres animas timor arguit:* debilitatem & pusillanimitatem cordis notat timor. Verificatur id quidem, sed de timore duntaxat humano, non de Divino, ubi res longè aliter se habet, Divo Gregorio attestante: *Sicut in via seculi audacia fortitudinem gignit, ita in via Dei à timore incipitur, ut ad fortitudinem veniatur.*

Et quosnam vocatis fortes, animique constantis viros, nisi eos, qui nihil metuunt? Ideam verò ejus, qui Deum reveretur, ut oportet Spiritus Sanctus nobis sic delineat, ac exhibet: *Qui timet Dominum, nihil trepidabit.* Si ad hoc, ut sequatur motum gratiæ sibi à Deo concessæ ad perfectam sui conversionem, videatur necessarium, eruere oculos, aut proprias detruncare manus juxta Evangelium Christi monitum, hoc est nuntium remittere alicui creaturæ, quæ nobis æquè proficua vel grata existeret, ac nostri nobis oculi aut manus esse possunt: nihil ipse pretiosius, nec utilius Deo judicat, qui solus est, quem amittere præ omnibus timet, cætera

cuncta contemnit, *nihil trepidabit.* Si considerationes mundanæ, respectus humani illi remoram interponere conantur, quò minus Deo obtemperet, frivolæ huic quaestioni: *quid mundus dicet?* motivum opponit magis Christianum, *quid Deus dicet? nihil trepidabit.*

S. Chrysoströmus mirabilem aurei sui oris ostendit eloquentiam differens super hoc puncto, quando timorem mortis & inferni repræsentat sub schemate militis igne, ferròque armati animam cum violentia invadentis, simulque ab initio inclamantis: *quis ut Deus?* quis Deo resistere præsumat? quis magis quàm Deus est metuendus? ad cujus clamorem omnis passionum turba perterrita contremiscit, tota vitiorum phalanx in fugam se conjicit, at peccator liber effectus se deprehendit in statu, in quo valorem & efficaciam gratiæ tribuere, eiq; cooperari possit.

*Per timorem Domini,* ait Richardus de S. Victore, *cor contra concupiscentias roboratur, quis tam numerosum exercitum concupiscentiarum suarum debellavit, si sine timore pugnavit?*

Ad hunc discursum appositè infertur illa D. Pauli consequentia: *Scientes ergo timorem Domini, hominibus* 1. Cor. 5. 12. *suademus:* perspecta tam utilitate quàm necessitate timoris Dei ad inchoandam & consummandam hominum salutem nos eam pariter persuadere conamur omnibus nostris Auditoribus.

Quandoquidem peccator sine timore Dei se disponere nequit ad recipiendas primas gratias adeò sibi necessarias, ut à peccato desistat, neque cooperari gratiæ, laborando cum sacra quadam sollicitudine, quæ  
eam

eam applicet, & cum fortitudine invincibili, vi cuius omnia obviantia è medio tollat impedimenta: rationem habeo dicendi, quòd fraudulenta Spes impii fit à Deo maledicta, jure in hanc cadere intelligatur imprecatio Prophetæ Amos, quæ juxta versionem Hebraicam & Chaldaicam sic sonat: *Va, qui tranquilli estis; va vobis peccatoribus ad inferorum januas securè indormientibus, qui vitam agitis quietam inter pericula proxima & continua vestræ perditionis.* Amos 6. 1.

Diabolus est, monet Eusebius Emiffenus, qui maledictam istam fiduciam animæ vestræ suggerit, ut per eam vos æternùm præcipitet: *Immittit diabolus securitatem, ut immittat perditionem.* Detestemur hanc Spem, petamus à Deo timorem ipsius salutarem, quo mediante obtineamus ejus gratiam, nos ad amorem Dei disponentem, quem insequetur gloria æterna. Amen.





IMPIUS MALEDICTUS IN SUA PŒNITENTIA, SINE DOLORE.

*Intravit (Maledictio) sicut oleum in ossibus ejus,  
Psal. 108. v. 8.*

**N**on admiror, quòd peccator, qui per malignos suos habitus, & inveteratam in vitio consuetudinem Dei in se maledictiones detraxit, necdum omnibus fidei luminibus orbatu, desiderium quantumvis debile conceperit, agendi pœnitentiam. Novit is, Ecclesiam per Pœnitentiam esse inchoatam, per pœnitentiam conservari, periturum mundum ob defectum solius Pœnitentiæ. Ipsum pariter minimè later, non nisi innocentes duntaxat & pœnitentes cœlum subituros, consequenter illi, qui innocentiam perdidit, necessario recurrendum ad pœnitentiam. Hoc sufficit, quòd ex oraculo Divinæ veritatis intellexerit: *Si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis.*

Lucæ 13. 5.

Peccator igitur profiretur sæpius se pœnitentem esse, saltem semel in anno Sacramentale nostrum tribunal accedit; sed pœnitentia haud melioris est notæ, quam sint fides & spes ejus, æquè falsa & fraudulenta, ad aliud non deserviens, quam ad novam ipsi promerendam  
Dei

Dei maledictionem, propter abusum in mysteriis nostris admissum.

Ad eundem spectat illa Dei exprobratio per Jeremiam facta: *Non est reversa ad me prœvaricatrix &c. In toto Jerem. 30. 10. corde suo, sed in mendacio, non animo verè pœnitendi, sed pœnitentiam simulandi.*

Ista Pœnitentia est merissimum mendacium ob tres rationes: primò, quia caret legitimo dolore: secundò, quia destituitur proposito firmo: tertio, quia satisfactio debita illam non sequitur.

Manebo hodie in primo & substantiali, doloris sc. **DIVISIO,** defectu, probaturus, dolorem peccatoris hujus apparenter pœnitentis esse falsum, & consequenter maledictum à Deo. Confirmo istam veritatem duplici argumento, quod in duobus punctis seu duabus partibus discursus mei præsentis explico: primum desumptum est ex natura & proprietatibus veri doloris à Sacra Scriptura, SS. PP. & Conciliis traditi: Secundum petitum est ex motivis, quæ dolorem procurare debent, ejusq; sunt, ut loquuntur Scholæ, ratio formalis. Quandoquidem opus sit penetrare animam peccatoris, poscimus lumina Divini Spiritûs, utpote cujus solius officium est, intimas cordis penetrare fibras, per intercessionem Sacratissimæ Virginis. *Ave Maria.*

Non omnes, qui apparent pœnitentes, sunt conver- **I.**  
si, & recipiunt gratiam: tam vetus quàm novum testa- **Punctum.**  
mentum horum exempla abundè subministrant. Vetus duos famosos introducit Reges, ambos delinquentes, simili modo se accusantes, *peccavi;* dispari tamen admodum successu. Saul id pronuntiat & reprobarur: David omnino idem brevi post fatetur, suarumq; perfectam recipit

cepit noxarum absolutionem. In nova lege Judas se condemnat, confitendo, *peccavi*. S. Petrus è contra absoluitur, & caput Ecclesiæ constituitur.

Tertullianus comparisonem instituit inter pœnitentiam & pecuniam; utrinque enim bona & mala, vera & falsa reperitur: oculi Dei sole lucidiores decipi nequeunt, quin adulterinam à legitima pœnitentia secernant, utriusque pondus, momenta exactissimè perpendant; *Credimus Dominum pœnitentiæ probationem inire.*

Ut quis in numerum verè pœnitentium coram Deo veniat, satis non est, se miscere globo illorum, qui Sacra tribunalia festis solennioribus obsident. Potior pars, censet S. Augustinus, agnoscit, & fatetur, se peccâsse, sincerum tamen peccatorum dolorem non concipit, quia semper adhuc affectum & amorem ad illa retinet: *Multi se assiduè dicunt peccatores, & tamen eos peccata delectant.* Tales Christiani, addit Sanctus hic Doctör, publicam etiam emittunt professionem peccati à se perpetrati, corde tamen id non ejiciunt: *Professio est, non emendatio; accusatur anima, non sanatur.* Sciatis fratres mei, prosequitur idem S. Doctör, quòd verum peccati odium unicum sit remedium & legitimæ pœnitentiæ insigne: *Pœnitentiam certam, Deo acceptam non facit nisi odium peccati.*

Cujus ratio est, quia pœnitentia vera necessariò destruere debet peccatum, proinde oportet, ut sit opposita peccato considerato in sua natura & in suo principio.

Quidnam est peccatum? est aversio à Deo, & conversio ad creaturam. Qua ratione contingit hæc aversio & conversio? per amorem creaturæ inordinatum. Requiritur ergo, ut ista conversio rescindatur per odium amanti huic oppositum. Peccatum est gaudium per-

verum,

versum, delectatio in malo injusta; odium itaque gaudium tollat per tristitiam & per dolorem ipsi contrarium, necesse est.

Quod est principium & radix peccati? est ignis concupiscentiæ. Ignis iste per frigus extinguendus, quod ab odio est inseparabile. Quare rationabiliter S. Augustinus docuit: *Pœnitentiam certam non facit, nisi odium peccati.*

Odium hoc duo exprimit. 1. Pœnitentiam & dolorem mali commissi. 2. Separationem & fugam peccati, quod aliquis detestatus fuit. Quapropter S. Augustinus, vel alius author libri inter opera ipsius contenti, de dogmatibus Ecclesiasticis, pœnitentiam duplici vultu nobis delineatam proponit, uno lachrymis infuso obnoxas præteritas, altero admodum austero, pleno virili quadam firmitate ac resolutione ad evitandas futuras: congruit omnino cum doctrina Concilii Tridentini. *Dolor est de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero.*

Differemus crastinâ de fuga & separatione sui à peccato, quæ est effectus boni propositi ac firmæ resolutionis. Videamus hodie, num verus dolor in corde istius pœnitentiam instituentis juxta morem mundo consuetum, reperiat.

Scriptura, Concilia & Patres duo nos circa dolorem admonent: primò, quòd in corde, secundò quòd ex toto corde esse debeat.

Error Lutheranorum & Calvinistarum est per Concilium Tridentinum damnatus, credentium, pœnitentiam à Deo nobis dictatam non aliud esse præter mutationem vitæ; præter hanc ea exigit adhuc duplicem

dolorem, interiorem videlicet, qui est contritio, & dolorem exteriorem, qui est satisfactio.

Isa. 1. 16.

Deus per suum Prophetam præcipit non solum vitæ mutationem: *Quiescite agere perverse, sed petit insuper: Scindite corda vestra; en dolorem internum; cui etiam, vult sociari externum: Convertimini ad me: in toto corde vestro . . . in jejuniis & fletu.*

Joël 2. 13.

Hoc itaque non sufficit, animadvertit S. Augustinus, corrigere suos mores, emendare in futurum suam vitam, nisi simul laboremus placare Deum pro peccatis per dolorem ac pœnitentiam: *Non sufficit mores in melius mutasse, nisi Deo satisfacias per dolorem, per lacrimas, per contriti cordis sacrificium; nemo eligit vitam novam, nisi quem veteris pœnitet.*

S. Thomas probat necessitatem doloris istius per duas rationes elegantes. Primam desumit ex differentia, quæ reperitur inter justitiam vindicativam & aliam Justitiæ Speciem, quæ includitur in pœnitentia. Justitiæ vindicativæ satis est, ut à judice culpabilis fuerit punitus, seu de culpa pœniteat, sive non pœniteat illum, eo quod hoc ad officium Judicis non spectet. Sed sicut justitiæ pœnitentiæ intendit reconciliationem inter offendentem & offensum, requirit necessariò, ut reus doleat ob violatam amicitiam, alioquin reconciliatione hæc semper maneret indignus. Pro secunda ratione subnectit Angelicus Doctor, quod pœnitentia, in quantum est satisfactio, sit quædam species justitiæ commutativæ, pœnitens: idcirco debeat Deo facere restitutionem, quæ resarciat æqualitatem violatam; ex consequenti necessarium est, ut quemadmodum injustè se oblectavit, Deum offendendo, falsum istud gaudium resarciat, justam pœnitentiam agendo:

agendo : & quoniam gaudium in corde fuit conceptum, etiam dolor in corde debet esse excoctus.

Leges Juris & Canones Ecclesiastici decernunt maleficos plectendos in loco, ubi delictum est perpetratum; pari modo, cum peccatum principaliter in corde sit commissum, ipsum locus supplicii erit, ubi primario puniatur. *Scindite corda vestra.* Remedium radici mali adhibendum est: cor autem radix existit, unde vitiorum germina exorescunt; ex corde, docet nos Divina veritas, procedunt adulteria, homicidia, aliâque enormia scelera. Ipsum proin cordis fundum salutaris pœnitentiæ medicina penetret, opus est, ad tollendum inde radicitus latens peccati venenum. Joel. 2. 13.

Sufficienter jam sumus edocti rationibus Theologicis & autoritate Scripturæ, quod verus dolor in corde radices agere debeat.

Infero hinc dolorem peccatoris istius in malo prorsus inveterati, pœnitentiam pro more mundano instituentis, non esse dolorem interiora cordis occupantem, & consequenter mendacem, falsam esse pœnitentiam, à Deo maledictam. *Non est reversa ad me prævaricatrix...* Jerem. 3. 10.  
*In toto corde suo, sed in mendacio.*

Bene scio, sola Divina lumina esse satis efficacia & penetrativa ad detegenda cordis humani secreta: temerarius essem, si absq; iis tentarem penetrare cor istius peccatoris. En, duo nobis occurrunt Prophetæ, faces à Deo illuminatas præferentes, quibus prælucentibus audacter subire licet in cognitionem interiorum impii. Unus est Baruch, alter David. Hi bini Prophetæ indicant nobis duas qualitates, quas tuentur inseparabiles esse ab interiori dolore, qui verum constituit pœnitentem. Quod si ergo

ostendero, peccatorem neutram possidere qualitatem manifestum erit, legitimum non adesse dolorem.

Quamvis dolor resideat principaliter in animæ fundo, non tamen obest, quin, dummodo verus sit, foras prodeat, seq; per effectus externos prodat. Ita sentit Baruch:

Baruch. 2. 18. *Anima, qua tristis est super magnitudinem mali, & incedit curva, & infirma, & oculi deficientes.* Unde patet, dolorem intrinsecum adeò suppressi non posse quin extrinseca testimonia emittat. Audiamus pariter Davidem loquentem, seu potius gementem: *Miser factus sum, & curvatus sum usq; in finem, tota die contristatus ingrediebar.* Advertite oculos in Ninivitas recens conversos, & qui eousq; nullam egerant poenitentiam, qualia signa doloris sui, quo interiora illorum redundabant, relinquunt. Urbs antehac moribus dissoluta, perditè delitiis dedita erat, jam lachrymis repletur & gemitibus, indicuntur omnibus jejunia & cilicia, notantur ubiq; omnia rigidioris poenitentiae signa & vestigia. Rex ipse, qui nostrorum interpretum opinione Sardanapalus fuit nominatus, ob nefarias voluptates, quibus totus erat immersus, famosus seu potius infamis sacco se cooperuit, caput cineribus resperfit & jejunium æquè ac Jonas prædicare cepit.

Credite mihi, doctrina est S. Ambrosii supra præsentem materiam, si plantæ v. g. clavum & quidem cordi seu medullæ arboris infixeritis, brevi agnoscetis læsionem cordis; rami se demittunt, folia flaccescunt, flores, fructus exarescunt, & in terram emortui decidunt. Pari modo, si gladius veri doloris cor terebravit, per exemplum, hujus mulieris, aut puellæ istius mundanæ, id mox advertere licet. Quando nimirum è vultu eliminantur fictitia illa conciliandæ venustatis causâ affixa animalcula, caput, collum

collum superfluo ac nimis pretioso spoliantur cultu, superbia, fastus in vestitu exuitur: confestim quippe mutatio exterior monstraret, quid dolor intus latens causârit; quòd tali dissolutionis & libertatis excessivæ loco, quam priùs illa in cætibus præfererat, modestiam induere Christianam, gravitatem quandam ætati & sexui magis conformem tenere, persuaserit.

O! si isti mundanæ vitæ sectarii sacra se exomologesi expiâssent cum vero peccatorum horrore, & cum dolore verè detestativo execrabilium blasphemiarum in lusu dictarum, vitæq; suæ tantoperè scandalosæ: non viderentur ulterius loca frequentare suspecta, ædes, prostibula infamia. Si animas suas verè afflixissent compuncti propter admittâ sua adulteria, aliâque abominanda flagitia, non statim eâdem Confessionis die cum tanto fastu, tali luxu incederent, qui sunt notæ infallibiles vitiorum & dissolutionis pristinæ sæcularis.

Hi pœnitentes utriusq; sexûs nil magis cavent, quàm ne suos mores reformâsse videantur ac fugillantur, nil æq; molestum iis accidit, ac si exprobrari sibi audiant assumptam morum, vitæq; mutationem, alios modò esse, quàm ante confessionem fuerint. Dicamus itaque, cum iidem semper adhuc velint haberi, prout exteriora etiam satis produnt, dolorem ipsorum interiora non attigisse, eosque consequenter minimè convertos: egisse pœnitentiam, sed solum juxta exteriorem apparentiam, teste S. Gregor. Nysseno, confitendo & recitando peccata sua, inde tamen nullum pœnitentiæ fructum consecutum esse. *Nos pœnitentiam verbis pollicemur, factis verò nihil.*

Psalmista quoque suis nos luminibus collustrat, quibus videamus, legitimum dolorem neutiquam intromitti in corda pœnitentium ad morem sæculi. Asseverat



- hic Propheta, veram cordis contritionem humilitati annexam: *Cor contritum & humilitatum.* Justa prorsus & rationabilis est confusio illa, quam Deus per Isaiam à peccatoribus expetit veluti dispositionem necessariam, ut revertantur ad cor, hoc est, ut agnoscant & lachrymis eluantur deordinationes per peccatum eò inventas: *Confundimini, redite pravaricatores ad cor.* Sicut enim aurora præcurrit solem, & color purpureus manè supra Horizontem emergens nota est serenitatis diei, ita sacer in vultu rubor est signum propinquæ conversionis; *Confundantur & conderantur.*
- Psal. 50. 19.
- Isai. 46. 2.
- Psal. 128. 5.

Re ipsa qualis apparentia, quòd prodigus iste filius turbore destitutus coram suo benignissimo patre, quem tam petulanter deseruit, tam crudeliter habuit, se tamen sistere auit? quò fieri possit, ut sponsæ suarum infidelitatum non immemor in præsentia amabilis sui Sponsi scientis, unaq; scelestam ipsius conversationem exprobrantis, non confundatur? quomodo subditus non erubescat in conspectu sui Domini de seditionibus & rebellionibus quas concitavit, ob easdem meritò conquerentis? Deniq; num Christianus læsæ Divinæ majestatis reus, imò ipsius Deicidii, animo non penitus consternato Dei thronum accedere præsumat, ad implorandam ab illo misericordiam?

Humilitas ergo est inseparabilis à dolore interiori: & pœnitens, qui hac virtute caret, est falsus pœnitens.

Verùm nolo nisi vestros oculos, solùm vestram interpello experientiam, ad probandum, quòd pœnitentes istius sæculi omni sint vacui humilitate tam interna quam externa. Humilitatem non habent externam. Respicite mundanos pœnitentes, qui Sacrum pœnitentiæ tribunal, ut advertit S. Chryostomus, frequentant, ac si choræas aut scenam theatralem accedere vellent. Re-

Reverà, si vos, Dominæ & Domicellæ, mihi non indicaretis, Ecclesiam vos petere, animo deponendi per confessionem peccata vestra, intuens vos tam superbè amictas, crines vestros calamistratos, odorifero pulvere respersos, genas fortè stibio cerussatas; crederem, vos ad conventiculum quoddam voluptatis captandæ gratia divertere, cogitâsse: *An saltatura ad Ecclesiam pergis, an in Ecclesia lascivie oblectamenta queris?* Intentio quidem nostra non eò tendit ut vobis persuadeam, ut confitentes sacco & cilicio vos induatis, non poscimus quidquam exoticum à vobis aut ridiculum: hoc unicè desideraremus, si cum Deo vos recõciliandi proposito adestis, nè talè præferatis pompam, ejusmodi ostenteris luxum, nève exterior cultus tollat humilitatem, quæ necessariò sociari debet dolori pœnitentis interno. *Inspicenter agis ô mulier, non bene convenit: pœnitentia cum sericis & monilibus.* Planè vos hallucinamini, pœnitentia, hortatur idem aureum os D. Chrysofomi, & dolor, à quibus affligenda & humilianda sunt corda vestra, apè non quadrant unionibus, floribus, ligaminibus: sericis, aliisq; vanitatis atque corruptionis mundanæ indicis.

Neq; procurant sæculares hi pœnitentes humilitatem internam, siquidem in feriis Paschalibus, aliisq; solentioribus, quibus confitentur, festis semper adhuc sunt devoti gloriæ humanæ idololatræ; puncti honoris observantissimi, penitus respectibus hominum affixi, semper animo sic dispositi, ut in re ulla ob pacem & reconciliationem hanc ineundam cedere nolint.

Concludite igitur cum Sophonia Propheta: *Nescivit* Sophon. 3. 5. *iniquus confusionem.* Peccator nescit, multò minùs habet humiliationem illam, quæ alias in omnibus contritis cordibus

ribus reperitur; nec habet contritionem & dolorem hunc internum: ideoq; ejus pœnitentia est falsa & fraudulenta, mendacium, illusio quædam: *Non in toto corde, sed in mendacio.*

Prosequamur discursum. Quòd si lumina, quibus ambo hi Prophetæ ducatum nobis præbuère, errori essent obnoxia, quòd citra blasphemix nefas dici nec potest, nec cogitari debet; & si in corde talis pœnitentis dolor quispiam esset inveniendus; indagemus, num esset in toto corde, & ex toto corde.

Spiritus Sanctus in diversis Scripturæ locis nos instruit, cum primis in Deuteronomii libro, quòd ad consequendam peccatorum veniam nos oporteat converti ad Deum ex toto corde, ex tota anima: *Si ductus pœnitentie*  
Deuter. 30. 1. *cordis, reversus fueris ad Dominum &c. In toto corde tuo, &*  
2. 3. *in tota anima tua, miserebitur tui.*

Quid est, peccatorem redire ad Deum ex toto corde suo? Docent Theologi, idem esse, ac pœnitere dolore quodam supremo, omnes alios dolores transcendente: veluti amare Deum ex toto corde suo, est, eum complecti amore summo & supra res omnes non quidem intensivè, at appetitivè. Triplici modo id explicatur.

Primò, pœnitere cum dolore appetitionis sive præferentiæ; hoc est, mutare judicium ac voluntatem erga creaturas, quas in contemptum Dei amavimus. Peccator v. g. judicavit istam voluptatem Deo præferendam, quapropter Deum etiam ob ipsius fruitionem deseruit. Ad reparandam porro hanc injuriam, necessarium est, ut is eliciendo dolorem appetitionis seu præferentiæ, protestetur, Deum infinites magis amabilem, quàm hujusmodi voluptatem.

Secun-

Secundò, pœnitere cum dolore appetitionis, est concipere dolorem, qui omnes antecellat dolores reliquos, vi cuius voluntas taliter æstimet hanc detestationem & dolorem sui peccati, ut non sit bonum, quod non relinquere, malum, quod non potius subire malit, quàm carere dicto dolore.

Tertiò, est sentire dolorem, qui transcendat omnes alios dolores in ratione sui objecti ac motivi: objecti quidem, quia pœnitens plus affligitur à proprio peccato, quàm à reliquis malis universis; ergo dolor iste est quædam detestatio virtualis & implicita, ut loquuntur Scholæ. Secundum rationem motivi, quia, sicut amatur Deus supra res omnes, ita doleri oportet de peccato, quod ei displicet præ rebus omnibus.

Ubi invenietur modò talis dolor extremus in corde pœnitentis mundani, sæculo addicti? Num cum veritate dici potest, ipsos ex toto corde suo esse conversos? Quando hic litibus fori obstrictus successum suæ causæ perdidit, atra mox melancholia in tantum obruitur, ut neminem respicere, in sui consortium nullum admittere possit. Omnia ei displicent. Si puella ista vanitate mundi ebria, inimicum sibi experitur suum amasium, quem sibi devinctissimum prius novit, cor illius penitus absorbetur tristitiæ procellis; adeò miseram hæc mutatio excruciat, ut præ vitâ mortem subire non detrectet. Sed falsi ejusmodi pœnitentes sua peccata quantumvis enormia in confessione recensent, quasi profanam quandam historiam recitarent, frigore mentis constricti citra ullius interni caloris aut doloris indicium, sine horrore, sæpe etiam sine voluntate, ut his significetur gravis causa, quam habent affligendi seipsos.

Ah mi charissime frater, quæso, quidnam hoc est,

LI

quæ-

quærit S. Cyprianus? quando aliquem ex amicorum aut cognatorum tuorum numero amisisti, ubique signa inter-næ, quæ te premit, afflictionis relinquis, suspiria fundis, lacrymis omnia replet. *Animam tuam miser perdidisti*, utinam! non simul ipsum Deum, ut ipse agnoscis, confitendo peccatum tuum, & non acriter plangis, & non jugiter ingemiscis? meritò conqueritur hic S. Pater.

Bene, proh dolor! novi, veram insensibilitatis istius causam esse, quòd cæci mortales dolorem concipiant ob jacturam bonorum corporalium & temporalium fortunarum; ordinariè verò non multùm sentiant privationem gratiæ & æternæ felicitatis; *doles damnum pecuniæ, & non doles damnum justitiæ*, ut iis exprobrat D. Augustinus: etiam si aliquâ ob peccatum tristitiâ afficiaris, hæc tamen cõsolùm pertentat, non penetrat, non est in corde, nec ex toto corde tuo. Videamus modò quænam sint istius doloris motiva, circa quæ altera pars discursus occupatur.

II.  
Punctum.

Motiva debent esse secundum Scholasticorum dogmata ratio formalis veri doloris. Motivum est supernaturale vel naturale; perfectum aut imperfectum.

Insistendo doctrinæ S. Augustini & ipsorum Philosophorum, tenendum, quòd verax dolor originis suæ fontem derivei ex amore. *Omnis dolor in amore fundatur*. Sicut duæ dantur amoris species, una benevolentis, quæ producit in nobis amorem erga amicum propter amorem ipsius; altera concupiscentis, quæ amorem nostrum in proprium commodum inquirendum detorquet: pari modo sunt duæ doloris species ex dictis duabus amoris speciebus propagatæ. Ex amore amicitis nascitur dolor perfectus, ex amore concupiscentis generatur dolor imperfectus, quem attritionem communiter nominamus, cujus motivum aliud non est nisi timor aliquis. Ex

Ex hac doctrina sequitur in cordibus pœnitentium, mundanorum plerumq; non inveniri timorem Dei verum, nec amorem verum, proinde neq; verum dari dolorem.

Ad discrimen faciendum, num illi compuncti sint timore, aut animati isto amore Divino, quæso, ad mox dicenda reflexionem instituatis puncta.

Primò, timor & amor, generatim loquendo, sunt motiva valde efficacia, quæq; totum mundum excitant.

Secundò, quicumque veraciter magnum metuit malum, libentissimè sustinet minora, quò securus majora effugiat mala.

Tertiò, quò majus malum, quod est timoris objectum, idq; clariùs perspectum, eò major etiam oritur timor, & consequenter in tantum est potentior & efficacior. Idem ferè de amore sentiendum.

Quartò observate, quòd timor, qui debet esse motivum pœnitentiæ, sit donum Dei & virtus infusa respiciens pro suo objecto mala extrema, inferorum rogos, flammâs inextinguibiles, jacturam infiniti boni. Amor pariter, qui in corde pœnitentis operatur, est habitus supernaturalis, est amor præstantissimæ & immensæ bonitatis. Timor itaque iste omnem alium debet excedere timorem, & amor iste transcendere omnem alium amorem: proin necesse est, ut sint efficaces admodum, ut corda nostra determinant ad fugienda mala extrema, ad inquirendum excellentissimum bonum illud.

Mecum considerate nunc, quousque veri pœnitentes abrepti devenerint, postquam hoc timore vel hoc amore fuerint correpti.

In S. Hieronymum oculos vestros deflectite, qui propter timorem judiciorum Dei, prout ipse fatetur angusto

S. Hieron.  
Epist. 22.

gusto rupis foramini inclusus latitare voluit, ad agendam  
inibi pœnitentiam: *Ob gehennæ metum tali me carcere dam-  
naveram.* Erat ille nobili progenitus stemmate, deliciis à  
juventute enutritus, voluntariè tamen horrendam am-  
plexus est solitudinem istam: *In vasta solitudine constitutus,  
quæ exusta solis ardoribus horridum monachis præstat habita-  
culum.* Is, qui priorem ætatem in celebratissimis universi  
Academiis consumpsit, qui intimam cum summis Eccle-  
siæ Prælatiis familiaritatem contraxit, cum illustrissimis in  
orbe personis commercium inicit, brutis animantibus se  
focium adjungere minimè dedignatus: *Scorpionum tan-  
tùm socius & ferarum:* ipsius habitatio est obscura caver-  
na, rupibus in præcipitium pronis circumcincta; habitum  
gestat penitus dilaceratum, qui carnem tegere nequit,  
quin ea solis ardoribus introspectatur exusta: *Horrebant  
sacco membra deformia, & squalida cutis suum. Æthiopia car-  
nis obduxerat.* Lachrymarum die noctuq; fluxus ex ocu-  
lis manabat continuus; *Quotidie lachryma, quotidie gemitus.*  
Hisce pœnitentiæ rigoribus necdum satiatus, siliçe manus  
armavit, quò duriùs suum pectus contunderet. Hic, quem  
vobis sisto, pœnitens non visionum, somniorum illusioni-  
bus seductus vel addictus, non scrupulis aut atræ bili ob-  
noxius, sed timore Dei tactus, justitiæ Divinæ terrore per-  
cussus, *ob gehennæ metum* infuetæ austeritatis vitam auspi-  
cari cœpit; generoso, non infirmo pollebat spiritu, tam  
acri præditus intellectu, ut vix ulli, quos Ecclesiâ unquam  
in suo fovit sinu, cedere deberet.

Jam si rescire vultis, quid & quantum amor Dei in  
corde veri pœnitentis operetur, attendite, quæ historia  
Evangelica de Magdalena vobis recenset; videte quo-  
modo

modo amor Dei totaliter vincat & gloriosè in triumphum ducat victum amorem mundi & amorem sui ipsius.

Totum hoc supponitur, suntq; experientiæ satis perspectæ, redeamus ad nostros moderni sæculi pœnitentes. Ubi latent in illis omnibus timoris Dei, ubi vestigia deprehendi possunt amoris Divini?

Quâ ratione vultis, ut mihi persuadeam, quòd peccatores isti, qui se millenis lethalibus noxis constrictos esse sentiunt, vero damnationis ducantur timore, qui horrore ac tremore percelluntur, quamprimùm jejunium sibi indici audiunt, aut ob prolixas, seu frequentiores pœnitentiæ loco injunctas preces cum suo confessario disputant? Timor Dei quantumvis meticulosus primâ fronte videri possit, talibus nihilominus tamq; generosis pollet sensibus, ut juxta Divini oraculi effatum nil timeat omnia, quæ Deo non contrariantur, spernar, rideatque: *Qui timet Dominum, nihil trepidabit.* Eccli. 34. 16. At falsus ille pœnitens omnia metuit, jejunium, eleemosynam, preces per horam protractas; eùm is, qui vero Dei timore tangitur, juxta psaltem generalem habeat voluntatem ac determinatam exequendi ea omnia, quæ Deus præceperit, aut etiam solum consuluerit: *Qui timet Dominum, in mandatis ejus volet nimis.* No. Psal. III. Nō sunt hi pœnitentes quidquam præstare, ex iis, quæ tam salubriter ipsis sunt præscripta pro suorum criminum expiatione: contestantur, deprecantur, si sub reatu culpæ mortalis eò compellantur. Concludite ergo, tales veraci Dei timore nequaquam compunctos, consequenter non attritos, nec legitimè dispositos esse.

Inspiciamus pœnitentes istos, num amore Divino sint præditi? sed quomodo credere possim ejusemodi sæculi alumnos solennioribus duntaxat festis confitentes,



amore Numinis succensos, cum proprii corporis perpetui maneat idololatræ, murmurent, turbentur animo, quando in vicem satisfactionis imponitur, ut superfluum in vestitu luxum moderentur, aut horas aliquot jocis, lusui, recreationibus alioquin destinatas, tranquillandæ animæ consecrent, cum semper inveniant conquerendi ansam, quod nimis orationibus prægraventur? Amor Dei adeo cor roborat, testatur ardentissimus Divini amoris Doctor S. Augustinus, ut si quis ei persuadere præsumeret, id, quod pro Deo agendum suscepit, difficultatem pati, ruborem potius quam consensum extorqueret: *Amor est, qui difficultatis nomen erubescit.* Amor est, ut ex innumeris patet exemplis, qui triumphavit tyrannos, risit carnifices, vicit omnia.

O amor Dei mei: si in corde sæcularium horum pœnitentium fixisti sedem, prout ipsi de se jactitant; fateri cogor, te penitus immutatum: te non amplius cognoscibilem, à te ipso totaliter degenerasse: vis è fucata fronte mulieris pœnitentis abigere muscam, & hanc vel aliam è sero fistam bestiolum intercipere, eliminare nequis. Sed his transmissis.

Ipsissimam dicamus veritatem: omnes istæ apparentiæ aperte testantur, neque timorem, neque amorem Dei in cordium illorum fundo reperiri, per consequens non attritionem, minus contritionem, veram adesse, sicq; falsam eos pœnitentiam instituisse.

Confiteamur itaque, Deum denuò antiquas possessiones reperere nostris diebus per Jeremiam olim promulgatas: *Attendi, & auscultavi... Nullus est, qui pœnitentiam agat de peccato suo, dicens: quid feci?* Audit Deus omnes eos, qui in hoc pœnitentiæ foro ad pedes judicis  
abjecti

Jerom. 8.6.


abjecti explicant peccata sua, sed vix unum animadvertit, qui vero dolore correptus, seipsum examinando inquirat, seriò perpendat & æstimet: *Quid feci?*

Ex iis etiam, qui volunt videri & profitentur se devotionis studiosos, quot recensentur suam instituentes exomologesin per consuetudinem sine præviè concepta, seria pœnitentiæ existimatione; uno verbo, citra verum dolorem indispensabiliter necessarium?

Ad procurandum dolorem legitimum in mundanis, viro vel muliere, quorum fides propemodùm extincta, in homine variis negotiis distento, terrenarum curarum mole oppresso, in persona, cujus genius seu indoles totaliter pœnitentiam averfatur, ingens gratiæ subsidium interveniat, opus est. Ut verò obtineatur istud, studiosè requiri oportet; Quibus mediis? bonorum operum, precum frequentium, jejuniorum, eleemosynarum exercitiis.

Denique ad sui dispositionem aliquod temporis spatium ordinetur & impendatur. At, quia impii hæc & similia agere negligunt, mirum non est, pœnitentiam illorum maledictionis Divinæ anathemati subjacere.

Ex ipsorum malo in tantum proficiamus, ut bonum nostrum promoveamus, sincero & vero dolore sociatam instituendo pœnitentiam; ut non solum Deum placemus iratum, sed ejus consequamur gratiam, simulq; nos disponamus ad recipiendam aliquando gloriam æternam. Amen.



## II. IMPIUS MALE- DICTUS IN SUA POENITENTIA.

Sine proposito se emendandi.

*Intravit (maledictio) sicut oleum in ossibus ejus. Ps.  
108. v. 18.*

**Q**uoniam Præcones Divini Verbi juxta mentem  
D. Gregorii Magni sunt à Deo electi & destina-  
ti, ut sint Christi prodromi ad præparandas ejus-  
dem Domini Salvatoris vias & disponenda corda pro no-  
va per gratiam palingenesi, æquum omnino est, ut D. Jo-  
annem Præcursores primarium imitentur in duobus  
punctis. Primo in selectu materiæ Auditoribus suis pro-  
ponendæ, quæ debet esse poenitentia plerumque. *Prædi-  
cans baptismum poenitentia.* Secundo in formanda vera  
idea poenitentia, quam prædicant, ne Auditores decipian-  
tur.

Luc. 3. 3.

Hoc est, per poenitentiam vias præparamus Domini  
duplici modo; ex parte Dei, & ex parte peccatoris. Ex  
parte quidem Dei, quia poenitendo propitiamus ipsum  
iratum, eumq; de se penitus alioquin immutabilem com-  
pellimus, ut priores in nos odii & vindictæ sensus in pacis  
conditiones transferat: *Ego cogito cogitationes pacis: hoc  
pacto, ut eo momento, quo præterita nostra execramur  
delicta,*

Jerem. 29. 11.

delicta, & propriam condemnamus malitiam, propo-  
situm ille suum nos puniendi pariter retractet.

Pœnitentia præparat vias Domini ex parte peccato-  
ris; quia D. Joannis testimonio colles complanat, valles  
adimplet, ac semitas restaurat; id est, peccatores elatos su-  
perbiâ humiliat, abyssum concupiscentiæ illorum explet,  
desideria eorum rectificat, & voluntatem ad præfixum  
sibi finem dirigit: *Omnis vallis implebitur, & omnis mons* Luc. 3. 9.  
*& collis humiliabitur, & erunt prava in directa & aspera*  
*in vias planas.*

Pœnitentia vera est, quæ tam prodigiosos in nobis  
effectus producit, non autem falsa.

Quapropter S. Joannes cernens Judæos consterna-  
tos ob minas Divinæ vocis, copiosè in ripam Jordanis ir-  
ruentes, ad recipiendum à se baptismum, Pharisæos nimio  
factu turgidos, milites excessivæ libertati adstrictos, pub-  
licanos avaritiæ laqueis irretitos, omnes ad pedes suos  
promiscuè abjectos; cùm audiret eos supplices, cum tre-  
more exclamantes: *Magister, quid faciemus? zelosus hic*  
*Baptista acri suos hospites prius lixivio perstrinxit: Geni-*  
*mina viperarum, quis ostendit vobis, fugere à ventura ira?* Luc. 3. 12.  
Sciatis externum hunc baptismum non pollere vi & virtu-  
te vos salvandi, cum sit figura & ceremonia solùm extrin-  
seca, sed roborari & animari debet virtute aliqua interna:  
Lachrymæ & suspiria vestra, baptismus vester non sunt  
nisi folia arboris Pœnitentiæ quam fructus proferre oportet:  
*Facite fructus dignos Pœnitentiæ:* præcipuus autem *Ibidem.*  
fructus est, ut vos publicani vestræ avaritiæ vinculis vos  
extraheris, & superflua bona vestra in pauperes expendatis:  
*Qui habet duas tunicas det non habenti.* Vester ô mili-  
tes fructus est, ut injustitiis & violentiis inferendis absti-  
neatis;

M m

neatis;

neatis; *Contenti estote stipendiis vestris.* Verbo, necessarium prorsus est, ut pœnitentia vestra sit connexa cum firmo proposito corrigendi vitia, sincera voluntate Divinam legem observandi.

**DIVISIO.** Duas invenio rationes probantes, quòd pœnitentia necessariò involvat separationem à peccato & mutationem vitæ.

Primam desumo è natura Pœnitentiæ, prout est virtus, consideratæ: secundam è Pœnitentia spectata in ratione Sacramenti. Hisce duabus rationibus ostendam, eoquòd Pœnitentia impii tali mutatione vitæ, & generosa ista suos emendandi mores resolutione sit destituta, meritò feriatur à Deo illo maledictionis fulmine: *Sicut oleum*

*Psal. 108. 18. in ossibus ejus.* Pro meliori notitia utilissimæ hujus veritatis haurienda, efflagitemus Spiritûs S. opem opitulante Dei parente. *Ave Maria.*

**I.** Propheta Regius sacro quodam curiositatis desiderio  
**Punctum.** tactus rescire avet, cuinam fors adeò fortunata obtingeret, ut jugiter habitare possit in tabernaculo seu monte Dei, id est, quis albo Prædestinatorum esset adscribendus. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo?* canit ipse, *aut quis*

*Psal. 14. 1. quiescet in monte sancto tuo?* Cui Deus mox respondere videtur: justus, innocens tam felici sorte beabitur, quiq; animam suam ab omni peccati nævo conservat immunem, Deo & suo proximo reddit quod debet: *Qui ingreditur sine macula, & operatur justitiam &c.*

*Ibidem.*

Cur autem, ô Divina majestas, poterat replicare David, non nisi innocentes, immaculati cœlum sint subituri, cum eorum sit nimum pusillus grex? Cui replicæ occurrit Deus, pro majori illius solatio dictis mox subjungens, etiam peccatores, pœnitentes tamen salvandos, dummodo

dove-

do veritatem dicant in corde: *Qui loquitur veritatem in corde suo.* Psal. 14. v. 33.

Quid verò his verbis aliud vult innuere, quàm ut cor pœnitentis sua crimina exponentis correspondeat suæ linguæ, ne teneat os dolosum, seu potius cor duplex; unum quidem in labiis peccata detestans, alterum in sinu suo peccatum adhuc continuo fovens; *Labia dolosa in corde & corde locuti sunt.* Psal. 11. 3.

Hoc itaque est, quod juxta Davidis mentem peccatori in malo habitato, seu impio, cujus maledictiones pertexuimus, ordinariè in sua Pœnitentia deest: *Quoniam dolosè egit in conspectu ejus.* Id vobis ad oculû demonstrabo. Psal. 35. 3.

Quomodo peccator iste, postquàm suum proximum, imò seipsum fraudibus circumvenit, adèò temerarius adhuc esse possit, ut fraudulentix suæ retribus ipsum quoque Deum innectere præsumat coram sacro ipsius altari, ante pedes Sacerdotum, qui Dei in terris vices agunt? *Dolosè egit in conspectu ejus.* Quomodo videamus. Serium videtur instituisse examen in peccata sua, eaq; fideli mente detexisse, tanquam objecta suo odio & detestatione digna, fuisse persecutus: *Ut inveniatur iniquitas ejus ad odium.* Ipsemet declaravit illa in confessione sua, cum adjecta protestatione verbali, se millies peccata odisse majori cum intensione, quàm mortem, eaq; super omnia detestari & execrari. Interea tamen fraudulentus arguitur, nec odisse nec detestatus fuisse peccata: *Malitiam autem non odivit.* Verum odium, sincerus dolor trahunt post se fugam & separationem, uti è contrario amor & gaudium nos ducunt ad unionem. Cùm igitur hic mundanus pœnitens se à peccato procul non removerit, quod confessus fuit, semper adhuc in semita iniquitatis suæ secundùm Psalmistæ verba perstitit,

tit, semper in pravis suis habitibus perseveravit, ideoq; in pristina, quâ antea hærebat, malignitate defixus permanet. *Astitit omni via non bonæ.* Inferre proinde licet, omnia verba, quæ in sui accusatione protulit, omnia externa doloris testimonia, quæ edidit, merissima extitisse mendacia & deceptiones: *Verba oris ejus iniquitas.* Cor cum lingua dissonabat, veritatem in corde suo non loquebatur; hinc pœnitentium salvandorum numero minimè adscriptus;

Ibidem.

Psal. 14. 3. *Qui loquitur veritatem in corde suo.*

Duo sunt observanda in argumento è Davidica psalmodia desumpto. Primò, pœnitentiam consistere in odio peccati; carentem odio tali non esse pœnitentem. *Malitiam non odivit.* Secundò, odium involvere fugam & separationem à malo, quod detestamur, persistentem in peccato, non habere illius odium; *Astitit omni via non bonæ.*

Ne mihi itaq; dicatis, velim, quomodo peccator iste in concione fuerit compunctus, quàm sit comminationibus Divinis exterritus, quot gemitus & suspiria coram Crucifixi iconifino in suo cubili consequente copioso lachrymarum imbre ad pedes sui confessarii prostratus ediderit, suaq; peccata cum profunda sui humiliatione deposuerit. In hoc tamen mendacem se prodit, suamq; vafritiem detegit, *dolosè egit.* Quoniam talis intrinsecus non deprehenditur, qualem forinsecus se exhibuit: exterius apparebat mutatus, interiùs idem in eodem manebat immutatus: lingua foris se accusans, videbatur bona, idem præferebant oculi lachrymis innatantes: at cor, principium veræ pœnitentiæ est vitiosum, utpote suis antiquis vitiis semper innexum: en manifestum hujus indicium, vitia non corrigit, semper in pristino statu hæret: *Astitit omni via non bonæ.*

Id

Id ipsam Ifaias Propheta in sinuare voluit verbis illis:  
*Conterriti sunt in Sion peccatores, possedit tremor hypocritas.* Ifa. 33 15.  
Ex isto textu Tertullianus sumpsit titulum, quem ordinariæ secularium hominum confessioni attribuit, eam vocando, *pœnitentiam hypocritarum, qua nunquam fidelis.* Idem videtur sensisse S. Fulgentius falsas ejuscemodi pœnitentias perstringens: *Nonnulli scelerum suorum consideratione perterriti in oratione gemunt, accusant humiliter in conspectu Dei peccata: & eadem, qua humilitate sermonis accusant, cordo perverso retinent & cumulant.* Hucusq; S. Pater.

Unde constat manifestè, secundum SS. Patrum opinionem lachrymas, suspiria, & confessiones apparenter humiles à Deo minimè approbari, nisi firma resolutione sint communitæ.

S. Gregorius Magnus verba illa Ifaiæ: *Lavamini, mundi estote* &c. expositurus, quærit, cur Propheta lotionis mentione non contentus, *lavamini*, munditiem prætereà exigat, *mundi estote*; cum hoc videri possit superfluum, quando prius aliquando fuit peractum. Erratis, respondet Maximus Pontifex, nam mundi nondum sunt, qui deplorant, nisi simul emundent, & emendent peccata: *Lavantur ergo, & nequaquam mundi sunt, qui commissa flere non desinunt, sed rursus flenda committunt.* Tales lachrymæ sincero proposito destitutæ lutosæ aquæ apparent similes: *Quasi in lutosa aqua semetipsosvolvunt.* Scitis, pergit præfatus S. Doctor, quemadmodum justii in animabus suis frequentibus urgentur tentationibus, per quas tamen ad peccatum non pertrahuntur, ita mali non rarò compunctionibus & doloribus afficiuntur, nec tamen veniam consequuntur, eoquod peccata sua ritè non detestentur, ac deserere nolint. *Ita plerumque mali inutiliter compunguntur ad justitiam, sicut plerumque boni tentantur ad culpam.*



Isti sunt, de quibus testatur Isaias, quòd dolores quidem partus sustinuerint, puerperio tamen non infecuto: *Isa. 37. 3. Venerunt usq; ad partum, & virtus non est pariendi;* ac si diceret, tanta jam sunt perpeffi, quasi jam fuissent in puncto concipiendi & progignendi spiritum salutis, sed omnia eorum bona desideria in abortum tandem defierunt.

Vultisne coram intueri peccatores, qui inter dolores falsæ pœnitentiæ nil nisi monstruosos edunt partus? Oculos & aures in Antiochum advertite; *Orabat hic scelestus,* verba sunt Divini textus, *Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus.* Quid S. Paulus de pœnitentia Esau admodum lamentabili senserit, audiamus: *Non invenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lachrymis inquisisset.* Quare? S. Augustinus reponit, quòd Antiochus & Esau tales in conspectu Dei minimè fuerint, qui cor & voluntatem intuetur, quales coram oculis humanis comparebant; *Non erat in voluntate, quod coram hominibus apparebat in opere.* Est itaque, sicut hesternam probavimus, dolor exterior prorsus inutilis, si ab interiori non animetur. *Scindite corda vestra & non vestimenta vestra.*

Quod præ omnibus Deus à nobis exigit, ad hoc ut in incensum verè pœnitentium veniamus, est, ut convertamur; *Convertere ad me:* Se verò convertere, non est propriè confiteri, aut jejunare, aut lachrymas profundere; conversio est mutatio cordis, quod à creatura avertitur, ut convertatur ad Deum, quod detestatur modò à se prius amatum, amat nunc odio olim à se habitum. Ille sensus est S. Ambrosii: *Quando sic pœnites, ut tibi amarum sapiat in anima, quod ante fuit dulce in vita, & quod prius oblectabat in corpore, ipsum te cruciat in mente, iam tunc bene ingemiscis ad Deum.* Nihil ergo est præter istud odium & verum pecca-

peccati dolorem, quod hanc mutationem procurare possit. Quidnam oportet agere ad peccatorem convertendum? Scriptura id vobis declarabit. Cor sciendum, cui imago veteris hominis, aut potius idolum mundanæ vanitatis incisum est, hujus fragmenta in fontem ignibus iræ Divinæ calefactum, aut flammis amoris ipsius ardentem projicienda; *Sicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœlestis.*

Quod necdum tamen sufficit, quia cor istud debet annihilari, ut ex nihilo cordis istius superbi procreari possit cor humile; de nihilo cordis impudici & profani, progeneretur cor novum purum & castum, quale volebat sibi David conversus: *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis: &* hoc modo è peccatore annihilato producat nova creatura, de qua S. Paulus facit mentionem.

Si pœnitentia vera hæc omnia præstare debet, evidens omnino est, deserendum nobis omne cum peccato commercium per immutationem vitæ, concludit D. Ambrosius: *Hæc est vera pœnitentia, jam cessare à peccato: Sic enim probat, dolere se, si à cætero desinat.* Non igitur confessiones vestræ, non suspiria aut lachrymæ vestræ sunt signa infallibilia peractæ à vobis veræ pœnitentiæ; sed fuga, odium peccati, & mutatio vitæ. *Sic enim probat dolere se, si à cætero desinat.*

Inferamus jam, quòd si, prout vidimus, confessiones istæ etiam suspiriis lachrymis permixtæ, torq; aliis doloris insignes testimoniis, nihilominus ut falsæ & deceptoræ reprobantur, nisi morum vitæq; mutatione roborentur: proh Deus! ubi, quæso, sumus? quale formandum erit iudicium de confessionibus potissimæ partis Christianorum moder-

moderni sæculi, è quibus aliqui confessionis tribunal accedunt ad salvandum duntaxat exteriorem respectum, alii ob ruendam in festis solennioribus introductam consuetudinem? Nonne cum Tertulliano dicere licitum erit: *Ubi emendatio nulla, ibi pœnitentia necessario vana, quia caret fructu suo?* adeoq; sunt pœnitentiæ nullius valoris & utilitatis, ac maledictæ. Num post S. Augustinum non pariter nobis fatendum, quòd hi blasphemi, qui eodem, quo se de blasphemis accusarunt, die, eas revomunt; quòd hi molles & effœminati, qui canum instar ad suos vomitus & pristinas turpitudines redeunt; quòd hi infelices amorum carnalium nexibus innodati, qui sua nunquam dissolvunt vincula, quiq; infami questu continuo vitam ducunt, pœnitentiam minimè agant, sed Deo, Divinis que misteris, quibus abutuntur, illudant? *Irrisor est, non pœnitens, qui adhuc agit, quod pœnituit. & peccata non minuit, sed multiplicat.*

Heu! quod pectus mihi diffundit præ doloris magnitudine, mihi que plorandi hîc potius, quàm prædicandi materiam subministrat, illud est, quòd videam inter nos tantum eorum numerum (loquor de magnis peccatoribus) qui Sacramentis abutantur, suæq; vitæ cursum in perverlis suis habitibus transigant. Quam meritò deffenda est deordinatio ista, cùm uni duntaxat scienter inherere lethali noxæ, sufficiat ad confessiones viginti annorum reddendas sacrilegas.

Jejunium propriè non fuit, nec cilicium Ninivitarum, quod iratum placavit Numen, sed mutatio vitæ: *Vidit Deus opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala.* Totius etiam urbis statum penitus inversum, indeq; adimpletam suo modo comminationem observat S. Augustinus, quam Jonas prænuntiavit: *Everfa est Ninive, quæ mala erat,*

Jonæ 3. 20.

erat, & bona edificata est, qua non erat. Cui consonat prædicatum, quod D. Gregorius Nyssenus pœnitentiæ adjudicavit, appellans ipsam *dissolutionem & everisionem peccatorum.*

Ergo si exomologeses in festis Natalitiis aut Paschæ Domini institutæ ad deserenda vitia nos non inducunt, ad habitus nostros pravos emendandos viam non sternunt, an non habemus rationem dubitandi de bonitate & virtute istius pœnitentiæ, quæ nihil immutat, quæ nil destruit?

Interim considerate communem mundanorum pœnitentiam, cui jure exprobrare possemus illud D. Hieronymi, aut alterius coævi Authoris (cujus literæ Sancti Patris hujus epistolæ sunt annexæ) dictum in aliquem se jactitantem ob peractam pœnitentiam, qui tamen idem semper mansit, eodemq; modo vixit. *Pœnitere te asseris, nescio, quid sit tua pœnitentia, scire à te desidero, quid pœnitentis? è tne avaritia objectum tuæ pœnitentiæ? non, siquidem tam ardentem divitiis incubas, ac unquam aliàs; num tua morum dissolutio? non, infamiâ enim, qua olim, adhuc modo laboras: falleris ipse, simulq; nos fallere cogitas, certe veracem in mente tua pœnitentiam haudquaquam efformas: Pœnitentem hominem dico, qui diligit, quod ante neglexit, qui abhorret, quod amavit.* Unde, cum post confessionem potioris partis pœnitentium vitia in antiquo statu persistant, in eorum mentibus regimen teneant, maligni illorum habitus in pristino vigore adhuc perseverent; cum confessio quidem transierit, non item avaritia, impudicitia transitum fecerint; inferamus, licet, quòd vera pœnitentia hîc nulla intervenerit.

Nequaquam hîc intelligi velim, quasi docerem, effectum & valorem veræ pœnitentiæ consistere in eo, quòd pœnitens in futurum non ultra relabatur delictum; dum-

Na mode

modo enim peccator veraciter fuerit contritus, sincerum se emendandi conceperit propositum, etiam si deinde sit relapsus, casus iste subsequens non invalidat præcedentem ejus confessionem, aut malam arguit præviam pœnitentiam. Christus Dominus fœminæ, cui peccata sua condonabat, imperavit: *Jam noli peccare.* Ubi S. Augustinus notat; *non ait, non pecces, sed non sit in te voluntas peccandi.* Ipsemet fateri cogor, ingentem esse difficultatem, ut enormis peccator semel, simulque corrigatur, dummodo prævideatur secutura emendatio, lapsus observentur rariores, causa subest, opinandi, confessiones fuisse bonas.

Tria vos, paucis tamen verbis admoneo; primò, peccatorem, qui in sua confessione non concipit propositum firmum evitandi omne peccatum lethale, confessionem instituere sacrilegam, ejusque pœnitentiam maledictioni Divinæ obnoxiam: quod à nemine controvertitur.

Secundò adjungo, sensum esse PP. & Theologorum unanimum, qui hanc materiam pertractârunt, quod voluntarii & frequentes isti relapsus, & hæc in peccato perseverantia sint signum ferè infallibile, pœnitentem non habuisse voluntatem illam, imposterùm non peccandi: quapropter consulo omnibus iis, qui in tali vixerunt statu, exempli gratia, qui diu vitiosis amorum carnalium vinculis illigati, odiis aut usuris obstricti, animum aliena bona retinendi habuère diuturnum, his inquam consultum judico, ut animum generali confessione emaculent, in supplementum particularium, quæ probabiliter erant sacrilegæ, ob quas saltem in mortis horâ validè arctari sentient suas conscientias.

Tertiò, cùm de frequenti lapsu sermo incidit, lapsum intelligo in peccata mortalia, venialia siquidem delicta  
adco

adeò sunt humanæ fragilitati affixa, ut mirum non censeatur, etsi frequentius in eadem relabi contingat: nec obinde abiici animus, aut intermitti debet Sacramentorum usus.

Sed personas devotioni deditas sæpius confessionem iterantes adhorror, duo animadvertant: primò, ne Sacramentum reperant ex consuetudine, vel quia sic habituatæ. Secundò, ut materiam Sacramento necessariam rite administrent, quæ est peccatum mortale aut veniale cum dolore omnem alium dolorem excedente ac sincero emendationis proposito. Magnum subest periculum, nè plurium devotorum cæteroquin hominum exomologes sint imperfectæ, & ut dicitur, informes; in quarum complementum, nisi quidpiam speciatim eorum gravet conscientias, potest elici contritionis actus de peccato aliquo, jam alias in confessione expresso.

Contrahamus in compendium secundam rationem desumptam è Pœnitentia spectata, ut Sacramentum quoddam.

Intentio Dei in institutione Sacramenti Pœnitentiæ teste D. Paulo fuit, ut, quemadmodum Christus in Cruce mortuus figura extitit peccatoris, oneratus extrinsecus maledictionibus legis; *Maledictus, qui pendet in ligno.* Ita peccator verè pœnitens sit imago Christi morientis, & per Sacrificium cordis sui contriti, ac præ dolore disrupti representet Sacrificium Crucis, atq; tali modo mortuus peccato per reditum denuò ad gratiam fiat imago Resurrectionis Christi: *Ut quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vite ambulemus.* Propterea necesse est, ait S. Zeno Veronensis, ut gladius doloris penetret cor pœnitentis, qui uno ictu occidat veterem,

II.  
Punctum!

Deut. 21. 23.

Rom. 8. 6.

simulq; novum procreat hominem: *Descendit gladius in viscera peccatoris, uno ictu interficit veterem hominem, creat novum.* Requiritur à pœnitentibus è sacro tribunali revertentibus, ut cum veritate gloriari possint: mortui sumus peccato, & vivimus de novo, vitâ resuscitatâ fruentes. Quid verò innuit phrasis ista, *mori peccato?* Respondet breviter S. Prosper. *Non amplius hæere in peccato, damnandis operibus non vivere.*

Si cognoscere cupitis, docet D. Paulus, quisnam sit verus dolor, cujus flammis ardeat Sacrificium cordis verè contriti, attendite ejus comitem tristitiam; nam *quæ secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur.* At quia major pars pœnitentium non unum prius progreditur passum, quin duos retrorsum cedat, cumq; in promissis ipsorum confessario factis nil deprehendatur nisi vaga mentis inconstantia, ac perfidia, censendum, tristitiam illorum nequaquam secundum Deum fuisse, neque firmæ alicui resolutioni seu proposito connexam esse.

Duo sunt Christianorum in hoc puncto deficientium genera, seq; involventium huic malo, ad quod falsa & dolosa ista pœnitentia eos abducit. Sunt quidam confitentes, positivè simul erga peccatum affecti, de quo deserendo non cogitant: ideo in conscientia suæ erroneis dictaminibus stabiles manent, seq; ipsimet exæcant, ne delicta sua cognoscant. Hic mercator, iste opifex se de injuriis in commercio suo admissis non accusat, nec de usura & iniquis nimium censibus exactis. Quare? responsum dabit, se non credere, quòd ob similia Deum habeat offensum.

*Filiæ sæculi hujus, vanæ puellæ, brachiorum, colli &c.*

li &c. nuditatem, aliasque Dei legibus damnatas mundi inventiones, quas adhibere solent, lascivientes ætatis petulantias, quibus affuetæ, in confessione non exprimunt. Cur? quia animum non habent se corrigendi. Quare? quia sunt penitus talibus peccatis immersæ. Ergo voluntas in iis est ligata, & consequenter sunt incapaces conversionis cordis, quod Deus à nobis exposcit, ut suam nobis gratiam communicet. Corda illorum immobiliter defixa subsistunt in malo, reverti ad Deum nolunt, positivum proinde obicem veræ pœnitentiæ opponunt.

Alii negativum defectum admittunt, quatenus non præstant, ad quæ obligarentur ad obtinendas adeò potentes & efficaces gratias, sine quarum ope à peccatis abstrahi nequeunt. Quod Christus olim de enurgemeno pronuntiavit, in eisdem quadrat: *Hoc genus (demoniorum) non ejicitur nisi per orationem & jejunium.* Matth. 17. 10. Inveterata enim ipsorum peccata delendi, alia media non suppetunt, quàm jejunium, preces, eleemosynæ. Unde concludo, quòd enormes ejuscemodi peccatores maledictionem falsæ illorum pœnitentiæ annexam à Deo evadere nequeant, nisi mediantibus heroicis conatibus, generosis resolutionibus, extraordinariis animi applicationibus, quibus solùm intervenientibus mediis consequentur veram pœnitentiam in præsentem, in futuro sæculo gloriam. Amen.





III. IMPIUS MALE-  
DICTUS IN SUA  
POENITENTIA.

Sine satisfactione.

*Intravit (maledictio) sicut oleum in ossibus ejus. Ps.  
108. v. 18.*

**Q**uia thronus misericordiae Dei regnantis in tem-  
pore altiori jurisdictione praeditus, & ampliori  
gaudet auctoritate, quam tribunal justitiae; *mi-  
serationes ejus super omnia opera ejus.* Licet modò appellare  
à decreto, quod Christus ut supremus Judex contra pec-  
catores pronuntiavit, nosque adhuc subtrahere horrendis  
ictibus aeternarum maledictionum, quas in capita nostra  
vibrabit. Ut autem appellatio nostra tanquam legitima  
recipiatur, necessariò praerequiritur, nos qualitatem verè  
poenitentium praeferre.

Petr. Cellens  
Tract. de Pa-  
nibus.

Sola poenitentia est, quae Venerab. Petro Cellensi  
Abbate attestante, ex se omnino timida, trecebunda, id  
tamen aggredi tentat, quod nec Angeli, neque Sancti pra-  
sumunt: *Audet poenitentia, ubi timet Angelus.* Perfringit  
illa justitiae cancellos, interrupt proceffum contra nos  
initum; obturat ora testium nos accusantium, dilacerat  
documenta à peccatis nostris producta in nostri ruinam:  
ulteriùs progreditur, arma irato Deo extorquet, manus  
omnipotentis constringit, nosq; intra sinum Patris miseri-  
cordia pleni immittit: *Vincit invincibilem, ligat omni-  
potentem.* Vera

Vera pœnitentia tam prodigiosos causat effectus, nec alii, nisi veri pœnitentes coram throno misericordiæ comparere audent, ut admittantur & audiantur. Falsi verò pœnitentes rejiciuntur cum sua appellatione non sine pœna, aut meliùs loquendo, non sine confusione.

Hoc est, de quo jam tertiâ vice discursum instituo, ut ostendam nimirum, impium esse maledictum à Deo in falsa sua pœnitentia, utpote operibus satisfactoriis destituta. Pro fundamento mei discursus pono gravissimam D. Augustini auctoritatem; *Oportet, ut pœnitentia fructificet, ad hoc ut vitam impetret.* Id est, adhuc ut pœnitentia vitam gratiæ nobis donet, satisfactione animari, necesse est. Fulcio dictam auctoritatem duabus rationibus, quas in duabus sermonis istius partibus, quibus is constat, dilucidabo. Prima sumitur ex parte Dei, cujus gloriam pœnitentia reparare nititur. Secunda ex parte hominis peccantis, cujus illa intendit sanare infirmitates has, quæ deducunt ad mortem æternam. S. Spiritus efflagitemus auxilium & Divæ Virginis patrocinium. *Ave.*

Communis Patrum sensus habet, fructum pœnitentiæ esse satisfactionem, consistentem in operibus pœnali-  
bus, & justâ vindictâ à pœnitente ipso de se sumptâ propter commissa sua delicta. Ordinariè insuper pœnitentiam comparant cum arbore in cœlum usq; protensâ; cujus fructus quamvis cœlites gustare nequeant, gratissimo tamen eis sunt spectaculo, adeò, ut si gaudium cœlo exulare contingeret, fructus isti triste exilium hoc compensarent: *Gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente.* Pœnitentia est arbor, cujus radix contritio videlicet, est recondita in fundo cordis, truncus arboris est resolutio firma & inconcussa, folia arboris sunt confessio, quæ prodit ex ore,

DIVISIO.

I.

Punctum.

Lucæ 15. 7.

ore, fructus autem sunt opera satisfactionis, quæ manibus demonstrantur. Id ipsum docet Gregorius Magnus, communem & ordinariam mundanorum pœnitentiam assimilans ficui Evangelicæ à Christo maledictæ non ob radicem, quòd hæc lateat occulta, minùs adhuc propter folia, quæ omnia sola sunt inutilia, sed ratione fructuum, è quibus arbor pœnitentiæ dignoscitur; *A fructibus eorum* Scia-  
 tis igitur, monet nos Sanctus hic Pontifex, minimè probari folia confessionis, nisi connexa sibi habeant opera satis factio-  
 nis: *Idcirco omnis peccatorum confessio recipitur, ut pœnitentiæ fructus subsequatur.*

Math. 7. 16.

Pacian. Epist.  
31.

Notate, scribit Pacianus excellens Pœnitentiæ magister, quòd pater familias non sit contentus cum arbore frugiferâ, nec animum deponat eam resecan-  
 di, quantumvis floribus & foliis abundet; sed fructus petat & inquirat, iis autem viduatam maledictione percipiat. *Vides fructum in sarmentis requiri.* Quinam verò sunt fructus isti? *Fructus sunt detrimenta carnis, damna letitiæ, damna patrimonii, vitæ labores.* Mortificationes, elemosynæ, austeritates vitæ constanter laboriosæ.

Ratio Theologica hujus veritatis desumitur exinde, quòd Pœnitentia secundùm Scholasticos sit peculiaris virtus à Deo præcepta in Scripturis sacris, quæ relationem & similitudinem habet cum justitia commutativa & vindicativa, in quantum ex una parte contendit satisfacere Deo, reparando æqualitatem violatam, ac restituendo Deo gloriam ademptam; ex altera item parte intendit punire & castigare, quod culpabile. Pœnitentia ergo non est particularis virtus talis, qualem descripsimus per solum dolorem internum de peccato commisso, siquidem charitas eum elicit. Sed pœnitentia armata sit oportet gladio doloris alicujus vindicativi.

Idem

Idem asserit Angelicus Doctor, actum pœnitentiæ, vi D. Thom. 2. 2. q. 9. 2. 2. cuius ipsa specialis est virtus ad destruendum peccatum, quatenus est offensa Dei, esse vindictam, quam pœnitens à seipso exigit, intuitu peccati, cuius dolorem concipit: *Pœnitentia est quedam dolentis vindicta puniens in se, quod dolet admisisse*: Pœnitentia ut propria & particularis virtus necessario involvit punitionem, hinc *pœnitentiam quasi pœnitentiam* dictam esse vult Hugo de S. Victore.

Satisfactio itaque debet esse rigorosa, si spectetur tanquam virtus. Quòd si illam consideremus ut sacramentum, Concilium Tridentinum nos docet, quòd sit institutionis Divinæ, & pertineat ad integritatem Sacramenti, quod est mysterium misericordiæ ac justitiæ.

Misericordiæ, quoniam peccator hinc consequitur suorum reatum veniam, Deus hinc rescindit decretum, quod jam pronuntiârat, mortis æternæ. Justitiæ etiam simul, siquidem peccator plecti debet, idèoque remittitur ad sacerdotes, quibus officium Judicis delegatum affirmat S. Hieronymus, ut sententiâ suâ præveniant iudicium extremum. *Ante iudicium iudicant.*

Quapropter Concilium Tridentinum eosdem obligat ad pœnitentias enormitati scelerum commenturatas imponendas.

Ad benè intelligendam hanc dulcoris & rigoris mixturam, seu potiùs consonantiam istam, quæ ex duobus illis attributis in Sacramento componitur, ex misericordia inquam & justitia quoad speciem sibi oppositis: *Misericordia & veritas obviaverunt sibi*: Quæso, vobis ut imaginemini, quòd misericordia in hoc Sacramento Crucem corripiat, sumat Christi sanguinem, contrectet sacra eius stigmata, aggrediatur in corde Dei Justitiam, quæ peccatorem

Oo

dam-

damnare & perdere cogitabat, hanc verò devincat, gloriose triumphet, sicq; ipsa sola hinc regnet. At eodem temporis momento, fingite, Justitiam cælo descendere in cor hominis, ut de illius sceleribus vindictam sumat.

Psal. 84. 12.

S. Augustinus in hæc verba; *Justitia de cælo prospexit*, doctè pro more suo veritatem istam nobis explanat; quando misericordia, ait, benè vidit, quòd cum corde humano nil efficere valeat, nisi prius cor Divinum permovisset, hic initium sumit, eiq; repræsentat ex una parte peccatorem per gratias ipsius actuales ac prævenientes jam dispositum, jam humiliatum ac dejectum, suspiriis & lachrymis vacantem, cum publicano pariter percutientem pectus suum:

Lucæ 18. 13.

*Propitius esto mihi peccatori.* Ex altera parte exhibet eadem misericordia Christum sanguine suo respersum, plagis undiq; coopertum, supra Crucis arborem agonizantem cum clamore non tam ore, quàm hientibus vulnerum scissuris

Lucæ 23. 34.

Psal. 84. 12.

expresso: *Pater dimitte illis.* *Justitia de cælo prospexit*, quæ ad intuitum talium objectorum victam se & flexam per misericordiam se agnoscentis, huic locum cedit: tunc misericordia victrix patrat stupenda in corde Dei prodigia pro favore & bono peccatoris. Quis credere posset unquam, quòd illa Deum quòdammodo ad agendam pœnitentiam redigat, ad revocandum nempe decretum de homine disperdendo conceptum? hæc nobis persuadere conatur

Tertull. lib. de Pœnit.

Tertullianus: *Deus primus in seipso pœnitentiam dedit, rescissa sententia pristinarum irarum, parcens imagini suæ.*

Psal. 84. 7.

Ecce conversionem Dei, quam Prophetæ ad nostram conversionem prædicant necessariam; *Convertere & convertar; Tu conversus vivificabis nos.* Deus itaque hinc conversus, seu victus & mutatus, si sic loqui licet, per suam misericordiam, contestatur, se in peccatoris gratiam non nisi pacem

pacem & salutem meditari: *Ego cogito cogitationes pacis.* Jerem. 29. 11.  
Ille jam dicit interprete D. Augustino, *Conversus est ad puniendum peccatum suum, & ego convertar, ne puniam eum:*  
Convertitur peccator à misericordia mea præventus, ut puniat delictum, convertar & ego, ut parcam; *parcamus homini, quia sibi ipsi non pepercit.*

Sed interea, dum Misericordia gloriosa victrix tam fructuosè pro bono peccatoris laborat in corde Divino, intueamur, quid in humano pectore Justitia operetur, id est hic loci, ubi suam debet stabilire mansionem, & regnare. Hinc quidam Theologorum docuere, pœnitentiam esse aliquam effusionem & effluvium Justitiæ Divinæ in corde hominis: ubi necessarium est, ut idem suo modo peragat, quod antecedenter in corde Dei effecerat, antequam inde per Misericordiam, sic loquendo fuerat depulsa. Illa erat in causa, quòd Deus conceperit odium aversionis & odium vindictæ. Neesse proin est, ut pari modo in corde pœnitentis duplicem hunc sensum excuset; primò quidem odium aversionis, vi cuius ille intuitu multitudinis & enormitatis suorum flagitiorum horrorem concipiat, se detestetur, seq; ut infensissimum suimet inimicum respiciat: secundo odium vindictæ, quo mediante ad se plectendum, & castigandum rapiatur.

Discursus etiam ille est Tertulliani; *Pœnitentia in peccatorem pronuntians, pro Dei indignatione fungatur.* Oportet, ut pœnitentia occupet locum, vices agat justitiæ idq; in peccatorem statuatur, quod alioquin justitia statuisset: id est, sistere reum debet coram tribunali conscientiæ, causam ipsius examinare, perlustrare informationes vitæ illius; ita, ut si istum perfidiæ aut rebellionis in suum supremum Dominum agnoscat convictum, si deprehendat

Tertull. ubi  
sup.

eum ingratitude nota laborare, Divinorum bonorum  
 dissipatorem, aut, quod plus, in Deicidium conspirasse,  
 pœnitentia officium exercens, vocatis prius in consilium,  
 Matth. 26, 66. ratione ac fide, *quid vobis videtur*, pronuntiet tandem sen-  
 tentiam condemnationis in his terminis à S. Bernardo  
 Ibidem. comprehensam: *Reus est mortis, Crucifigatur*. Verus dein-  
 de pœnitens conformiter promulgationi istius decreti  
 contra seipsum insurgit; *Pœnitens est homo iratus sibi*: Li-  
 ctoris partes assumit, seq; Cruci affigit; tandem sibi etiam  
 postremum mortis ictum infligit, *veterem hominem cum*  
*actibus suis gladio pœnitentiae enecat*, inquit Guericus Ab-  
 bas; *vel perdit animam suam, non ponendo eam ut Martyr,*  
*sed affligendo eam ut pœnitens*. Ita S. Bernardo placuit loqui.  
 Sic in continuo Martyrii exercitio, sive *sub imagine Marty-*  
*rii*, ut verbis antiquissimi Ecclesiæ Patris utar, *veniam cœ-*  
*lestis misericordiae expectat*.

Racharius.

Hæc satis esse credo ad convincendam falsitatis pœni-  
 tentiam ordinariam à Christianis hujus sæculi institutam.

Resumamus discursum nostrum, & dicamus: pœni-  
 tentia in quantum est virtus, involvit vindictam & puni-  
 tionem peccatoris. Quare: quia ipsa Deo restitutionem  
 facere tenetur ob illatam ei injuriam, per pœnam, quæ sit  
 æqualis delectationi vitiosæ captatæ in adhæsione & abusu  
 creaturæ. In quantum est Sacramentum exigit satisfac-  
 tionem, ad hoc ut sit perfecta: id ostendimus cum Conci-  
 liis & Patribus, probavimus etiam per rationes Theolo-  
 gicas.

Si illam consideremus, prout Sacramentum, est quod-  
 dam iudicium. Atqui omne iudicium supponit serium  
 examen rei, sententiam ac pœnam criminibus ejus pro-  
 portionatam. Omnis ergo pœnitens, qui apprehenso per  
 admi-

ad miniculum fidei suorum delictorum enormi excessu, unaq; necessitate eadem castigandi, nihilominus impunita transmittit, quiq; maleficū sine multā dimittit absolutum, evidenter iudex esse corruptus, sententia ipsius manifestè convincitur injustitiæ, adeoq; ejusdem pœnitentia nulla habenda est. Divinus Iudex talem absolutionis formam non ratificat, & Justitia Divina videns, quòd libertas hominis sit impedimento, quò minùs in corde falsi istius pœnitentis operetur, eaq; permittere nolit, ut vindictam de illius culpa sumat, revertitur in cor Dei, ibiq; officium resumat puniendi reum, culpæ obnoxium. Fratres mei, inculcat nobis D. Paulus, si nosmet ipsos dijudicaremus nos ipsos pro merito reatus plectendo, à Deo non judicemur, minùs puniremur; sed quia ipsi nos judicare, nostra delicta vindicare detrectamus, æquitas exigit, ut Deus hoc nos corripiendi & castigandi officium in se suscipiat. Necessitatem istam Tertullianus fundari existimat in principio illo: *Omne factum sive bonum sive malum Deum habet debitorem*; bonum ut præmiet, malum ut puniat. Hinc requiritur, concludit idem Doctor, ut per pœnas temporales & austeritates rationi conformes aliquo modo compensetis æterna supplicia, quæ per scelera vestra aliàs in Deum admittis commiseruntis: *Temporali afflictione, non dicam frustratur, sed expungat æterna supplicia*. Vel ut clariùs loquamur: necesse est, ut per pœnas satisfactorias applicetis vobis merita Sanguinis, & fructus satisfactionum Servatoris nostri, Domini Jesu Christi.

Quapropter cum D. Augustino denuo vobis inclamo; non sufficit, dolere de peccatis, emendare vitam, confiteri peccata, exiguntur præterea opera pœnitentiæ satisfactoria: *Parum est, pœnitere, nisi pœnitentiam egeris; ad emen-*



*danda enim crimina vox sola pœnitentis non sufficit: ingentia peccata non verba tantum sed opera querunt.* ita S. Augustinus.

Veniamus nunc ad experientiam. Dicite mihi, num inter hos vel illos pœnitentes sæculi noveritis signa istius odii averſionis, istius odii vindictæ? an hîc advertatis ejusmodi castigationes, tamque rigidas animadverſiones?

Nonne potiùs copiosam hæc corrupta præſentis sæculi tempora conquerendi materiam subministrant, æque ac D Gregorio Nyſſeno, de ſuis olim lamentanti: *Nos pœnitentiam verbis pollicemur, factis verò nihil?* multa ostentamus folia, sed modicos exhibemus fructus. Verum quidem est, inquam, nos foliis gloriari, nos ſingulis menſibus, aut ſolemnioribus per annum feſtis Sanctorum inſtituere confeſſiones: sed quem in finem? Sancti docent, tales confeſſiones eſſe folia proſus inutilia, cùm actiones noſtræ demonſtrent, quod nequaquam ſimus præditi voluntate faciendi fructus pœnitentiæ, quales ſunt, orationes, jejunia, eleemoſynæ nobis injunctæ.

Domicellæ, matronæ iſtæ, quæ luſu non ſe recreant, sed occupando fatigant animum, & fortassis lucri intentione, quæ contra mentem mariti curam familiæ negligunt, noctes, diesq; chartarum foliis comburunt, nec raro cum notabili jactura bonorum, unde famulorum ſtipendia exolvenda, aut egenorum opificum debitæ mercedes, prolixo abhinc tempore contractæ, eſſent diluendæ. Dicite mihi; dominæ iſtæ eo jam pollent intelligendi acumine, que probè cognoscant, non unum duntaxat committi peccatum in modo vivendi ad eò a ſanctimonia Religionis Chriſtianæ remoto: in confeſſione proinde ſe de hoc accuſant, quis dubitet? ſi hoc fiat; poſt peractam confeſſionem

nem

nem refarcient temporis illius inutiliter deperditi jacturam, satisfacient irato Numini multarum precum recitatione, librorum asceticorum lectione, assiduâ Sacrarum, & concionum frequentatione. Non, nec simile quidquam illæ in animum inducent cogitandum, quin potius lusum continuabunt, tempus tam malè, quàm antehac, impendent, nihilominus se jactitabunt, suam pœnitentiam ritè se consummâsse.

Personæ istæ mollitiei ac sensualitati penitus immerse, quæ tamdiu suo corpori litârunt in detrimentum & contemptum suæ animæ, satisfaciëntne aliquando offenso Deo per indictas sibi carnis austeritates, per mortificationes & jejunia? Quid de austeritatibus ingeritis? solum hoc verbum non sine terrore excipiunt, nequidem dimidiam horam suo detrahent somno.

Denique hi avari, ambitiosi, voluptuarii, quando exomologesi instituunt, num simul peccata sua expiant actionibus oppositis, quæ contrarientur eorùm vitiis? Nihil minùs. Ubi ergo sunt pœnitentiæ, quæ sponte assumuntur ad supplendas tot, tantasq; inordinationes? Ubi supplicia ordinata in vindictam tam enormium flagitiorum? O corruptionem morum nostrorum! O laxitatem horrendam à rigoribus primitivæ Ecclesiæ declinantem! Num sic abutamur pœnitentiâ? Quòd si hoc sit, proh Deum immortalem! quot arbores steriles, quot ficus infructuosæ in horto Ecclesiæ, quæ nihil proferunt præterquàm folia & apparentias fallaces pœnitentiæ, expectare debent Divinam maledictionem, per quam exsiccandæ, omni pietatis sensu & succu privandæ, erunt omni virtute, ac veri Christiani notis inanes, quò citiùs per fatales repentiniæ mortis ictus, aut terribiles à Deo immixtas desolationes excindantur! *Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum!* Matth. 21, 19.

Abi

Abi infelix Christiane, à longo jam tempore singulis per annum mensibus confiteris: ubi sunt fructus tuæ pœnitentiæ? ubi sunt tuæ preces, tua jejunia, ubi mortificationes, austeritates tuis offensionibus commensurata?

II.  
Punctum.

Assumo alteram rationem ab utilitate peccatoris petitam, quòd pœnitentia sanare conetur perverfos illius habitus, quibus ad malum abstrahitur, eique bonum quodammodo impossibile redditur.

Oecumenicum Concilium Tridentinum hoc prædicationis meæ objectum pertractans, probat necessitatem satisfactionis quadruplici ratione optimè fundatâ. Primò, quòd pœnitentia, prout jam diximus, debeat esse fructuosa. Secundò, quòd officium ipsius sit, uti etiam ostendimus, reparandi injuriam Deo irrogatam. Tertiò, quòd necessariò sit medicinalis. Quartò, quòd eidem incumbat renovare in nobis imaginem Christi Crucifixi.

Tertiæ rationi insisto, ac dico, Sacramentum Pœnitentiæ non solùm esse tribunal, ubi absolvitur pœnitens cum annexa tamen conditione pœnæ alicujus subeundæ, sed insuper institutum ad medelam infirmis animabus nostris adhibendam, ad tollendas debilitatis & languoris reliquias, quæ remisso quantumvis peccato animæ adhuc inhærent, eamque in periculum gravis relapsûs constituunt.

Unde Concilium Tridentinum duo nobis digna consideratu proponit: primum, quòd in Sacramento Pœnitentiæ dolor qualiscunque, propositum licèt efficax à nobis conceptum perfectæ sanitati nos restituere non possit, seu obtinere integram peccatorum & completam remissionem sine copiosis lachrymis & afflictationibus: *Ad remissionem plenam & integram peccatorum sive magnis nostris flecto*

*fletibus & laboribus pervenire nequaquam possumus.* Quam ob causam Patres communiter Pœnitentiam appellârunt baptismum laboriosum.

Concilium dogmatis sui rationem producit desumptam ex infelicibus ac funestis effectibus post deletam culpam residuis. Quorum sunt duæ species, alii proveniunt ex parte Dei, alii ex parte peccatoris; hisce reliquiis omnino obviandum ad perfectam sanitatem consequendam, quod tamen aliter fieri nequit, quàm per satisfactiones rigidas ac pœnales. Sunt igitur istæ necessariae ad hoc, ut pœnitentia animæ reddatur verè medicinalis.

Peccatorum reliquiae respectu Dei sunt quidam languor & remissio cordis, vi cujus ille nobis eas non communicabit gratias, quas communicasset, si nunquam deliquissemus; ad minus, per rigorosam hanc pœnitentiam nostræ innocentiae jacturam non reparamus, nec ejusdem iram totaliter placamus.

Doctores istud nobis declarant per comparisonem patris aut Regis cujusdam, qui suis quidem ignoscunt, non tamen cum iisdem confestim tam familiariter agunt, ac antea consueverant, sed experimentum capere volunt, quid culpæ reus sit facturus. Hinc David exclamans petit: *Amplius lava me. Quid amplius quæris? pristinum meum decorem quero.* Desidero ô Domine, ut mea pœnitentia ex integro satisfaciatur tuæ justitiæ, sicq; priorum gratiarum copiam denuò in me licet immeritum derivare digneris. *Si pœnitentia finitur, quærit S. Augustinus, quid relinquitur de venia? tam diu enim sustentatur à gratia, quam diu sustentatur à pœnitentia.*

Psal. 50. 46

Idem Sacrum Concilium nos instruit, quòd opera pœnaliter & satisfactiones, de quibus loquimur sint propria

Pp

& effi-

& efficacia ad acquirendam sanitatem remedia, eoquod tollant malignos nostros habitus, peccatori etiam post destructam peccati naturam tanquam infaustæ & funestæ ejus reliquiæ immanentes: *Hæ satisfactoria pœna medentur peccatorum reliquiis & vitiosos habitus tollunt.* Est Concilii aphorismus.

Necessarium proinde censet S. Hieronymus, ut anima agnoscens se carne circumdatam, per læsiones suarum noxarum transfossam, carnem ipsam penitus emortuam, omnino putrefactam, cui ferrum & ustiones debeant applicari pro recuperanda sanitate, constanter suum interpellet medicum, ab illo poscat: ure carnem meam, aperi plagas meas, amaris potionibus intercipe & exsicca omnes malignos humores, qui fons & origo malorum meorum existunt: ego sum, qui inordinate vivendo me læsi, sum ego pariter, qui vivendo medicè læsionem restaurem: *Mei vitii fuit, ut vulnerarer, doloris mei sit, ut postea sanitatem recuperarem; non Deus nostris cruciatibus pascitur, sed delictorum morbos medicamentis contrariis medetur.*

Vult ille, ut, qui se ei subtraxerunt per mundi hujus delicias, ad ipsum redeant per dolorem & amaritudinem carnis; ut qui antea sunt lapsi, seducti operibus illicitis, se denuò erigant abstinendo licitis & legitimis; ut plaga per superbiam inflicta sanetur per vitam humiliatam & abjectam.

Discursus hic est D. Gregorii, qui in quodam loco receptam post peccatum valetudinem ope pœnitentiæ comparat ulceri alicui in veterato; ad quod tria, ut ille observat, pro ejusdem sanitate integrarequiruntur necessaria. Primò, ulcus transfodi & aperiiri debet. Secundò, pus exprimi. Tertio, emplastrum vel unguenta congrua appli-

applicari, opus est, quibus partes læsæ pristinae integritati restituantur. Contritio servit instar lanceolæ, quâ cor peccato inquinatum ac corruptum effodiatur: oris confessione & offensusarum declaratione pus foras emittitur; hoc tamen necdum sufficit, satisfactio enim curæ isti ultimam manum adhibere debet: *Tunc bene sanatum peccatorem cernimus, cum digna afflictionis austeritate delere nititur, quod loquendo constet.*

Quapropter Pacianus eos, qui confitentur, non tamen pro suis peccatis satisfaciunt per pœnas suis infirmitatibus proportionatas, comparat ægrotis symptomata quidem sua medico explicantibus, abnventibus deinde haurire amaritiam medicamenti sibi præscripti: vel etiam iis, qui plagas suas chirurgus detegunt, imò incisionem fieri permittunt, partes affectas ulceri proximas comprimi sustinent, ut nociva materia exinde possit derivari; at nolunt, ut vulnere pulvis inspergatur, emplastrum eidem admoveatur: *Plagas quidem aperiunt ac tumores medicis, sed admoniti, qua apponenda sunt, negligunt, aut qua bibenda fastidiunt.*

Ne imitemur modum hunc curandi à ratione tantoperè adhorrentem, adeoque excœcatum; sustineamus & sumamus remedia, ut obrineamus sanitatem; voluntariè subeamus in præsentis vita dolores pœnitentiæ salutare, ut in cœlesti beatitudine possideamus gaudium plenum, felicitatem æternam. Amen.





## IV. IMPIUS MALE- DICTUS IN FINALI MORTIS SUÆ POE- NITENTIA.

*Vox clamantis in deserto : parate viam Domini.  
Matth. 3. v. 3.*

**C**Ausa fundamentalis ruinæ universalis totius prope humanæ gentis in catachysmo œcumenico à Divina Justitia immisso, fuit, teste S. Basilio Seleuciensi in admirabili illa descriptione, quam desuper composuit; quòd homines occasionem sibi à Deo ad agendam pœnitentiam concessam non aliter impenderint, nisi ad curandam cuticulam, & ut suaviùs profundo vitiorum somno indulgerent: *Ipsam opportunitatem pœnitentia in impietatis patrocinium convertebant.*

Ex quibus verba hæc bene consideranda: *Opportunitatem pœnitentia.* Pœnitentia æquè suum habet tempus, ac res quæcunque aliæ, sive respiciamus bonitatem Dei, quam, manus suas extendere, oportet, ad sublevandum peccatorem; sive intueamur peccatorem, qui auxilium Divinitus sibi submissum acceptare, & gratiæ cooperari debet.

Hodie contrarias impii & peccatoris partes tueri volo, quòd nimirum, si in vitiis obstinatus persistat, ac primùm in ultimo morbo, mortis suæ prodromo pœnitentiam agere quærat, tempus verè pœnitendi aptum non inveniat; &

quòd

quod omnium eorum, qui in malitia radicati, singulis ferè diebus in peccata mortalia labuntur, lapsi diutiùs iis immorantur, in mortis hora sera pœnitentia, quam moribundi non instituunt, sed recipiunt, non sit vera, ideòque inutilis; confessiones item istæ tamdiu protractæ, ferè semper etiam nullæ ac sacrilegæ fiant, ita ut si centum ex illo nefario reproborum grege inter ipsa licèt confessarii brachia expirent non tres sint, qui salutem consequantur.

Si rite probem veritatem hanc ad salutem adeò proficuum, quantumvis de se odiosam & fastidiis plenam, unicum assequor asylum, ubi peccator circumvallatus latet, cujus conversionem prosequor: & demonstratis jam Divinis maledictionibus vitam ipsius comitantibus, si ei modò ostendam, quod nè in morte sperare possit aliquid meliùs præterquam infortunia & miserias; compellam illum obedire voci D. Joannis, ut penitus se applicet ad præparandam viam Domini, & perversam suam vitam per feriam & sinceram conversionem emendandam.

En materiam pro Adventu nostro utilissimam, quis enim scit, an non plurium meorum Auditorum æterna salus à sermone isto dependeat. Peto igitur à vobis per merita Salvatoris, cujus vice & voce vos alloquor, attentionem omnino peculiarem, simulque obtestor, imploreis cum extraordinaria devotione gratias Sancti Spiritus per intercessionem Sacratissimæ Virginis. *Ave.*

Præsens, quam expono hodie, doctrina, pœnitentiam & confessiones ab homine jam moribundo, toto antecedentis vitæ decursu in peccato mortali habituato institutas, concernens, quasque coram Deo invalidas, saluti inutiles pronuntio, apparet tam austera & tædiosa iis, qui vitam suam juxta proprii sui genii placitum, distortam mundanæ

I.  
Punctum.



danæ libertatis amiffim ordinant, ut me illius authorem prodere non aufim, nè in me infurgant, mihi que exprobrent, quòd facillimè homines condemnem. Rroborabo itaque doctrinam autoritate Ecclesiæ loquentis per ora Pontificum, Conciliorum ac celebriorum fuorum Doctorum.

Suppofita hac autoritate, credo, quòd explicatis jam fenfibus feu opinionibus noftræ Matris & eorum, penes quos eft magifterii dignitas in Chriftiana Religione, mihi permiferitis, duabus rationibus convincentibus demonftrare, quòd è cunctis peccatoribus (non autem intelligi velim, loqui de iis, qui ex fragilitate cadunt, mox iterum refurgunt, fed qui in malo inveterati, profundè radicati totum ferè fpatium fuæ vitæ in odio Dei tranfigere non reverentur) vix unius pœnitentia fit legitima, quæ recipiatur à Deo.

Primitiva Ecclefia adeò parum æftimabat ftatum conversionis in hora mortis affumptum, & habebat ejusmodi tardam pœnitentiam tam fufpectam, ut plurium fæculorum fpatio negandam judicaret communionem iis, qui in tali ftatu vitæ defungerentur.

Pro teftibus ad ftabiliendam hanc veritatem produco fummum Pontificem & Concilium. Innocentius I. in reſcripto ad Sanctum Exuperium Tholoſanum Archi-Præfulem dato, confulentem, quid cum illis agendum, qui totum vitæ tempus, impudicitis impliciti, infumentes, fe in mortis articulo reconciliare vellent, declaravit: *Conſuetudo prior tenuit, ut concederetur pœnitentia, ſed communio negaretur.*

Item Primum Concilium Aſelatense ab initio ſæculi quarti celebratum ordinavit contra Donatiſtas, ut fidei defertores, qui in vita ſua de criminibus ſuis pœnitere  
reſponſ-

tenuissent, at primùm in ultima hora vitæ ad S. Communionem adspirarent, non admitterentur: *Placuit, eis non dandam communionem, nisi reconvaluerint, & egerint fructus dignos Pœnitentiæ.*

S. Cyprianus testatur, se exactè hunc morem in Ecclesia sua observâsse, ejusq; rationem subnectit; *Nec dignus est in morte accipere solatium, qui non se cogitavit moriturum.* Ecce, quisnam fuerit Ecclesiæ sensus proximioribus Apostolorum temporibus, quoad doctrinam circa pœnitentiam in mortis angustiis institutam. Sera hæc pœnitentia peracta à moribundis Christianis, quos ipsa per opprobrium vocabat *Clinicos*, Christianos in lecto, apparuit illi in tantum suspecta, ac periculosa, ut iis prolixo tempore sacram conferre recusarit communionem.

Quamvis deinceps majori cum indulgentia respectu peccatorum agendum, sapientissimè decreverit, indulgendo illis in hora mortis viaticum, nihilominus semper tenuit, & ore celebriorum suorum Doctorum promulgari voluit, istam pœnitentiam sibi videri periculosissimam.

In cujus confirmationem quidnam efficacius afferri potest, quàm testimonium S. Augustini sic aliquando suos alloquentis? Ingenuè fateor vobis, fratres mei, quasi coram Deo constitutus, fateor, inquam, timorem, quo corripior. Scio quidem, peccatorem, qui nihil timet, deridere timorem meum, sed ridet in sui duntaxat perniciem & ruinam: *Dico in conspectu Dei timori vestro timorem meum.* Audite ergo, quæ profundè cordibus vestris imprimi velim: Siquis sui, Deiq; oblitus graviter in ejus legem deliquerit, per veram pœnitentiam pro delicto satisfecerit, & recepta Sacramentali absolutione, *bene postquam vixerit, sicut ante vivere debuit, indeq; mortem opte-*

petierit, non dubito, quin ad fruitionem Dei feliciter sit  
admissus: Sed si quispiam gravi infirmitate oppressus deve-  
nit ad extrema, tunc primùm sacris se expiari & provideri  
curat, iisq; receptis diem claudit cum vita; etiamsi mini-  
mè ipsi denegârim, quod expetit, non tamen præsumo,  
talem bene mortuum: *Non vos fallo, non præsumo*; siquidem  
peccatori tam arctis limitibus angustiato *pœnitentiam dare  
possum, securitatem non possum*. Idcirco fratres mei certio-  
rem & securiosam tenete viam, nolite joculari cum negotio  
æternæ salutis vestræ. *Age pœnitentiam, dum sanus es, facil-  
limè potes, Deo grata, tibiq; saluti est, tene certum, dimitte  
incertum*.

Ut meam candidè mentem vobis aperiam, pergît alle-  
gatus Doctor, valde dubito, ne & ipsa infirmi pœnitentia  
infirmitatem contrahat; *pœnitentia, quæ ab infirmo petitur,  
infirma est*; magnopere revereor, ne cum moribundo sit  
mortua ac penitus infructuosa: *quæ à moriente tantum  
petitur, timeo, ne ipsa moriatur*.

Sicut penes voluntatis vestræ stetit arbitrium, monet  
S. Ambrosius in exhortatione de pœnitentia amplecten-  
da, quod vos in peccati reatum induxit, ita penes vos sit,  
quod vos à peccato denuò abducat; quòd si enim vestri  
conversionem in extremitatem vitæ differre volueritis,  
tempore infirmitatis, videtur ea mihi quàm maximè suspe-  
cta; ratio suspicandi est: *Peccata te dimiserunt, non tu illa*.

Protestor coram vobis cum eâ sinceritate, quam qui-  
vis habere tenetur, jam jam ad Deum, animâ in supremis  
labris hærente, perrecturus; ita suos discipulos morti pro-  
ximus allocutus fertur S. Hieronymus, ab Eusebio; prote-  
stor, inquam, coram vobis omnibus in veritate, quòd *vix  
de centum millibus hominum, unus, quorum mala fuit semper  
vita, mereatur à Deo indulgentiam*. Nè

S. Hieron.  
Epist. ad Da-  
malum,

Ne jam spargere præsumatis, primum istius doctrinæ inventorem esse prædicatorem Jesuitam, sed potiùs Ambrosios, Augustinos, Hieronimos, aliòsque primavæ Ecclesiæ Patres arguite, quòd pœnitentiam impiorum mori incipientium reprobàrint tanquam vanum, inane simulacrum, fraudulentam apparentiam pietatis & Religionis.

Nunquid prudentia dicitur, cuius in sua arte credendum; eùmque indigere consilio medicorum, qui non solum remedium compositionem, doses, sed etiam tempus, modum, quo sumenda sunt media, rescire cupit? nam si alieno, non præscripto tempore usurparet, medicina in venenum facillè degenerare, sanitatis loco mortem accelerare posset; pari modo Ecclesia, quæ omnium optinè caller Sacramentorum naturam, sancti item Theodidacti Patres contestantur unanimes, tempus vitæ ultimum iis propitium non esse, qui in peccato diu vixerunt obstinati ad recipienda illa Divina medicamina tunc corpore & animo infirmi recurrunt; & si peccatoribus moribundis ministrantur, magnum subesse periculum, nè citra ullam virtutem & efficaciam ipsis applicentur. Omnis itaque peccator, qui usque ad extremas temporis angustias suam confessionem ac conversionem procrastinat, peccat contra prudentiam in materia propriam salutem maximè concernente, seque conjicit in periculum abutendi sanctitate mysteriorum nostrorum.

Quod si his necdum verbis satis factum, & rescire affectatis, cuius fundamento innitatur Ecclesiæ & SS. Patrum iudicium, respondebo, ipsos niti testimonii manifestis utriusque, antiqui ac novi testamenti.

Q9

Jeremi-

Jerem. 13. 16.

Jeremiam audiamus seriò nos adhortantem: *Date Domino Deo vestro gloriam*, quam ei per peccata vestra subtraxistis, subtractam restituite mediante vera poenitentia tempore congruo, *antequam contenebrescat*, & *antequam offendant pedes vestri ad montes caliginosos*, id est, sequendo interpretationem Origenis & S. Hieronymi, priusquam involvamini tenebris mortem præcedentibus, & pedes vestri offendant ad montes obscuros obitùs & excessus.

Ecclesi. 17. 26.

Num conceptus iste meliùs explicari potest quàm textu illo Ecclesiastici? *Non demoreris in errore impiorum*. Per Deum vos rogo, nè audiatis perniciosas impiorum maximas, qui millenas allegant veritates ad confirmandum unicum mendacium, dum dicunt, misericordiam Dei esse infinitam, Deum nolle mortem peccatoris, ei sufficere unicum suspirium, sola verbi illius unici protestatione: *peccavi*, contentum esse, & confessione paulò ante mortem peractâ propitiari: *similia vos minimè seducant; in partes vade seculi sancti*. Usurpate principia mundi sanctioris id est, congregationis Ecclesiæ. Mature,

Ibidem, v. 25.

v. 26.

tempore congruo, scilicet *ante mortem confitere*: sciatis enim, confessionem semianimis sapius coram Deo examinem, inutilem, rejectam fuisse; *à mortuo quasi nihil perit confessio*. Rectè proinde concludit Spiritus Sanctus. *Confiteberis vivens, vivus & sanus confideberis, laudabis Deum & gloriaberis in miserationibus illius*. Hæc non eò quidem collimant, ut confessio tempore infirmitatis sit tanquam mala prorsus tunc eliminanda: monet tamen hac Divina sua instructione Spiritus Sanctus: tempus istud gravibus peccatoribus non opportunum, & abusum, eoque tempore protelando confessionem, committi.

Ibidem.

An

An non piissimum etiam est monitum optimi nostri Magistri, caventis nobis in Evangelio, simulque jubentis orare. *Nè fiat fuga nostra in hyeme vel sabbatho*, tunc Matt. 24, 20<sup>o</sup> nimirum, cum occasio fugiendi minus accommoda, viæ admodum difficiles, dies breviores sunt? id est, juxta communem interpretum expositionem vult Christus, ne expectemus ultinam vitæ nostræ ætatem, extremam senectutem, nec tempus, quo sibi de quiete prospiciendum, quod est mortis; si à peccato hîc nos abstrahere, iram Dei adhuc effugere volumus. *Orate, ut non fiat fuga vestra in hyeme vel sabbatho.*

Jacto Fundamento tam solido per ipsum lapidem angularem, id est stabilitâ doctrinâ per autoritatem Divinam Christi Jesu, tam Ecclesiæ, quàm sanctorum, æquè facilitè vos convincere possumus per rationem.

Sensus sanus & experientia nos instruunt ad consequendum finem alicujus ex natura sua difficillimi negotii, cui remotam interponunt, idque impedire tentant hostes numerosi & potentes, de quo nullam habemus notitiam vel usum, nec unquam alias fuit pertractatum, necessarium esse studium & præparationem, alioquin successum felicem minimè sperandum esse. Atqui secundum commune sapientum omnium dictamen res est difficilima, bene mori; momentum est, à quo dependent universa, in quo cuncti hostes salutis ex tremas exerunt vires. nosque undique omnibus artibus, & omni possibili violentia aggrediuntur; denique negotium est, nunquam à nobis antehac peractum, siquidem non bina vice mori possumus. Hæc itaque ars artium bene sc. moriendi opus habet prolixo studio, multâ præparatione; consequenter, queunque non horret subire mortem citra

Qq 2

præ-

præviam, seriámque dispositionem, nec aliquem in hanc finem adhibet conatum, justam movet aliis suspicionem, ne infelicitè suo fato occubuerit, timendi.

Pro meliori declaratione præsentis discursûs, observetis cum S. Ambrosio, bestias inter hominésque istam intercedere differentiam, quod priores ducantur ab auctore naturæ, supplente defectum usûs rationis, in suis operationibus, easque uniformiter instituunt cum tali perfectione pro prima, quali pro ultima vice: avis ex. gr. prima statim vice nidum suum perfectè novit construere. Sed homo recepto à Deo rationis usu, vi cujus est scientiæ capax, se per usum & praxin successivè perficit; unde provenit, quòd omnes artes assignatum sibi tempus habeant, quo perdisci queant. Quantumvis præcellentè polleat ingenio & inclinatione ad pingendum v. g. juvenis hic pictor, qui prima in pictoria arte Fundamenta ponit; istamen non nisi telam cum suis coloribus maculabit; si mox ab initio nobile quoddam opus perficere, præsumat.

Quare ergo advertit idem S. Ambrosius, artes humiliores & faciliores studio indigeant & continua praxi, nihilominùs pauci reperiantur, qui earum notitiâ præstantes emineant; vos autem unico pene momento perdiscere velitis artem bene moriendi, quam sancti vix apprehendere se posse metuunt etiam post adhibitum totius vitæ studium? *Egregia res est, mortem condiscere.* O quàm res est magna & ardua, exclamat Seneca, quam rectè discere est ipsum bene mori, cujus scientiam non priùs quam usum capimus. *Semper discendum est, quod an sciamus, experiri non possumus,*

In me

In me, aiebat Romanorum sapientissimus ore cujusdam sophistæ, non aliam agnosco erga vitam obligationem, nisi, quòd suppeditarit mihi media, discendi artem bene moriendi.

Dicitum omninò Christianum. Verum est, quòd, cum præcipua Dei intentio, cum qua nos in hunc mundum introducit, sit, ut ex inde nos deducat, denique ad fruitionem felicitatis æternæ perducatur, unica nostra cura, & continua occupatio esse debeat, adinveniendi medium, quo finem istius itineris felicem sortiamur, unde bona & mala fors pendet æternitatis. Ecce totum & omne Sanctorum negotium moriendi diebus singulis, ut semel bene moriantur, sicut oportet. *Quotidie morimur.* 1. Cor. 15. 31.

Quidnam obsecro, Christus Dominus in suo Evangelio toties nobis inculcat, quàm assiduum hoc studium, continuam ad mortis luctam præparationem? An non omnes id exprimunt admirandæ ipsius parabolæ, loquentes de servis illis incessanti cura vigilias agentibus, ne inopino domini sui adventu præveniantur? *Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum.* Luc. 12. 36.

De Virginibus prudentibus lampades accensas gestantibus, semper in occursum appropinquantis sponsi promptis & paratis? Conclusio omnium harum parollarum consistit in monitorio isto notabili epiphonemate: *Videte, vigilate & orate, nescitis enim, quando tempus sit:* Marc. 13. 33. quia hora est incerta.

Non legimus, quòd Christus unquam docuerit: *disponite vos, quando mors ventura est, sed, estote parati,* Luc. 18. 40. *quia, quâ horâ non putatis, Filius hominis veniet.* Nemo potest esse paratus, qui prius se non præparavit, nec tempus se præparandi coincidit cum tempore, quo jam pa-



ratus aliquis esse debet: in exemplo. Istud non est tempus disponendi ædæs, quæque in suo collocandi statu, indigesta in ordinem redigendi, cum dominus jam pulsavit fores, sibi que aperiri præcepit. Quando autem sit tempus illud, quo Deus nostras pulsat fores, indicat S.

S. Grog. hom.  
13. in Evang.

Gregorius Magnus: *Pulsat Dominus, cum jam per aegritudinis molestias mortem vicinam esse designat.*

Considerate anxietates virginum fatuarum, earum cursus & recursus, obtestationes: *Date nobis de oleo vestro.*

Quamquam illæ non parum essent afflictæ, ac singularem erga sponsum contestatæ affectionem, repulsam nihilominus sunt passæ, & audire coguntur triste illud nuntium: *Nescio vos*, utpote non paratas debito tempore.

Match, 25. 11.

Hoc ipsum pluribus peccatoribus evenit ad mortis januam constitutis. Ah! suspirant illi, quam vehementer doleo, me tali non meliori modo vitam duxisse; O Deus! quibus rebus totam meam impendi vitam, quid cogitavi, quando de morte non cogitavi? deinde confugient ad Sacratissimam Virginem & Sanctos Dei, supplicabunt: *date nobis de oleo vestro.* Petitio quidem bona, sed tero nimium facta.

Neminem quidem judicare velim, non tamen asserere pertimesco, quòd, cum iudicio sapientium, æquè gentilium ac Christianorum, imò etiam auctore Christo, qui est prima veritas, ars moriendi opus habeat multo & magno studio, singulari & insigni dispositione: omnis homo, qui per vitæ suæ decursum ad ejus terminum se non reflexit, qualem cunque superveniente isto conatum ostendat, valde probabiliter in negotio tam arduo exitum infauftum sit sortiturus.

Addite

Addite; si vobis placet, res quasdam tales ex natura esse, ut perfici nequeant sine prævia quadam dispositione, ex. gr. prærequiritur navis conducta, electus peritus navarchus, facta item esse provisio de biscoctis, panibus alióve alimento, antequàm explicentur vela, & navis in mare de jiciatur, alioquin stultè ageret, qui diceret; tempestate ingruente conducemus bonum navis rectorem, consumptis alimentis imminente famis necessitate navigium mittemus ad littus, transverturi provisionem necessariam.

Antequàm castellum aliquis ab hostibus tueri præsumat, locus ipse suis fortalitiis cinctus, armis & alimentis sit copiosè instructus, necesse est; velle hæc omnia prorogare in adventum hostium, cùm hostiles machinæ jam admoveri incipiunt, est certam loci ruinam, sui que confusionem expectare.

Vele inire rationes admodùm graves & oppidò intricatas, unde tamen stabilitas aut destructio integræ alicujus familiæ dependet, priusquàm data & accepta ordinatè in computum sint deducta, idem est ac suæ causæ, suæque salutis adversarium agere.

Jam quæro, quid mors est aliud, nisi juxta Scripturam navigatio plena periculis, angustis limitibus arctatum mare seu fretum, per quod transeundum nobis ad portum felicitatis æternæ in medio tempestatum & turbium procellas concitantium horrendas, quas Divinus nobis Spiritus prælagisse visus? *Cùm irruerit super vos repentina calamitas, & interitus quasi tempestas ingruerit.*

PRCV. I. 27.

Quid est aliud, quàm munimentum, ubi moriturus peccator se videt per arma Justitiæ Dei urgeri, à dæmonibus infestari, tot inimicis, quot peccatis circum-

federi,

Luc. 19. 43.

federi, quæ patravit: *Venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo.*

Luc. 16. 2.

Est redditiõ rationis exactissimæ, quam fieri erit possibile; siquidem respondere nos oportet coram Deo omniscio de omni oculorum nostrorum obtutu, uti etiam de minimo verbo otioso. *Redde rationem villicationis tuæ.*

Deut. 32. 7.  
28. 29.

Cur itaque non dicere ausim, quod minimè aliàs improbabile, aut de quo nullus obstupescere deberet, si denuntiarem, ex centum millibus, qui dicto modo alto mari se crediderint, qui arcis obsidionem sustinere præsumperint, aut rationem redere tentârint sine præmissa dispositione, vix unum fore, qui non esset periturus. Quare nunc videatur ad eò alienum, si Doctõri Maximo D. Hieronymo subscribam sentienti, quòd ex centum millibus in malo radicatis peccatoribus, sine præviis ad mortem subeundam dispositionibus aut cogitationibus, etiamsi in ipso motis articulo conatum quendam adhibere videantur, vix unus sit reperiendus, qui non esset condemnandus? *Gens absque consilio est, & sine prudentia; utinam saperent, & intelligerent, ac novissima providerent.* O generatio peccatorum maledicta, quandònam è veterno evigilabis ut saniora sentias & amplectaris, an tui ultimi finis non ulterius recordaberis? nunquid permissum mihi erit, in meum substituere locum perfectissimam Zelosorum prædicatorum ideam, vocem, inquam, quæ nemini adulari novit, Domini, videlicet, D. Joannem Baptistam:

Isa. 3. 8.

*Genimina viperarum, quis offendit vobis fugere à ventura ira, capitibus vestris jam jam imminente? Vana est & fallax spes, quæ specie longioris vitæ vos lactat & persuadet de die in diem procrastinare conversionem vestram:*  
brachium

brachium Dei vindicis ad vos percutiendos jam est liberatum, securis insensibiliter incidit illarum infructuosarum arborum radicem: ne fiduciam concipiatis in pœnitentia sub mortis hora primum instituenda, sed nunc in præsentia. *facite fructus dignos pœnitentia.* Antequam Dominus ipse adveniat, seque vobis coram exhibeat, præparate vias eius per mutationem morum & reformationem vitæ vestræ: *parate viam Domini:* ad cœlum erigite corda vestra, dum tempus habetis, corrigite perversos habitus vestros & inordinatos passionum motus componite: *rectas facite semitas ejus.*

Ibidem. v. 4.

Ibidem. v. 4.

Illis, qui ad imitationem impii reuertentur obedire voci Præcursoris D. Joannis, suamque pœnitentiam in mortis horam relegabunt, nil proderit, quodcumque egerint. Idem iterum repetô, quodque secunda ratione, priore magis fortiori & convincente, probare contendo.

Ad obtinendam veram in quocunque statu sive sanitate, sive infirmitate, tempore vitæ seu in articulo mortis, conversionem, necessaria est gratia ex parte Dei, & cooperatio ex parte hominis. Pro conversione verò extraordinaria, qualis est hominis in malo obdurati, per profundas & robustas habitum fibras in malitia radicati, requiritur gratia extraordinaria, itémque cooperatio extraordinaria.

III.  
Punctum.

De via autem & modo communi loquendo, nec ad miracula recurrendo, non est ulla assecuratio, quod peccator moribundus sit præditus gratiâ extraordinariâ, nec, quod sit capax cooperationis extraordinariæ. Ergo credere fas est, quod peccator horam mortis expectans non instituat legitimam sui conversionem. Ipsi videtis necessitatem consequentiæ. Vis nobis argumenti istius de-

R r

pendet

pendet ex duplici veritate, quòd certum non sit, obstinatum ejusmodi peccatorem recipere gratiam extraordinariam, nec apparentia subfit, eundem capace[m] pro tunc existere cooperationis extraordinariæ.

Quoad primum membrum; certitudo ibi haberi nequit, nisi à Deo ei promissum fuerit, quòd extraordinariam sit illi laturus operam & assistentiam; atqui nihil de hac in tota Scriptura Sacra invenietur, nec credibile censetur, quòd per excessum suæ misericordiæ sit concessurus gratias extraordinarias morituro peccatori, qui ordinarias durante vitæ suæ decursu contempfit.

Dixerit non nemo, promississe Deum per Ezechielem: *In quacunq[ue] hora ingemuerit peccator, salvus erit.* Huic objectioni suppliciter respondeo: primo, istum textum in scriptura non exprimi, non haberi in nostra vulgari editione, non in originali Hebræo, non in Versione Septuaginta, nec in paraphrasi Chaldaica, neque in ulla versione, seu veteri seu nova.

Secundò, si ibi deprehendatur, intelligendum esse, toties, quoties ingemuerit, quò oportet modo. Opus proinde adhuc est gratiâ singulari, ut homo, qui alias in malitia sua gloriam quæsit, seriam ex toto corde penitentiam operetur: talem verò gratiam Deus nullib[us] promississe legitur.

E contrario tota Scriptura Sacra referta est comminationibus & derisionibus Divinis, quæ peccatorem in hora mortis terrebunt: *In interitu vestro ridebo vos, sper-*  
 Prov. I. 26. *nam eos, qui me spreverunt, & subsannabo vos, invocabunt*  
 Ibidem. v. 28. *me & non exaudiam; imò insultabit eorum miseriis non*  
 Deut. 32. v. *sine amaro sarcasmo: Ubi sunt dii eorum, in quibus habe-*  
 37. 38. *bant fiduciam? surgant & opitulentur vobis, Spes ergo*  
 pecca-

peccatorum, quam habent ad obtinendam à Deo finalem gratiam, unicâ & nudâ sui accusatione: *peccavi*, est pessimè fundata.

S. Bernardus admirabilem super præsentî materia proponit discursum, qui eò plus habet roboris, quòd innitatur dictis S. Pauli.

In termino vitæ plerunq̃ reperire non possumus, nisi id, quod per decursum vitæ collegimus; qui pauper vivit, moritur pauper: itaque peccator, qui vitæ suæ spatium consumpsit in odio Dei, ac rejecit Divina lumina & gratias, cumulavit infelicem sibi thesaurum Divinæ vindictæ: *Secundum duritiam tuam & impenitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ*, qui est dies mortis. Quid ergo tunc inveniet nisi gratiarum & auxiliorum efficacium loco derelictionem Dei, tenebras & desperationes extremas?

Vos autem animæ fideles quæ vivitis in timore Dei, & ex gratiis ab ipso oblati profectum capitis: in hora mortis securè sub protectione illius verè paternâ stabitis; tunc omnes illi scrupuli & inquietudines, timores seu anxietates, quibus modò velut aurum in igne a Deo purgamini, & quasi fræno in officio vestro coërcemini, evanescent, & ultima hæc hora erit hora luminis, dulcoris & lætitiæ. Nè metuatis mortis adventum vobis Dei nomine polliceor, securitatem verbis ipsius, per Ecclesiasticum prolatis, præsto, quòd bene sit vobis futurum, auxilia & gratias abundanter vobis de cælo submissum iri: *Timentis Dominum bene erit in extremis*. At in peccatorum Deo semper refractarium, in flagitiis suis totius vitæ decursu obduratorum rigidum se ostendet iratum Numen in extremis: *Cor durum habebit malè in novissimo*.

R r 2

T u

Tu infelix, minatur S. Bernardus, inuenies istam Divinæ miserationis venam tibi penitus exsiccatam, quia ipsemet illam exhaustisti per continuum gratiarum abusum; *Evacuasti in te misericordiam.* Fructum operationum tuarum commedes, *mete, quot seminasti.* Tu in alium finem non laborasti, quàm ut ad iram provocares Deum, non seminasti nisi maledictionum opera: quomodo aliud sperare audes præter quàm maledictiones, fructus vindictæ Divinæ gratiarum peculiarium loco? *Mete quod seminasti.*

Sed quid, si in Prophetam quendam incidere contingeret, qui Dei nomine peccatori extraordinariam promitteret gratiam? promissum, inquam, hoc non sufficeret, nisi certitudinem simul adjiceret, quod ille sit cooperaturus gratiæ oblatæ. Postquàm is centies millies ipsam spreuit durante tempore suæ vitæ, facillè eandem pariter aspernabitur in vitæ suæ termino.

Deinde, eritne talis pro tunc in statu faciendi id quod exigit ista gratia? qualemcunque in se experitur motum, quamcunque instituat confessionem, recipiat communionem & extremam insuper unctionem, fundat licèt, quasvis preces præviè ante mortem, nisi ex toto corde suo ad Deum converterit, non desinit mori in peccato suo.

Porro ad cooperationem gratiæ, veramque sui ex cordis fundo prodeuntem conversionem, quatuor ei sunt necessaria, quæ valde ardua videntur in hoc statu, ubi ille versatur. Primò requiritur, ut simul & semel concipiat odium erga id omne, quod amavit, amorem habeat erga id omne, quod odit aut contempsit. Secundò, ut promittat, sed corde sincero non ficto, quòd velit fugere *finitati*

tati restitutus universa totaliter viua, quibus antehac in vitæ suæ cursu tam tenaciter effixus inhæsit. Tertio necesse est, ut integrè in confessione exprimat omnia sua peccata lethifera; quòd si adverteret defectum dispositionis præviæ, aut doloris, aut ob nimiam in peccata inclinationem verum se emendandi propositum defuisse in præcedentibus suis confessionibus, oporteret easdem repetere, & ingentem illum præteritorum delictorum numerum in memoriam revocare. Quarto, ut satis faciat, restituendo quod accepit alienum, reparando, injuriam, famæ vel honori sui proximi illatam, si est possibile.

Jam peto, ex gravioribus peccatoribus quotus quisque sit, qui hæc omnia ritè præstet, & præstiterit? Imo potius quero, quis ea moraliter præstare possit? Animus absorptus, exteritus malis imminentibus, ægritudine dejectus, doloribus excruciatum num capax erit eliciendi omnes istos heroicis actus, seque iis tam fortiter alligandi?

Ab experientia discimus quotidiana, animam nostram in tantum dependere ab organis corporeis, ut & ipsa infirmari & debilitari videatur cum corpore, nec quidquam operari posse citra extremam difficultatem. Vix quandoque vires suppetunt ad pronuntiandam vel unicam Orationem Dominicam, & agrè sustinemus audire duntaxat de Deo nobis loquentes. Quomodo jam potestis exigere, ut homo corpore & animo fractus confessionem generalem à 20 annis sibi necessariam instituat, siquidem à totidem annis vitam suam non correxit, peccatum suum non deseruit? Estne possibile, ut omnes circumstantias peccati debitas exponat, aded sibi sit præsens, ut media adinveniat omnibus, quoscunque injustè læsit,



satis faciendi? Certè fieri nequit, hominem exhaustum viribus, mente turbatum, exagitatam ab iis, qui coram illo sæculi negotia tractant, posse dictis obligationibus satis facere.

Credite mihi, dictum est cujusdam Sancti Patris, peccatorem in mortis angustiis conclusum, omnino se habere belluarum instar in venatorum retia incidentium; etiam si istæ se commoveant, semet feriendo defatigent, nil nisi risum in venatore causant, sic peccator mortis laqueis constrictus, lachrymas fundit, edit suspiria, seque affligit, etiam de quibusdam se accusat culpis, plures exprimere non amplius valet, suum malum accumulatur; jam quieti paululum indulgere permittitur, mox proflus impotens efficitur.

Quis inde fructus, quò hæc omnia tendunt? ad risum diabolo effusum procurandum, videnti prædam interceptam, laqueis minimè se extricaturam: *Cadant in retiaculo ejus peccatores.*

Imò si faciat, quidquid potest, nõnne Deus contentus erit? Omnino, infamis hic nil boni durante totius vite spatio operari nequit, & hæc impotentia sufficiens apud Deum excusatio erit? Aliena bona involavit, quæ non restituit; inimicitias fovit immortales, necdum se reconciliari petit; nescit ipse, quid dicat juxta propriam suam confessionem dum confitetur; & Deus contentus erit?

Quis dixit, vel unde scitis, quod faciat ille omnia, quæ potest? An non credam facilius, quòd, sicut sibi delicatus iste blandiebatur vivens, ita pariter blandiatur adhuc moriens?

Præter

157 II Præter hæc, cur semper malè & voluntariè vivendo se in eum coniecit statum, in quo non possit bene mori, ut advertit S. Basilius: *Per malum suum nolle perdidit suum bonum posse.*

Si Deus mihi revelaret, crastinâ me omnem amissuram memoriæ facultatem, ideoque moneri juberet, ut hodie animum sacra exomologesi expiarem; quam si nihilominus in crastinam differrem, eoquod confidendi obligationem non agnoscam, nisi id, quod memoriæ occurreret, nonne ipse culpæ arguendus essem? Clericus qui suum breviarium in flammâ conjiceret, nè quotidie recitare deberet, num non semper reprehensibilis foret? Cur peccator iste Deum non requisivit, quando eum inventiendi copiam habuit? quare non confessus est, cum integrè licuit? Deus ipsi revelavit per Prophetarum oracula, per Ecclesiæ doctrinam, tempus infirmitatis & necis non esse aptum ad veram sui conversionem, nihilominus hoc tempus sponte elegit: impotentia illius proinde omnem culpâ vacare possit?

334 Credam adhuc, quod si in tali extremitate positus reperiret confessarium doctum & pium, multum tunc adjutum iri in evolvenda sua conscientia, & ponendis actibus necessariis; sed permittet Deus, ut incidat in rudem negligentem confessarium. Fortassis ipsius consanguinei falso amicitia & timoris motivo, nè ægrotum in majorem animi consternationem inducant, persuasi, confessarium advocare negligent; quando is integris sensibus & ratione pollet; aut, quod majorem saperet crudelitatem, in ea erunt apprehensione, ne æger ad bona malè parva restituenda inducatur, seu ad redimenda elemosynis sua delicta obligetur, cubile bene clausum observabunt, omnem

nem

nem posituri remoram, quò minus salubres consiliiarii vel confessarii accessum lucrari queant.

Tandem ipsimet non negabitis, quòd peccator in ægritudine vel morte constitutus eisdem reueat habitus, quibus sanus præditus fuit: ideòque homo avaritiæ deditus deliciis immerfus, ambitione elatus, & qui non alias in mente tenet imagines, nec alias involuntate inclinationes præter eas, quæ ab antiquis illis passionibus sunt relictæ, moriturus non habet habitus amoris Dei, spei bonorum cœlestium, timoris pœnarum æternarum. Qua ratione itaque iudicatis, fieri posse, ut actus eliciat iste tam contrarios sibi, quos in praxin nunquam deduxit, actus sc. fidei, spei & Charitatis? novit quidem, quid sint, iis tamen minimè est assuetus. Si cordis ipsius fundum liceret vobis intueri, cerneretis talem adhuc esse, qualis ante fuit in vita, moritur avarus, ambitiosus, voluptuarius.

En paradigma stupendum Scriptura nobis suppeditat. Abimelech homo erat totus inebriatus mero gloriæ mundanæ, ac ullus alius unquam fuit: animosè is perfracto urbis cujusdam muro appropinquat, vi locum obsessum expugnaturus: eodem tempore fœmina quædam fragmen saxi in caput dejicit istius heròis, quo eum lethali vulnere cruentat. Cùm hic meritò ad Deum recurrere, ultima vitæ suæ instantia meditationi æternitatis deberet consecrare, nil moriturus somniabat aliud quàm sanus, gloriæ sc. humanæ vanitatem: cur, ait ille, posteritas Abimelecho exprobrare ausit vel possit, quòd imbellis fœminæ manu fuerit interemptus? O! tanta contumelia meum tot laureis coronatum caput non infamet. Confestim armigerum suum adesse jubet, cui imperat: *Evagina gladium & percutite me.*

Judic. 9. 34.

Ah! in-

Ah! infelix, exclamat D. Chrysoſtomus, cur extremum tamque pretioſum vitæ tuæ momentum tam fatuis curis, conceptibus impertinentibus conſumis? *Jam jam moriturus hæc cogitas? miſer extremam horam ineptiis conſumis?* Num in mortis puncto, non de alio cogitare lubet, quàm de honoris ſubitò evaneſcentis puncto, & punctum ſalutis aternæ, ut inane ſomnium negligis? & *in puncto mortis punctum honoris cogitas?*

Fervebat infanus ambitione, talis moritur, qualis vixit. Aſpiciſſe in furorem & rabiem actum Theophilum Græcorum Imperatorem, qui diem ſibi fatalem clauſit, manibus ſuis propemodum emortuis verſando caput recenti perfulum cruore pauperis Theophobi hostis ſui, quem decollari juſſit. Loco reconciliationis incundæ cum Deo, agere capit de vindicta. Audite preces, quas in agone fudit: ego non ampliùs quidem Theophilus ero, ſed nec Theophobus ulterius Theophobus erit: in quo vixit, pariter extinctus eſt odio.

Miraculum eſſet, obſervat S. Bernardus ſi arbor ſemper in occalum proclivis rueret verſus ortum. *Rami noſtri opera noſtra, habitus noſtri, itémque conſuetudines ſunt rami noſtri penitus ad peccatum inclinati: ſi ergo perverſos iſtos habitus non corrigamus, certò cademus, & peribimus in peccatis: In peccatis veſtris moriemini.* Joan. 8. 21.

Evidenter igitur demoſtravi autoritate Chriſti, Eccleſiæ, & Sanctorum, rationibus item ſatis efficaciſſimis, quòd, niſi tempeſtivè ſtudeamus arti bene moriendi, elicitis quibuſcumque in mortis articulo actibus, infelici ſimus fato defuncturi. Oſtendi, nullam ſubefſe certitudinem, nec ullam ſalutis apparentiam iſis aſſurgere peccatoribus, qui in extremam mortis horam ſuam differunt con-

versionem. Ah! Vivè Deus, in novissimo Judicii die contra omnes istos in malo obduratos peccatores huius mei Sermoni assistentes insurgam, propugnaturus coram summo tribunali, me eosdem veritatis istius tam necessariæ omnino convicisse.

Quid est, quodnam huic tam claro discursui possint opponere? quòd sequeretur, plures Catholicorum condemnandos; quod ultro concedimus & è cathedra sæpius jam promulgavimus. Sed Deus nos non misit in hunc mundum ad nos damnandos: & istud verissimum est; credimus enim ut fidei articulum, quòd omnes velit fieri salvos, dummodò etiam ipsi velimus. Intuitu copiosæ redemptionis sui Filii nos quidem abstraxit de perditionis massa, & sedulo cooperari nos oportet oblatis ab ipso gratiis. Sanguis iste tam liberaliter ex hac Cruce promans clamat non vindictam, sed salutem nostram, quam ardentè sicit Numen; omnes Crucifixi plagæ sunt totidem ora, quibus idem alta voce intonat. Sed necessaria est applicatio meritorum sanguinis & mortis istius per veram quandam Pœnitentiam faciendâ. Ideo, fratres mei, pro avertendâ damnatione vestra ordinavit Deus, ut nunc tanti momenti veritas ista exponeretur, ac vobis largitur media & gratias ad conversionem vestram necessarias. Utique vos in hoc mundo non posuit cum intentione vos damnandi, sed nec eo fine in mundum misit, ut impudici, vindicativi, vagæ Religionis sectarii sitis. Mutate vitam opportunâ, quâ fruimini, horâ, agite pœnitentiam, quando oportet; & recipiet Deus hanc vestram pœnitentiam, quam remunerabit gloria æterna, Amen.

IMPI-

IMPIUS MALE-  
DICTUS IN SUA  
MORTE.

*Vae vobis viri impii, qui dereliquistis legem Do-  
mini .... si mortuis fueritis, in maledictione  
erit pars vestra. Eccli. 41. v. 11. 12.*

**N**em Tragædiæ attendere nos jubet D. Chry-  
sostomus, si judicare velimus, num Rex iste,  
qui tam splendido & magnifico apparatu supra  
theatrum se sistit, sit è numero felicium futurus; liqui-  
dem contigit non rarò, ut, qui in scenis prioribus in trium-  
phali curru eminebat sublimis, laureis devinctus, inter  
lætas victoriarum acclamationes apparebat gloriosus, in  
ultimo demum actu inglorius sine corona & sceptro, sine  
regiis insignibus, omni majestate exutus, è contra ferro,  
carenis onustus manibus carnificis ignominiosè in victi-  
mam immolandus, fuerit consignatus. Antequam,  
innuit hic S. Pater in favorem prosperitatis peccatoris  
pronuntiemus, prius considerandam qualiratem mortis  
adventuræ; ut cognoscamus veram aut falsam ejusdem  
felicitatem, expectandus extremus vitæ terminus, mor-  
tis hora.

Etiam si impium non produxissem, eumque probaf-  
sem à Deo maledictum in suis bonis. in suo honore, in  
suis liberis, in sua prosperitate & adversitate: quamvis  
non ostendissem, intellectum ipsius excecaturum, & vo-

luntatem perversam, quòd gemat sub dira suarum passionum tyrannide, in maligna sua conscientia vivam circumferat inferni imaginem; quòd maledictus in sua fide, maledictus in sua spe & in sua pœnitentia: sufficeret ad cognoscendam infaustam illius fortem, demonstrasse, mortem ejus pessimam, cum Divino Spiritu denuntiassent imminentem eidem in morte Divinam maledictionem.

Eccli. 41. v. *Va vobis viri impii . . . si mortui fueritis, in maledictione*  
11. 12. *erit pars vestra.*

Vidi, testatur Jeremias Propheta Deum iratum sub horrendo schemate: *Ecce turbo Domini furor egrediens, procella ruens in capite impiorum conquiescet.* Eodem tempore, idem addit, audivi vocem Dei docentis horam, quâ prædictæ minæ sint ipso opere ad implendæ: *In novissimo dierum intelligeris ea.*

**DIVISIO.** Si bene perpendamus turbinem istum, peccatorem mortis in angustiis positum involventem, inveniemus eum è duplici infortunio combinatum, quod mortem ipsius miseriam reddit. Dei judicio: *Mors peccatorum pessima.* Primum est, adventus repentinæ mortis, quæ illos perturbat ac confundit. Alterum infortunium est tristitia, horror quidam, quo frequenter in desperationis barathrum præcipientes aguntur. En binas sermonis hujus partes. Imploremus gratiam S. Spiritûs, ut eò melius perspiciamus, simulque evitemus istud malum. *Ave Maria.*

**I.** Revocate, quæso in memoriam vestram, quod pro  
Punctum, Fundamento deserviat præsentis discursui, horribiles videlicet comminationes, quas toties Deus in Scriptura peccatoribus intentat, eos feriendo repentina morte,  
Job, 34. 20. *subito morientur, & in media nocte turbabuntur populi, & periran-*

*pertransibunt*: ait Job, de tempore nimirum in æternita- Job, 21. 23.  
rem. Dormiunt illi, ut idem advertit suaviter in sinu fal-  
lacis prosperitatis, *ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad*  
*inferna descendunt*, è lecto ad lethum, è mensa ad sepulc-  
rum, è delitiis ad cruciatus æternos. Improvisò item  
notat Zacharias, apparebit & *Dominus Deus super eos vide-* Zachar. 9. 14.  
*bitur*, manu sua vibrabit hastam eà velocitate, quâ fulmen  
nubibus excutitur: *Exibit ut fulgur jaculum ejus*. Ta-  
lem quoque suum fore, adventum prædixit Christus  
fulguris instar in instanti procedentis ab oriente ad  
occasum.

Quæ frequentius in Evangelio nobis inculcantur,  
quàm malignorum fervorum inopinato dominorum suo-  
rum adventu oppressorum exempla? quàm fatuarum vir-  
ginum, quæ, non præviè accensis lampadibus, altùm in-  
dormientes turpiter sponsi convivio sunt exclusæ? Ve-  
rissimum omnino est, quòd in incertitudine casum mortis  
nostræ sit certitudo aliqua. Nescio, quandònam vos  
moriemini, sed bene novi, quòd si moriamini in peccato,  
subitò vos morituros: *subitò morientur*. Nec scio, quo  
mortis genere vita vestra sit finienda; me tamen minimè  
latet, si fueritis negligentes & frigidi in servitio Divino  
finem vitæ præ foribus futurum, cum de eo minimè co-  
gitatis, *Qua hora non putatis, filius hominis veniet*.

Luc. 12. 40.

Mors ista subitanea oritur ex duplici capite. Primò ex  
eo, quòd peccatores per tam prolixam criminum summè  
enormium continuationem provocârunt odium ec furo-  
rem Dei contra seipsos. Percutit eos, indicat Scriptura  
non qualicumque sed hostili ictu: *plaga inimici percussit te*. Jerem. 30. 14.  
Deus hic, cujus spreverunt bonitatem, *excitatus est tan-* Psal. 77. 65.  
*quam dormiens*, è somno admodùm profundo, quo liga-



tum continebat ipsius patientia, *tanquam potens crapulatus à vino, & percussit inimicos suos in posteriora*, quæ ei obvertere audebant, notat Palmista Regius; à tergo illos aggreditur, quò minùs prævideri vel evitari queat ictus, morte sc. præviè non cogitatâ.

Comparatio communis est, quam tamen magni æstimo utpote desumptam è Sacræ Scripturæ promptuario. Notabilis est differentia inter modum colligendi messem, & eum, quo milites agros devastare solent. Idem adhibet discrimen Deus erga electos & erga reprobos. De bonis commentatur Job: *Ingredieris in abundantia sepulchrum, sicut infertur aceruus tritici in tempore suo*. Longè aliter procedi solet in impios, improvise opprimuntur illi: *Non pascam vos, quod moritur, moriatur, & quod succiditur succidatur*, minatur Deus ore Zachariæ.

Secunda ratio subitanæ istius oppressionis desumitur ex parte peccatorum mortem nunquam præ oculis habentium: *Non est respectus morti eorum*. Hinc mirum non est, semper ipsis imprævisam accidere.

Job. 5. 26.  
Zach. 11. 9.  
Psal. 74. 4.

Roborata jam Christiana hac veritate, assero, magnam esse miseriam peccatoribus in malo obstinatis, morte subitanea corripi, ob duas rationes: primò, quia insperata hæc invasio in tantum eos conturbat, ut facultatibus suis prorsus stupefactis uti nequeat, & omnis aliquando ipsis notitia interclutatur. Secundò, etsi aliqua relinquatur, adeo tamen turbatur ista cognitio, ut ad aliud non deserviat, quam ad miserabiles illos constituendos.

Tempestas etsi semper ait importuna, nunquam tamen magis metuenda, quam si omnem navarchi providentiam præcurando in momento cælum, terramque inquietat, ventus inexpectatus unico ictu malum proster-

nit,

nit, vela lacerat, funes rumpit; ubi inopinati fluctus impetu remon rectoris manibus eripitur: an non clarè videris merissimam in navi miserorum horum remigum confusionem ac confusam deordinationem, hortantur in se quidem mutuo, ad nil proficiunt, potiùs se impediunt, ubique impingunt: nauclerus suum curat officium, præcipit, præcepta nemo exequitur. Proh! quid mali eos adeò infestat? tempestatis non prævisæ irruptio,

Quodnam animos nostros tantis terroribus complet, quàm incendium in medio tenebrôsæ noctis exortum? È profundo somno detrepente experrectus vides lucentibus flammis proximum parietem depasci, grassari ulteriùs lectum tuum jam jam obsidere: è lecto confestim te proripis, totus turbatus, nec portam, nec fenestram, quibus evadas, invenire potes, in propria tua domo tibi effodis sepulchrum; quòcunque incedas, interitum præsentem incurris.

Placétne adhuc aliam confusionis & turbarum spectare tragœdiam? Imaginamini captum ab hostibus oppidum tempore, quo incolæ profundo sepulti somno nocturnis cadentium & cæsorum clamoribus excitantur, quando audire & videre coguntur hostem jam intra pomeriî ambitum sævientem, cujus necdum propriorem adventum suspicabantur.

Quò hæc omnia collimant nisi ad exprimendam mortis reptoborum imaginem? Tempestas est, Salomone attestante in proverbiiis & quidem subitanea: *Eùm irru- Prov. 1. 27.*  
*erit (super vos) repentina calamitas, & interitus quasi tempestas ingruerit.* Homicidium est clancularium, ut eam describere videtur S. Paulus: *ipsi enim diùgenter scitis, I. Thef. 5. 2.*  
*quia dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet.* Tunc, cum  
sibi

fibi persuadebunt, dulci se frui pace, nihil apparere finitri, versari se in optimo juventutis suæ vigore, sanitatem nunquam fuisse in majori robore, nec in meliori complexione: *Cum dixerint. pax & securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus. . & non effugient.* Quando vanam & insanam concipient fiduciam, Deus, quem sibi reddiderunt adversarium, subito illos aggredietur, morte inopinâ damnabit.

Mors peccatorum juxta Ezechielis vaticinium est  
 Ezech. 38. 11. de prædatione interceptæ: *Veniam ad quiescentes, habitantesque securè.* S. Joannes in Apocalypsi ipsam nominat assassinium, latrocinium ex insidiis commissum:  
 Apoc. 3. 3. *Veniam ad te tanquam fur, & nescis, qua hora veniam ad te.* Jam cum Philone Hebræo affirmo: *Casus subitanei hebetant mentem,* cogitationes perturbant, rationis usum intercludunt: & consequenter, cum peccatorum mors in Scriptura S. exprimat per similitudines repentinæ tempestatis, insperatæ occupationis obsessæ urbis occultæ cædis, hanc eos sanè quàm maximè perturbare, rationem eorum confundere, necesse est. O Deus! qua ratione anima adeò turbata, angustata, à se penitus abalienata habere possit tantam animi libertatem, ut suam conscientiam disponat, salutis suæ negotia in certum ordinem redigat, de quibus antea per vitæ suæ decursum cogitare non libuit? voluntas ad peccatum odio & detestatione prosequendum moveri nequit, nisi intellectus illi proponat horrorem, difformitatem vitæ; intellectus verò est confusus & impeditus ob accidentarios casus subitanè immixtos, quò minus debite applicari, suoque munere fungi queat. *Illuc rapitur tota intentio mentis, ubi tota est vis doloris,* observat S. Augustinus.

Experi-

Experientia nos docet peccatores in dictis angustiis positos non aliud animo agitare, quàm malum, quod premit ipsos in corpore. Aliquoties curiositate permotus quæsi ex hominibus ab aquæ fundo retractis, cui submersi hærebant, quid pro tunc cogitarent, num se Deo commendarent, num illud, *peccavi*, pronuntiarent: è pluribus accepi, se in ejuscemodi statu nec Deum cogitasse, nec se de peccato accusasse, magnitudine mali impendentis præoccupatos, & anxiam curam inveniendi medium, quo in securitatem salvi emergant.

Pœna est ordinaria, animadvertit D. Augustinus, quam Deus peccatoribus infligit, ut qui Dei in vita recordari noluerunt, in vitæ termino ejus recordari non possint; *Hac animadversione percutitur impius, ut moriens obliviscatur sui, qui dum viveret, oblitus est Dei.* Accedit, quòd accidentia quandòque sint adeò repentina, ut ne cogitationem quidem formandi ullam, indulgeant tempus: ictus u. g. pugionis cor perterebrantis, globus sclopeti per cerebrum trajectus.

Quot novimus homines, qui se de viridi juventutis suæ flore jactabant, ideòque omnem curandæ suæ conscientie anxietatem deponentes insperatò apoplexiâ tacti fuerunt, quæ simul & semel omnis loquelæ & rationis usum prorsus ademit?

Impius iste, cujus nomini parco, vesperi quopiam ad mensam considens cum suis sociis & combibonibus, postquam rebus etiam Divinis illudere non reveritus, famam, honorem proximi involare, plures Fescenninos jocos discursibus immiscere ausus, totus repente in vultu immutari, pallorem induere, mox ruborem, aliòque colores assumere cepit: oculi in capite notari, insuetæ con-

T e

vulsio-

vaſiones horridam oris faciem repræſentare: demum de  
 menta in terram procumbit, catarrho propemodum ſuf-  
 focatus; tota familia in ſtuporem rapitur, domus confu-  
 ſione impletur, mulier desperat, parvuli inclamant, ſervi  
 currunt, aliqui ſacerdotem, alii medicum advocaturi.  
 Ambo eodem tempore conveniunt; medicus accedit, in  
 pulſu criſin morbi exploraturus; ut ſymptomatum vehe-  
 mentiam advertit, mox ſe retrahit, ægrum morti devotum  
 denuntiat. Curio agi jam de æterna ſalute moribundi  
 conſpicatus, lectulo decumbentis inclinatus alta voce in-  
 gemant: memento Dei, Domine memento Dei. Sed  
 heu! ſerò nimis, debuiſſet enim meminiffe, cum ſe me-  
 lius habuiſſet. Manus junge mi Domine, inclamat pres-  
 byter, oculos aperi, aut aliud mihi ſignum præbeas; an  
 non petis à me tuorum delictorum vinculis exſolvi? uni-  
 cum profer verbulum. Elicias actum fidei & contritio-  
 nis, petecorde ſaltem à Deo peccatorum veniam: mortuo  
 loqueris. Tempus adhuc ſuppetit pro exercendo actu  
 fidei & amoris Dei. An novit hic, quid iſti actus ſint?  
 eſi intelligeret, neſciret tamen quomodo eos uſurpare,  
 oporteret. Sacerdos denique, cum nullum verbum, nec  
 geſtum, neque ullum aliud ſignum poſſe exprimi ſpera-  
 ret, accipit breviarium, flexis genibus ſolitas animæ re-  
 commendationes recitare cepit.

Huc jam animam, aures, oculos advertite; intelli-  
 getis, ſingula verba in ſacris illis precibus contenta toti-  
 dem ſubminiſtrare argumenta, quibus confundatur, &  
 condemnetur impius jam moriturus. *Proſciſcere anima  
 Chriſtiana in nomine Patris, qui creavit te, in nomine Filii,  
 qui redemit te, in nomine S. Spiritus, qui te ſanctificavit.  
 Anima Chriſtiana; quid loqueris? Ubi ergo ſunt nota  
 Chriſti-*

Christianæ Religionis? An non baptismalem characterem infamavit, iuramenta in ingressu Ecclesiæ solenni formâ deposita, Deoque facta millies sacrilegè violavit? Nónne decurrentis vitæ spatio obedivit Sathanæ, acquievit passionibus carnis, mundi idolo - Iatra factus? *Anima Christiana*, quæ Turcarum ritibus vixit, loquebatur Atheorum more, mysteriis Divinis illusit, Deum non aliâ nisi linguâ professus blasphemâ, nesciit doctrinas Evangelicas in alium finem, quàm ut contemneret.

*Annima Christiana*, quid dicis? ah longè felicior hic foret, si habuisset animam Saraceni, Mauri, imò bestix. Num vis, ut jam exeat in nomine Creatoris, quem sprevit, Redemptoris, quem Crucifixit, Spiritûs Sancti quem contristari non destitit? visne ipsam emigrare, sed quò deveniet: Conspicatur illa supra caput Deum tonantem, & fulminibus terrentem, infra infernum diductis latè faucibus avidè prædæ inhiantem, circa lectum undique dæmones insidiantes. *Respice Domine super hunc famulum tuum remissionem omnium peccatorum suorum tota cordis confessione poscentem.* Sic prosequitur cæptas preces facer mystes. Ah! nónne scitur contrarium? Num latere possunt tenaces peccati laquei, quibus miser iste constrictus, perversi habitus in quibus ferme computruit? A pluribus jam annis constat, quòd nunquam, nisi propter salvandam externam apparentiam, aut mundanos oculos decipiendos, sit confessus, absque hoc, quòd alienum restituerit unquam, aut se cum inimico reconciliârit, vel aliud signum veræ conversionis exhibuerit. Erat iste ex ea hominum colluvie, qui sibi blandiuntur ob spem, in hora mortis nuda Confessione: *peccavi, se salvandos.* In-  
terea tamen moritur hic per modum bestix sine cogni-

tione & sine ullo iudicio. Quæ ergo præsumptio subest, acceptandum illum à Deo pro vero pœnitente? *Miserere gemituum & lachrymarum ejus*, suscipe ipsius pœnitentiam: quam pœnitentiam? hanc impius nunquam egit, homo erat lepidi humoris, mensæ socius, inimicus Crucis qui non alii Deo litabat quàm suo ventri. Allegantur hîc lachrymæ, quas non profudit ille, nisi eas expresserint odium, furor, cùm se de suis hostibus vindicare, aut infamiam suorum desideriorum finem assequi non valuit.

*Hodie sit in pace locus ejus.* Quomodo ista petitio justificari potest? quid ipsi cum pace, qui vitam semper duxit ut implacabilis Dei hostis, quem mors prævertit, arma manibus excussit, qui in corde suo perpetui belli fovit consilia? qui omnibus pacem inire sollicitantibus, aut saltem armistitium cum Deo suo perpetuum persuadere volentibus illudit, jam beata sorte amicorum Dei perfruatur? continuò degens inter sectarios Babylonis recipiatur inter incolas sacre Jerosolymæ? Non, nequaquam. Ratio, fides, tot. Scriptura unanimes se hîc opponunt.

Relictis igitur precibus, quas Ecclesia legitimis suis liberis prælegendas ordinavit, sic abeuntem reprobi compellemus animam: Egrederere immunda anima, egredere anima de Epicuri grege, anima carni immerfa, terræ affixa, Deo exosa; desere corpus, quod turpi vitiorum tuorum corruptelâ polluisti, excede hoc mundo, quo fuisti abusa. Exi hinc in nomine Dei Patris, quem habuisti ut tuum hostem; in nomine Filii, quem crudeliter es persecuta; in nomine Spiritus Sancti cui tanto tempore obstinatè resististi. Abi in nomine Creatoris, cui tenetis redere rationem de cunctis malè collocatis vitæ tuæ momentis;

mentis; in nomine Redemptoris, qui profusum à se tibi exprobrabit cruorem, pedibus à te conculcatum; in nomine Spiritus Sanctificantis, conquerentis abusum gratiarum, quas tam indignè dilapidasti.

Discede denique, tempus quippe adest, quo jam Divinae justitiae satis faciendum, quo sistendus es coram eo, quem offendisti, non est ille idolum ex ære conflatum, sed omnipotens, Deus fortis, & scelerum vindex. *Hodie in furore locus tuus*: perge ad judicem hodie, quem senties in causa tua implacabilem; jam nunc incipe infelicem tuam aeternitatem prægustare.

O! si Deus apperiret sacerdotis hujus oculos, videret is eo tempore quo frustra SS. Angelorum & Patronorum suffragia imploraret: *succurrite Angeli, subvenite Sancti &c.* daemonum ingentem turmam in cubile irruere, struentium animæ miseri peccatoris insidias, qui vixit ut reprobus, jam moritur ut damnatus.

Audire videor quendam me fugillantem: pater scias paucissimos reperiri, qui tam repentino extinguantur fato; hæc sunt accidentia, quæ nobis exponis, de raro contingentibus. Objectioni huic tripliciter respondeo. Primò, non inficior, esse accidentia; idcirco tibi & mihi facile obvenire possunt, quòd si unicus meorum Auditorum hoc mortis genere defungi deberet, omnes meritò haberemus causam nobis cavendi. Secundò, omnem hominem dico, ejuscemodi casibus quandoque obnoxium esse: *Omnis homo cum casu suo ambulet*, notat S. Augustinus. Tertiò, dicta accidentia tam rara & remota non sunt, ut probabilissimum non sit, quin plures è meorum Auditorum cætu subitaneo tali fato sint abstrahendi. Dummodò quis triginta aut quadraginta annorum cur-



sum mente peragraret, ad eos, quos antehac nōsser, se de-  
 flectendo, deprehenderet hunc in prælio occisum, alium  
 assassinio interemptum, istum undis suffocatum, illum  
 apoplexiâ obrutum, aliquos in lectulo lethum reperisse.  
 Sed replicabis, fortassis tam inopinatò non moriar. Fortè  
 sic morieris, mi frater, audi Chrysostomum: *Cogita, quòd  
 de anima deliberas, non de equo, quem tam incerto casui  
 objicere non tentares.*

Adhæc, loquens de subitanea morte per hanc no-  
 lim intelligi catarrhos tantùm suffocativos, symptomata  
 improvisa, aliâve morborum similia accidentia: siquidem  
 mors peccatorum ordinaria, quantum vis diuturnam sub-  
 sequatur infirmitatem, semper iis accidit immatura juxta  
 D. Gregorii Magni expositionem: *Quantumcunque serò  
 de hac vita tollantur impii, subito & repente tolluntur, cu-  
 jus rationem mox annectit: subitaneum est homini, de quo  
 non ante cogitavit, sed peccatores mortem nunquam co-  
 gitant.* Avarus iste non cogitat, quàm breve sit suum  
 iter, pro quo ingens adeò sibi corradit viaticum: hic  
 ambitiosus honoris aurum captans, eoque in altum se  
 erigit, ut oculos ejus sepulchrum subterfugiat: voluptua-  
 tium illud carnis suæ mancipium corpori adeò tenaciter  
 adglutinatur, ac si esset immortale: vindicativus quis-  
 piam, qui in corde suo inimicitias nutrit perpetuas, non  
 meminit se moriturum; cùm Spiritus Sanctus Ecclesia-  
 stici ore nos instruat, solam mortis cogitationem omnem  
 se vindicandi flammam mox extincturam. *Memento no-  
 vissimorum, & desine inimicari.* Omnes peccatores isti  
 talem instituunt vitam, unde satis colliges, penitus  
 mortis esse inimemores. Quocunque proinde tempore  
 fores

Eccli, 28. 6.

fores pulsarit, ipsos præoccupabit, cum veniat hora iis prorsus inexpectata; qualemcunque illa assumat faciem, non tamen agnoscentes illi, nec agnoscere unquam laborantes, turbantur, & terrentur.

Jam pro altera ratione dico, quòd turbata hæc cognitio ad aliud nil deserviat, quàm ad oppressum peccatorem majoribus adhuc malis involvendum: sicut enim perturbatus oculos longè aliter intuetur objecta, quàm sunt, ita peccatores mortis adventu confusi & perterriti decipiuntur in cognitione Dei aut in cognitione sui.

Timor judiciorum Dei, horror inferorum, aspectus æternitatis flammis furoris Divini succensæ, cujus rigorem jam prægustant: exprobratio ingratitude illorum, & abusus continuus cœlestium gratiarum; hæc omnia confestim dum subeunt mentem moribundi, intellectum invertunt, rationem impediunt in tantum, ut Deum non ampliùs agnoscat, cujus miserationes semper sunt infinitæ, & incomparabili excessu transcendunt omnem omnino omnium peccatorum malitiam.

Sicut is in obscuritate suarum passionum non agnoscebat nisi Dei misericordiam, unde sumebat ansam liberius peccandi, sic non perspicit in turbatissimo hoc rerum statu aliud præter justitiam, necis horrores, quibus in desperationis abyssum dejiciatur.

Testes produco monomachos, seu duellistas Gallia nostræ, qui visi sunt desperatò mori, mordere terram, præ furore & rabie spumare, evomere suas animas cum excommunicato suo sanguine non sine maledictis sibi mutuò intentatis.

Testis sit & ille, nobili prosapia ortus, Archias nomine, de quo S. Gregorius Nyssenus scribit, quòd protrahendo

trahendo diutiùs suum Baptismum, suamque confessionem, infeliciter præventus à suis hostibus, pluribus lethælibus plagis peritus, fuerit repertus in tristi quadam solitudine, Sibi item revelatum refert eximius iste Præsul, Archiam vulneratum, omni ope destitutum lamentabili voce exclamasse: *Montes & silva baptizate me, rupes date gratiam Dei mei, quam cheu! toties, tamdiu contempsi,*

Inde in furorem actum sibi ipsi maledixisse dictis de-  
*speratione* plenis: morere Archia, morere, à Deo tuo derelictæ, postquam tam prolixo tempore restitisti ipsius gratiæ, justum est, ut funesta cadas victima justitiæ post blasphematam ejusdem misericordiam: *has miserabiles voces edens miserè vitam finivit.* Videtis ergo peccatorem hunc ob imminentem mortem adeò turbatum, ut Deum totius bonitatis compelleret tanquam Deum sine clementia, & prorsus inexorabilem.

Sunt alii, qui in medio suæ perturbationis falluntur circa cognitionem sui, se vendentes pro aliis, quam reverà existant; blandiuntur sibi in suis nequitis, eoquòd sint membra confraternitatis Sacri Rosarii, multis annis gestarint Scapulare; sed non student illi rescindere contractus suos usurarios, resarcire damnum aliis illatum, in gratiam redire cum suo adversario. Solent recitare, *Salve Regina*, aliàsque devotas preces, quas memoriæ mandarunt, nolunt tamen seriò se applicare ad instituendam legitimam exomologesin, ad ferenda remedia tot malis laboranti suæ conscientiæ.

Circumstantes sic morientem conspicientes, tam speciosum apparatus demirantur, beatum illum pronuntiant. Longè aliter S. Augustinus judicat: *O si intus videres, quæ tibi videtur bona (mors) pessima est.* O si  
 lice-

liceret pro tunc intueri peccatoris hujus conscientiam, deprehenderetis eam plenam vitiis, quæ nunquam ritè confessus, cerneretis cor ipsius adhuc peccati visco illigatum, quod nunquam ferè detestatus fuit. Si Deus vestros aperiret oculos, adverteretis istum hominem in sui agnitione per ignorantiam crassam & affectatam esse delusum; preces fundit cum Antiocho pares, sed pari item modo in infernum deportandus: *Vides foris jacentem in lecto, sed non vides intus raptum ad gehennam,*

Hi sunt peccatores illi, qui per inopinæ mortis irruptionem animo consternati, a quod inferos deplorant sibi in ultima hora cum vita occidisse justitiæ solem; *Justitia lu-* Sap. 5. 6.  
*men non luxit nobis.* Iterum queruntur: *In malignitate* Ibidem. 7. 13.  
*nostra consumpti sumus.*

Quis modò, Charissimi Auditores, vester sensus, quid censetis de morte subitanea? De morte, inquam, quæ in uno instanti vos rapit & ad tribunal Dei trahit sine ulla prævia ad id dispositione; de morte, quæ in momento animam vestram in manus dæmonum consignat; de morte, quæ vos, animùmque vestrum tantis perturbationum fluctibus obruit, ut vobis veram Dei & vestri cognitionem eximat? num talis mors non justum vobis incutiat metum?

Per Deum obtestor, maturo tempore in ordinem redigamus statum conscientie nostræ, ne istis perplexitatum tenebris aliquando involvamus: *Date Domino Deo gloriam* (vestræ conversionis) *antequam contenebrescat* (sol gratiæ & justitiæ) & *antequam offendant pedes vestri ad montes caliginosos*, matris horrendos. Jerem. 13. 16.

Declaratâ perturbatâ impii sic præoccupati confusione, spectare nunc lubeat mœstitiâ & horrorem in qui-

II.  
Punctum.

bus animam suam exspuit. Portio hæc est à Deo assignata iis peccatoribus, qui in peccato pervicaces, fraudulenta dulcedine prosperitatis vitiosæ fascinari se permittunt, in continua Dei oblivione vitam transigunt. *Con-*

Amos. 8. 10.

*vertam*, minatur Deus per Prophetam Amos, *festivitates vestras in luctum, & omnia cantica vestra in planctum, ... & ponam novissima quasi diem amarum.* Per Jeremiam pariter intentat minas, quod peccatorem moribundum invisere, eique propinare velit calicem furoris sui ebibendum us-

Jerem. 25. 15.

que ad fecem: *Sume calicem vini furoris hujus de manu meâ.*

Tristitia hæc peccatoris in extremis constituti in duabus potissimum rebus consistit. Primò in visione multitudinis hostium innumeræ contra se in armis. Secundò in derelictione generali & universali, in qua se deprehendit. Tempus non suppetit, ut diutiùs me hîc detineam. Amos Propheta elegantem angustia istius paucis verbis affert expressionem, inducendo hominem per viam, quâ truculentus occurrit leo, incedentem; qui mox reversus, frustra tamen aliud inquit iter, utpote à bestiis

Amos. 5. 19.

æquè furiosis obsessum: *Quomodo si fugiat vir à facie leonis & occurrat ei ursus: & ingrediatur domum, & innitatur manu sua super parietem, & mordeat eum coluber.* Mors ex uno latere leonis instar premit peccatorum istum, exacerbata & irritata contra ipsum, inquit Job, omnia illius bona tam corporis quàm fortunæ abligurit.

Ex alio latere justitia imminet Divina instar crudelis ursæ, cui catuli abstracti, inquirens & insequens rapto-rem ad eum perdendum, suoque aeterno furori in victimam implacabilem immolandum. Eodem temporis momento propria item conscientia miserum rodit & consu-

consumit uti vipera, ob oculos ponendo infinitum prope numerum enormium ab ipso patratum scelerum. O malorum omnium extremum! ô malum sine ullius solatii levamine! quod nullam consolationem nec in cœlo nec in terra, nec in natura, nec in gratia, nec apud Deum nec apud homines reperire potest! O mors peccatoris, quid de te enunciabo, nisi quod mala tua transcendant omnes meos conceptus, desint mihi verba ad explicandam infelicitatem tuam! Vide jam qualem fortiantur terminum dies isti in hoc mundo fortunati, vide quod se extendant confinia falsæ prosperitatis sæculi.

O Domine, exclamat Jeremias; *Diem hominis non desideravi, tu scis!* diem, qui cum splendore crepusculi matutini oritur, nocte moritur; diem dolosæ mutabilitati obnoxium, cujus aurora tam venusta, meridies tam rutilans, vesper, adeo horribilis. O quàm longè gratiorem exambio diem Dei, qui initium orditur à vespere afflictionis & pœnitentiæ, finem sortitur felicissimum in lumine vitæ æternæ. Jerem. 17.16.

An cogitatis, peccatorem hunc moribundum, de quo hætenus nobis sermo, esse phantasma confictum vel ideam Platonis imaginariam? Minimè; eorum plures numerantur inter Christianos. Quis ergo erit iste, qui tali modo præventus, turbatus, dolore irremediabili afflictus morietur? Aperiam sincerè id sine fraude à sacris literis edoctus.

Hic peccator, qui suam de die in diem procrastinat conversionem, subitanea morte extinguetur. Patet è Divinæ veritatis oraculo: *Nè tardes converti ad Dominum,* Eccli. 5. 2.  
*& ne differas de die in diem, subito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.*

U u 2

Hic

340 *Impius Infelix, Maledictus &c.*

Hic Veneris' alumnus, qui agrè fert, suas corripilidines, concionatorum monitis illudit, pari fortuita necis facto oecumbet. *Viro, qui corripientem dura cervice*

PROV. 29, 1. *contemnit, repentinus ei superveniet interitus.*

Omnes isti inimici Crucis, delitiis ebrui, pœnitentiam fugientes, qui vivere quærunt in mundanis voluptatibus, suffocabuntur in aquis amaritudinis. Deus est, qui hanc veritatem sua roborat autoritate: *Ponam novissima vestra, quasi diem amarum & plenum absynthii.* Corda illa obstinata & indurata infelici dies suæ vitæ claudent catastrophe. *Cor durum habebit malè in novissimo.* Vel ut Syriacus vertit: *cor durum, malus fiet finis ejus.*

Ah fratres mei, vos contestor, hæc itaque animo pensate; evitate istam Dei maledictionem, præparate vos ad mortem, ut ea vobis sit transibus, quo rectâ pertingatis ad gloriosam in cœlis æternitatem. *Amen.*



IMPIUS

# IMPIUS CON- VERSUS IN IN- FERNQ.

*Convertentur peccatores in infernum, omnes gentes, quæ obliviscuntur Deum. Psalm 9. vers. 18.*

**E**cce, quæ nam vobis imminet conversio, quæ jure vos in stuporem rapit, cum sit admiranda in omnibus suis circumstantiis. Primò, ratione temporis; siquidem impius morte subitanea sublatus, non amplius versatur in via salutis, in statu merendi, consequenter etiam est in capax se convertendi. Secundò, ob qualitatè loci, quomodo enim ille se convertet *in inferno, ubi nulla est redemptio, nec spes ullius gratiæ*? Teriò, propter causam; quia hæc conversio non est effectus misericordiæ sed justitiæ & iræ Dei. Denique ob consequentia ad istam conversionem, quæ sunt omnia mala imaginabilia.

Notant præterea Interpretes citatum thema, non esse votum vel appreciationem, sed imprecationem Davidis contra peccatores, quæ deprecatur is, ut reprobi, qui terga Deo obvertentes se ad mundum converterunt, relicto Creatore creaturis adhæserunt, avertantur, aliquando, & ejiciantur è mundo & creaturis per mortem, & perditis omnibus convertantur, id est ad Deum redeant etiam inviti, ad considerandam incessanter justitiam,



ejusque vindictas, ad intuendum per omnem æternitatem id, quod amiserunt, Deum sc. supremum bonum.

Pfal. 9. 18. *Convertantur peccatores in infernum.* Quòd si igitur omnes istius Adventus sermones, item omnes piarum animarum preces impium convertere non potuerunt, en totaliter modò conversum in inferno. Erat ille, ut nòstis, homo temporì & sæculi genio accomodatus, nunc est homo æternitatis: excœcatus erat in cognitione sui, carnis delitiis immersus & juratus pœnitentiæ hostis; amodò reperit in densissimis inferorum tenebris horrenda lumina, quæ ei ad oculum demonstrabunt perfectam Dei ac sui cognitionem; suspirat & gemit, ac continuam agit pœnitentiam; cui Scriptura S. sequens perhibet testimonium: *Pœnitentiam agentes, & præ angustia Spiritus gementes.*

Sap. 5. 3.

Qualis conversio! Erat olim spiritus vagus, volaticus, qui ne uno quidem momento eidem cogitationi insistere prævaluit, ut se feriò reflecteret supra res alterius sæculi. Nunc in inferno profundâ absorptus est contemplatione, manetque penitus defixus in consideratione æterna boni immensi, cujus, Deo perduto, jacturam subiit. Nullam is unquam patietur distractionem, advertit Cajetanus: *Detinebitur intellectus damnatorum ad considerandum, & voluntas ad detestandum.*

An non perfectè conversus meretur dici, qui semper Deum animo volvit, qui Paradisi cœlestis nunquam obliviscitur, qui mundum execratur, carnis & sensuum illiciiis maledicit, cui in summo sunt horrore sæculi divitiæ? *ad considerandum, est ad detestandum.*

**DIVISIO.**

Metamorphosin & conversionem istam maledictam revoco ad tria capita principalia, in quæ pariter sequens

quens se extender discursus. Primò ad tenacem hanc & continuam mentis ac voluntatis applicationem, per quam considerationi Dei affigitur, quem antehac vix cogitabat unquam. Secundò, ad vivacem istam & claram cognitionem sui ipsius cum pœnitentiæ suorum peccatorum dolorifica conjunctam. Tertiò, ad statum, in quo versatur non voluptatum ampliùs, sed pœnalitatum infinitarum. Ut autem materiam præsentem pro ratione suæ dignitatis & utilitatis, tali modo pertractemus, quo maledicta peccatoris conversio apud inferos deservire queat veræ ac fructuosæ conversioni peccatorum super terram, imploremus opem Divini Spiritûs per suffragium Sacratissimæ Dei parentis. *Ave.*

Propheta Ezechiel nobis declarare volens iram Domini Dei exercituum ad sumendam de suis hostibus vindictam se accingentis, illum nobis exhibet sub Figura speculi è crystallo horribili; *Aspectus crystalli horribilis* Quid Ezechiel vitro hoc repræsentare intendit? conformiùs loqueretur sequens aliorum Prophetarum ideas, asserendo, Deum sibi visum esse, confidentem in throno flammarum globis succenso; *Thronus ejus flamma ignis: aut quasi ignis constans, ignis consumens*, seu nubis instar vastæ fulgetris gravidæ in tonitrua & fulmina jam jam erumpentis: quæ omnia videntur magis apposita ad exprimendum Deum iratum, quam speculum crystalli. Quod majorem nobis movet admirationem, & prædicatum *horribilis* crystallo attributum: dicitur enim crystal-  
lus diaphana, splendida, non æquè horribilis, formidabilis. Mysterium nobis hic Propheta detegere cogitat, quòd nimirum Deus condemnaturus peccatorem, animæ ipsius fundo imprimere soleat certam quandam sui ideam  
quæ

I.  
Punctum.  
Ezech. 1. 22.

quæ sit instar speculi crystallini ac luminis terribilis, in quo & per quod clarè cogatur intueri in omnibus temporum vicissitudinibus, & æternitate, summum bonum, quod amisit, Deo amisso.

Quemadmodum felicitas essentialis Beatorum in duobus consistit: primò, in hoc, quòd mediante pretioso illo instrumento, seu lumine gloriæ elevet Deus ipsorum intellectum, ut eum videant facie ad faciem, & intuitive cognoscant thesauros ac decora infinita Divinæ bonitatis. Secundò, in hoc, quòd eorum voluntas per amorem cum gaudio fruatur suavitate Dei. Sic etiam summa tormentorum & apex infelicitatis damnatorum est, primò, quòd horrificum lumen & infausta scientia, quam habent de summo bono, quo se spoliatos agnoscunt, communicet illis cognitionem aliquam abstractivam loci celestis, quo sunt dejecti, ac gaudii infiniti, quod per omnem æternitatem fuissent possessuri. Secundò, quòd concipiant odium sociatum cum dolore contra se, & contra omneid, quod ad ipsos spectat.

Psal. 9. 18.

Conversio hæc impij in inferno, quam Psalmista per modum execrationis volebat eidem, & omnibus peccatoribus simili pervicaciâ obduratis: *Convertantur peccatores in infernum, omnes gentes, quæ obliviscuntur Deum, originem suam trahit ab ortu terribilis illius luminis, convertantur.*

Domine, quia miseri mortales isti claudunt oculos, né decor & pulchritudo Divinæ tuæ perfectionis eos perstringat; quoniam tantam tibi irrogare contumeliam non erubescunt, ut tibi dorsum obvertere, seque convertere audent ad creaturas, quas contemplantur & adorant; cum sint tam arcto vinculo amoris bonis creatis adstricti,

adstricti, ut medium in præsentia vita non occurrat perversos convertendi ad hoc, ut inquirant suum infinitum bonum; quandoquidem tuæ inspirationis, motus tui interni, tuæque sollicitationes, & omnia alia, quæ Præcones sacri tuo nomine iis promulgant, ad meliorem revocare frugem, & ad te redire, nequeunt compellere: Domine idcirco avelle ipsos per mortis falcem ab omnibus istis creaturis, subtrahe animabus his idololatrias omnes illarum falsas Divinitates, saltem ut in inferno se convertant ad te, compelle, ut nunquam non pondus justissimæ iræ tuæ considerent: *Convertantur peccatores in infernum*: cogantur suammet æternam oculis inspicere confusionem, Majestatem illam infinitam, quam contempserunt, bonitatem immensam, quam offenderunt, fontem inexhaustum bonorum omnium, quem possessioni nihili prætulerunt, *convertantur peccatores.*

Huc item respexisse videtur Daniel, differendo de discrimine eorum, qui resurgent in novissimo, judicii die. Postquam pronuntiavit bonos resuscitandos ad vitam æternam, de malis subjunxit: *Evigilabunt alii in opprobrium, ut videant semper*; id est visione permanenti, constante & invariabili boni supremi deperditæ, mali extremi infligti, quod sustinent, omniumque tristium ac funestorum objectorum cognitione, quæ juxta Cajetani sensum constituit magnam damnatorum pœnam; *detinebitur intellectus ad considerandum, & voluntas ad detestandum.* Alligabitur vis intellectiva ad eò forti & arcto actualis cogitationis vinculo, ut ne momento quidem eximi inde possit ad liberè respirandum.

Quænam ergo conversio istius impii? stupidus hic & carnalis homo non respiciebat aliud præter terram, ju-

X x

giter

Luc. 16. 3.

giter erat occupatus spectandis suis palatiis, æ dibus voluptuariis; pretiosa sua mobilia, aurum, gemmas fallaces divitias colebat ut idola, à quibus proinde fasciatus nec locum, nec tempus habuit cœlestes thesauros contemplandi: at nunc suam faciem continuò cœlo affixam continet, unde se exclusum gemit; *Elevans oculos suos cum esset in tormentis.* Vagus & mobilis ille genius, qui ne momento quidem suas cogitationes colligere & collectas propriæ salutis procurandæ impendere poterat nec instituere unicam reflexionem ad bona æterna à Deo sibi promissa: homo iste, qui mox in iocos & lannas effusus, cum de lege Dei cogitanda aliquid suggereretur, qui nullum sibi otium audiendæ concioni indulgit: is jam altæ in profundo inferni deditus speculationi, per omnes temporum differentias, per æternitatem interminabilem assiduâ Deum mente verfabitur, paradisi obliviscetur nunquam, manebit constanter absorptus in perpetua meditatione, quæ exhibebit ipsi ex una parte vanitatem & nihilum terrenarum divitiarum, temporalium honorum & dignitatum, fluxarum, voluptatum, quas tanto cum ardore fuerat insectatus, quas tam intensâ animi in eas propensione possederat; & ex altera parte repræsentabit majestatem & excellentiam infiniti, sui summi boni, ac ultimi finis, verbo, Dei sui, quem toties despexit; *detinebitur intellectus.* Videtis ne itaque hunc in Plutonis Academia contemplativum discipulum, qui Deum, Cœlum pro meditationis suæ objecto continuo habet, nullam distractionem admittit? Transeamus ad alterum punctum.

II.  
Punctum.  
Isa. 26. 2.

Cognitio sui ipsius est iusta & rigida vindicta, quam Propheta Isaias de peccatoribus obstinatis adhuc sumendam expetebat: *Dominè exaltetur manus tua & non videant, videant & confundantur.* Fac

Fac ô magne Deus, ut brachii tui potentia per ruinam & interitum te contemnentium, glorificetur: ipsorum supplicium sit, ut videant, simulque non videant. Quid autem non videant? sicut beati in cœlo ope luminis gloriæ intuitivè vident splendorem domûs tuæ, & inestimabiles Divinitatis tuæ thesauros: sed videant funestam imaginem, quæ indefinenter iis repræsentet causam & materiam confusionum, rabiei, furoris illorum æterni. *Videant & confundantur.*

Quis dabit mihi pferatam & eloquentiam S. Joannis Chrysostomi, ut cum eodem dicam; *Tunc aperientur oculi tunc auferetur velamen.* <sup>Ibidem.</sup> Quis unquam sibi persuasisset, quòd in tenebrosa inferorum regione, in caligine & umbra mortis oculi falsorum Christianorum amore proprio excæcati, carnis, aliarumque passionum deordinatis motibus obscurati, essent illustrandi, ad clarè tunc & continuò inspiciendum id, quòd nunquam respicere antehac dignabantur? *Tunc velamen malitiæ*, sunt verba D. Petri, quo mundus suorum vultus cooperuit, auferetur: tunc nominales isti Christiani cum tristitiæ extremæ horrere <sup>1. Pet. II, 16.</sup> intelligent differentiam inter tempus & æternitatem, inter summum, increatum bonum, & bona fallacia, caduca & peritura. Videbunt, prædicatores rationabiliter inclamare: *Momentaneum est, quòd delectat, æternum, quòd cruciat.* Agnoscent, quàm facilè potuissent salvari, quòd Deus sinceram in corde conceperit intentionem ipsos cœlesti beatitudine præmiandi, quòd vixerint in eodem cum electis Ecclesiæ corpore, iisdem Sacramentorum alimentis enutriti, quòd pares acceperint gratias, imò efficaciores motus potentiores senserint, quàm plures prædestinatorum myriades; quòd si voluissent se confere

constanter ad conciones quadragesimales, verbum De extra dubium suum effectum esset consecutum; si prædicatoribus, generalem confessionem consulentibus obtemperâssent, si obicem hunc è medio tollere, occurrentes difficultates perfringere laborâssent, cœlestis paradisi possessores fuissent constituti; quòd Deus multis millenis vicibus occasionem capillatam ultro obtulerit, propriam operandi salutem; quoque infinities plus curæ, ac majorem animi applicationem adhibuerint pro saltatione, venatione, vel alia relaxatione, imò pro ludicra scena adornanda, quàm pro obtinenda felicitate sempiterna.

Impius iste damnatus manifestè perspiciet se per regenerationem sui baptismi trensisse in jus Filii Dei adoptivi, unaque jus adeptum ad possessionem hæreditatis cœlestis; in ingressu Ecclesiæ se accessisse, ut S. Paulus loquitur, ad montem sanctum Sion, & in lapidem vivum supernæ Hierosolymæ aptatum esse: videbit inter spissas tenebras, in quibus sepeliendus, Crucem quandam &

Matth. 23. 37 Hostias, inde vocem suas ferientem aures percipiet: *Quoties volui, & noluisti?*

Id eveniet, docet S. Augustinus, mediante horrendo illo lumine, quod Deus peccatoris animo infundet ad penitiùs se introspicendum Psalmistæ Regii testimonio:

Ps. 49. 21: *Arguam te, & statuam contra faciem tuam.*

Habuiisti miser vehementes & scelestas de te ipso complacentias, quia te ipsum minimè noveras; sed in inferno te intueberis in tui odium & execrationem: *Quia te non videns placuisti tibi, displicebis & mihi & tibi; mihi cum judicaberis, tibi cum ardebis.* Videbis fœditatem tuam, non ut corrigas, sed ut erubescas confusione æternâ.

Scitote, scribit S. Bernardos, à nullo alio, quàm proprio oculo spectatore tam dirè excruciantum esse damnatum

narum; Nullus de tanta numerositate spectantium molestior oculus suo cuique. Non erit in cælo, nec in terra, imò neque apud inferos aspectus, quem magis subterfugere conabitur reprobus, quàm suum proprium. Intellectus ipsius noctis licet perpetuæ tenebris involutus, nihilominus tantum luminis hauriet, quo incessanter se contueatur, quis & qualis sit intimè penetret; *Non latent tenebræ vel seipsas, se vident, quæ aliud non vident.*

O Deus! exclamat S. Bernardus, quàm malè apud inferos collocati sunt damnati; isti mendaciis totaliter dediti, quique ob odium & contemptum veritatis interierunt, torrenti cuidam veritatum perpetuo exponentur, illorum animas etsi invitas inundanti, ut cognoscant id, quod fuerunt, & quod modò sunt: *O quàm malè locati sunt damnati! utique torrenti huic directæ æquitatis & huic lumini propalata veritatis oppositi.*

Non poterunt oculos avertere vel claudere, nec se ipsos excæcare; anima enim à suo corpore abstracta, omni materiâ libera, unde suas mutuabat phantasmatum species & à quibus olim decepta, non ampliùs usurpare valebit dissimulationes, sive fictiones: *Non est sanè jam tunc, quòd aut veritatem dissimulet ratio, aut rationis intuitum anima declinet membris avulsa corporis, sed veritatem meridianâ luce clariorem intuebitur & confitebitur.*

Quapropter Tertullianus in suo tractatu de anima tradidit; *Quod à Deo est, velari ratio & conscientia, non tam extinguatur, quàm obscuratur ad tempus.* Veritas creata & revelata extenuari & obfuscarì potest, non autem penitus elidi & opprimi: *potest enim obumbrari, quia non Deus est; extinguì non potest, quia à Deo est.* Veritas igitur æquè naturalis ac supernaturalis animæ corpori unitæ



communicata, in hac vita malè habetur, suprimitur, phantasmatis corporeis propemodùm sepelitur, mundi illusionibus ferè extinguitur, in alterâ tamen vitâ suam reperit libertatem, animam collustrat, & efficaciter convincit: *bonum in anima à malo oppressum, quâ datur, radiat inventa libertate.* Videte itaque impium hunc, qui nolebat tantum sibi spatii indulgere, quo examinis scrutinio subjiceret suam conscientiam, sed avertit inde cogitationes nè in peccatorum suorum incurreret notitiam: nunc cernere cogitur indefinenter hanc conscientiam sibi ob oculos ponentem multitudinem delictorum, ac enormitatem suorum flagitiorum: continuò spectat suas usuras, injustas suas violentias, sua adulteria, suasque blasphemias quæ turmatim contra sui authorem insurgunt, eique incessanter exprobrant; *Tu nos egisti, opera tua sumus, non te deseremus,* ita expressit S. Bernardus. En fructus laborum, operum vitæ tuæ, qui ubique te comitabuntur.

Peccator iste damnatus videbit in inferno debilitatem suorum conceptuum, cœcitatem suæ mentis, inordinationem suarum passionum, obstinatum cordis sui malitiam, tam multo tempore Deo resistentis, ejusque gratiis abutentis.

Obscurum lumen illud constanter ipsi objiciet omnes favores, opes, assistentias Divini Spiritûs, quibus eum prævenit, omnes pios motus, quos in ejusdem pectore excitavit, omnes quas recepit gratias, uno verbo, universa, quæ Deus illi exhibuit bonitatis suæ testimonia.

Matth. 8. 11.

Damnatus hic Christianus aspiciet extraneos, id est barbaros, gentiles conversos, qui secundum Salvatoris nostri vaticinium ab oriente & occidente venientes, fidelibus, domesticis rejectis, admissi sunt in sinum Abrahamæ,

sc. in

sc. in regnum Dei. Agnoscat, quod Canadensis aliquis, qui in licentiosæ vitæ actibus consenuit, antehac raptò vivere assuetus, salutis suæ negotium cum tanto fervore fuerit operatus, ut intra duos aut tres annos in Christiana professione transactos eum conscenderit thronum, quem Deus alioquin ipsi præparârat; Item, quod Americamus paulò post sui conversionem jure coronam illi præripuerit. *Tene, quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.* Apoc. 3. 12.

Imò Christiana ista fœmina mirabitur in orco, quòd tali tempore, quod superfluo impendebat somno, & quando potiorem ac nobiliorem vitæ suæ portionem consecrabat delitiis ac voluptatibus carnis, Neophyta quædam Tunquinesis vel Conchinensis sexdecim dies arduo itineri conficiendo expenderit ad audiendam unicam Missam, ideòque meritò locum ejusdem præoccupavit in cœlo. Hi utriusque sexûs fideles oculo, Zelotypiæ & furoris flammis ardenti, intuebuntur illos, qui in eorum sedes cœlestes fuerunt subrogati ob abusum tot, tantarumque gratiarum, quas Deus ipsis liberaliter subministraverat: *Filii Regni ejicientur in tenebras exteriores.* Matth. 8. 12.

Ah! aspectus, ah cognitio, quos miseris istis procurabis dolores! *Peccator videbit & irascetur &c.* Ex hac visione orientur rabies, odia, furores, desperationes, horrendæ in Deum Blasphemix execrationes in seipsos sparsæ. Estne possibile, ululabit è damnatorum caveâ quispiam, ut Christianus, qualis ego fui, renuntiârit diademati gloriæ, Regno Christi Jesu pro vix sensibili honoris puncto, pro voluptate bestiali? Ad tantam non deveni ego insaniam, utpote Christianus, qui in fide probè instructus sciebam Deum, cœlum tam vili pretio, imò pro nihilo tam leviter nequaquam esse distrahendum: adeo  
stultum

stultum mercatorem non egi. Omnino talem egi & quidem millenis vicibus, neque enim id vel possim, vel ausim vel ausim negare.

O ! sæva ambitio, quæ verâ & æternâ me gloriâ spoliasti, vos fraudulentæ & maledictæ divitiæ in extremam paupertatis ruinam me deturbâstis ; Ah ! cæce, profane amor, tu me poluisti objectum odii Divini in sempiternum. Delitiæ fluxæ, supplicia æterna ! Voluptates bestiarum propriæ, jactura visionis beatificæ ! Maledictum meum judicium, quod me decepit, maledicta desideria mea, à quibus proditus fui, maledictus character Christiani, qui ad aliud non deservit quàm ut miseriores me reddat : *Talia dixerunt in inferno hi, qui peccaverunt.*

Sap. 5. 14.

En finalem impii, aliorumque ipsi similium conversionem in inferno : Intellectus illorum cogitatione assidua in Deum defixus hæret, cognoscit Deum, æstimat bonum ; eorum voluntas detestatur & abhoret malum, semetipsos penitus introspiciunt, pœnitent illos suæ stultitiæ. Consideremus modò rigorem suppliciorum, quibus torquentur, quæ tertium discursus mei punctum continet

III.  
Punctum.

Quemadmodum Sancti in cœlo sunt beati, quoniam perfruuntur amore, quo Deus in eosdem fertur, & in hac suavitate amoris istius sentiunt voluptates indicibiles ineffabilium gaudiorum ; verbo, dulcedines boni supremi infinitas : contrario modo damnati ab odio Divino patti & enutriti, felle iræ Dei potati sentiunt amaritudines cordis, tristitias extremas, & dolores inexplicabiles : *Cibabo eos*  
Jerem. 9. 15. *absynthio & potabo eos felle.* O delicate nimium Christiane, cui salubres Pœnitentiæ austeritates tantum incutiunt horrorem ! tu horres gustare cum electis meis myrrham ex monte Calvariæ, implebo te in æternum absynthio mei

thio mei odii, felle meæ vindictæ: id est de vino illo mero furoris Dei, quo omnes ii inebriandi, qui latriæ cultum bestię exhibuerint, ut S. Joannes testatur: *Qui adoraverit bestiam, bibet de vino iræ Dei.* Apoc. 14. 10.

Jam fatendum vobis, quod inter omnes damnatos Christianus quàm acerbissimè sentire cogatur amaritiam odii & rigorem iracundiæ Divinæ, cùm sit odium, furor talis parentis, qui aliàs erga ipsum fuerat merum cor, totus amor:

O odium Dei æternum! ô furor Dei implacabilis! ô malorum omnium extremitas! te non reveremur, quia te non concipimus, non autem concipimus, quia serio hîc te nunquam contemplamur, sed damnatus iste impius nunquam non suâ te mente revolvit, cujus item voluntas jugiter est occupata in detestatione suorum criminum, quæ ipsum tam exosum Deo in æternum efficiunt. Inde nascitur sine fine pœnitere, pœnitentia maledicta nunquam terminanda. *Pœnitentiam agentes & præ angustia Sap. 5. 3. Spiritûs gementes.*

Considerate ergo impium hunc conversum, qui funestum & miserandum suum statum cognoscens, cum lachrymis pœnitentiam agit, rumpitur præ suspiriis, & horribilia subit tormenta.

Si erat aliquando delitiis assuetus, nunc sanè est doloribus obnoxius: *Omnis dolor irruet super eum,* notat Job. 20. 22. S. Job. Laxate Frena cogitationibus vestris, mente vestra concipite omnes dolores imaginabiles, eos per omnem æternitatem voluptuarius iste tolerat. Dives in Evangelio Epulo de suo apud inferos ergastulo verba faciens, ipsum vocat *locum tormentorum*, quibus innuit esse Luc. 16. 28. centrum malorum, meditullium & mansionem omnium

Yy

dolo-

dolorum, ubi damnatus patitur pœnas quascunque excogitabiles.

Animadvertendum cum quibusdam SS. Patribus, præsertim D. Chrysostomo, quod Deus inferorum igni, quem elegit pro instrumento suæ vindictæ, sit communicaturus speciem quandam immensitatis, colligendo & uniendo in unica ignis infernalis scintilla omnia tormentorum genera, quæ damnatus sustinere valet: eodem ferè modo, quo olim manna Hebræorum indidit omnem saporis suavitatem juxta Scripturæ testimonium: *Omne delectamentum in se habentem.* Et sicut in cælo omnia bona simul coacervata reperiuntur: *Ostendam tibi omne bonum.* Ita, ut satisfaciat Divinæ suæ justitiæ adhibebit omnem suam potentiam conferendo in unitatem ignis istius diversitatem omnis generis suppliciorum: *Omnis dolor irruet super eum.*

Sap. 16, 10.

Job, 20, 22.

O ignis terribilis Dei irati! qui pollet vi scindendi, instar novaculæ, confringendi ad instar rotæ, torquendi, sicut equulæi, penetrandi per modum olei bullientis! ignis summè formidabilis, qui secum trahit omnes etiam intensissimos dolores sciaticæ, podagræ, nephritidis, odontalgicæ, calculi, ac quidquid hominem cruciare potest: verbo: *Omnis dolor irruet super eum.*

Idem Spiritus Sanctus nos instruere voluit in Ecclesiastico, ubi docuit in gehenna reperiri Spiritum veneni, Spiritum frigoris, Spiritum rotarum & patibulorum: *sunt Spiritus, qui ad vindictam creati sunt:* quasi diceret usitato loquendi more; sicut spiritus vocare solemus rerum essentias, substantiarum florem, u. g. spiritum vitrioli, spiritum sulphuris &c. eoquod in modica massa multum virtutis contineatur; sic pariter unica infernalis rogi scintilla est quidam

Quidam tormentorum ac pœnarum Spiritus, cum sit capax inferendi omnis generis dolores & cruciatus.

En, quò tandem devolutus sit iste reprobus, juratus Pœnitentiæ hostis. Renuit durante suæ vitæ cursu satisfacere Divinæ justitiæ, & tunc, quando videbatur de suis dolere peccatis, nunquam animum habuit per satisfactions rationabiles applicandi sibi merita passionis Christi, & reparandi gloriam injustè Deo subtractam. Nunc pœnitentiam instituit, sed inutilem, desperatione plenam.

Quod si aliud ad veram conversionem non exigere-  
tur, quàm sua nôsse peccata, eorum tenere numerum, callere enormitatem, de iis concipere dolorem & pœnitere pœnamque illorum perferre, salus speranda esset; omnia enim hæc in damnato deprehenduntur unita: at quia ejusmodi peccatorum notitia, aspectus, tales dolores & pœnitentiæ serò nimium, & quidem extra tempus à Deo ad rationem meriti assignatum, exerceri cæperunt, omnia sunt inania, & ad nil deserviunt quàm ad verificandum, quòd impius sit maledictus à Deo in vita, maledictus in morte, maledictus etiam denique post suam mortem.

Profectum nostrum, popule Christiane, ex malis peccatoris bonum eruamus, nec accipiamus ipsum, meorum Adventualium discursuum potissimum objectum, pro fictitia Platonis idea.

Firmiter nobis persuadeamus, dictas maledictiones Dei omnibus imminere falsis Christianis, qui inhonestæ vitæ maculis decorem Christianæ Religionis turpiter infamant.

Quis itaque est à Deo maledictionem fulminibus feriendus in suis fortunis, in suis liberis, in suo honore,

in sua prosperitate & adversitate? quis inquam est maledictionibus petendus in cæcitate mentis suæ, in tyrannide & jugo suarum passionum, in remorsibus propriæ conscientiæ, in fictitiis & falsis suis virtutibus? quis maledicendus in sua vita, in sua morte, simulque post suam mortem? Ilte maledictus in omnibus semper erit qui postquam permulto tempore in perversis suis habitibus inveteratus gratiæ Dei restitit, obstinatus in suo peccato perstitit, suam vitam, ut videtur, non in alium finem impendit, nisi ut indies deterior redderetur. Hi maledictis subjicientur, qui respuunt modò Deo dare gloriam conversionis suæ.

Psal, 23. 4r

Quis autem benedictionibus replebitur à Deo in suis bonis temporalibus, facultatibus corporis & animæ suæ, in suis item virtutibus; vivus ac defunctus? *Innocens manibus & mundo corde*, qui suam innocentiam vel servavit illibatam, vel deperditam, ex toto corde ad Deum reversus, redintegrare studebit, qui se dignè præparabit ad mortem justorum, ut perfrui aliquando mereatur sine fine gloriosæ æternitate. Amen.



PRO FESTO  
CONCEPTIONIS  
VIRG. MARIÆ.

*Fundamenta ejus in montibus Sanctis: diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob. Psal. 86. v. 1.*

**V**ix ulla, aut venustatis specie, aut peculiari alia naturæ dote emines reperitur creatura in hoc universi theatro, quam Spiritus Sanctus in scripturis Divinis non adhibeat ad effingenda emblemata, & figuras, quibus in ænigmate saltem nobis exprimat aliquid de admirandis perfectionibus Beatissimæ Virginis, suæ sponsæ. Utpote cui non satis est, eandem conferre cum candentibus liliis, rubentibus rosis, argenteis undarum rivis, montibus nubes secantibus, palmis ac Cedris Libani ad cælum erectis, sed Solem & Lunam, Lucidissimos mundi oculos, gratiosam auroræ faciem, fulgurantes cœli gemmas, stellas, inquam, coloribus suis miscet, ut tenuem licet imaginem nobis adumbret stupendæ ipsius pulchritudinis. *Pulchra, ait ille, ut Luna, electa ut Sol,* Cant. 6. 9. radiorum suorum fulgure oculos perstringens, grato jam nitore orbi arridens aurora. In præfixa superiùs prophetesi eam regiis in Sione portis, ardentissimè à Deo dilectæ civitati confert, de qua dudum magna nobis eaque paradoxa denuntiata. *Gloriosa dicta sunt de te Civitas Dei.*

Yy 3

Istius



Prov. 8. 23.

Istius hodie sacræ urbis Fundaminâ prima fixit Omnipotentis Architecti dextra, quæ antehac in opulentis & immortalibus Divini intellectûs ideis recondita, ab æterno quippe à Deo concepta & efformata: *Ab æterno ordinata sum*, modò autem mortalium oculis palam sunt exposita; id est, primum Deus posuit lapidem, ut erigeret super illum tale palatium, quod deserviret supræmæ suæ Majestati in Residentiam, simulque in tutum peccatoribus pœnitentibus refugium & asylum.

Zach. 4. 7.

Quòd si olim juxta Divini Vatis Zachariæ pronuntiatum, tunc temporis, quo Zorobabel primo collocando lapidi manus admovit, famosum Salomonis templum denuò restauraturus, communis Dei populus gaudii ubertate absorptus ingenti cum clamore, *Gratia gratia*, eructavit: *Educentes primarium lapidem cum clamoribus, gratia, gratia.* Quales nostros affectus esse oportet in contemplatione primi lapidis hujus, & fundamenti civitatis Dei, quæ nobis assignata in asylum, & ubi inveniemus gratiam & salutem? *gratia, gratia.*

DIVISIO.

Dux excellentiæ fundamentorum istius civitatis Dei, id est duo præcipua privilegia Conceptionis Virginis subministrabunt materiam ac divisionem discursui nostro præsentis. Primum desumitur è nobilitate fundi, cui illa sunt imposita; hoc est, immediatè montibus sanctis infinitorum meritorum personæ theandricæ Christi Jesu, *in montibus sanctis.* Alterum privilegium consistit in eo, quod hæc ipsa fundamenta sunt admodum pretiosa & opulenta, sive quòd includant prærogativas singulares & gratias extraordinarias speciali illi amori, quo ardebat Deus in Virginem hodie conceptam, proportionatas: *Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob,*

Psal. 86. 1.

sed

sed antequàm ulteriùs progrediamur, efflagitemus gratiam Sancti Spiritùs incomparabilis operis istius artificis, cùmque accedamus, mediante intercessione Divinæ ipsius Sponsæ. *Ave Maria.*

Non modicam gloriandi materiam præbet alicuè urbi vel Regno ea ab omni nãvo immunitas, vi cuius illi à primæva sui fundatione nihil indecens, vel minùs honestum exprobrari possit. Historias, annales si pervolvitis, vix occurreret status aliquis, cui humilitas, vel iniustitia sui exordii ruborem non ex primat.

Magnus ille inter summos pontifices Leo testatur, quòd ad deprimendum factum & fastigium superbi illius capitis mundi unversi, Romæ se. tot gentium spoliis coronatæ; abundè sufficiat sola fundamentorum contemplatio, quæ sanguine, contra omne jus & fas effuso, adhuc rubent deturpata; *Qui primus tibi nomem dedit, fundamenta jecit, fraternitate cade sædavit.*

Serm. 1. in  
Natal. SS. Pet.  
& Paul.

Historicorum princeps Titus Livius in extollendis Romanorum gestis copiosissimus, ingenuè faterur; quòd nec tantarum victoriarum splendor, neque tot expugnatarum urbium gloria neque filiorum omnium illustrissimi triumphum unquam abolere potuerint adeò deformem, sanguine fraterno stillantem maculam, quam Romulus primis civitatis initiis in fronte impressit.

Potiori jure asserere ausim, quòd ad humiliandos sanctos, ad quem cunque virtutem gradum progressos, seu gloriæ cœlestis thronum elevatos, objicere iisdem satis sit, ipsos omnes supra sanguineam notam & peccati labem fundatos, ac primum solum, cui fundamenta Conceptionis & Nativitatis illorum insiltunt, fuisse fundum

fundum ordinare infectum, & corruptum: pro illustratione hujus conceptus.

I.  
Punctum.

Affirmo, omnino verum esse, quod omnes justii conformiter ad doctrinam D. Pauli sint templa Dei vivi, eod quod spiritus ejus adorandus, qui sua immensitate replet orbem terrarum, peculiari modo per suam gratiam inhabitet ipsorum animabus.

Verum æquè est, omnes Sanctos in Christo fundatos esse, qui est primum & necessarium fundamentum: *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Christus Jesus.* Sed simul teneo, quod omnes sancti sint alio modo fundati, quàm Beatissima Virgo; & ecce binas rationes istius differentia.

Primò, Sancti universim sunt templa restaurata, ædes reparatæ, super antiqua rudera, tristes murorum ruinas veteris Adami in peccatum prolapsi, erectæ. Secundò, quia fundamenta Sanctorum fuere collocata in prima eorundem generatione supra peccatum, quod fundum à Deo alienum est, siquidem in illius productione nullam habet partem; fuerunt in primis suis exordiis extra Dei dominium, subjecti jurisdictioni & possessioni dæmonis, Deus ipsos in lucem hanc per nativitatem editos aliter non respexit nisi ut spelæa diaboli, quorum intimos recessus is incolebat per peccatum originale.

Longè aliter res se habet in Maria. Primo, hæc minimè fuit fundata supra vilitatem, seu potius loquendo, supra nihilum primi istius Adami ruinosi & destructi per peccatum, sed teste Davide, *Ipse fundavit eam Altissimus.* Hinc nunquam lapsa, & ex consequenti non est aliorum instar, ædificium reparatum aut restauratum.

Secundò,

Secundò ipsa solum potest gloriari, quòd stabilita fuerit supra montes sacros perfectionum ac meritorum Christi, *Fundamenta ejus in montibus sanctis*. Illa à Deo suo ab initio mox sic possessa, & inhabitata fuit, ut diabolica tyrannidis potestas nè minimam quidem portionem exinde sibi arrogare potuerit: *Dominus possedit me in initio viarum.* Prov. 8. 22.

Ista est templum Augustum pacifici Salomonis, in cujus favorem adimpleta sunt Scripturæ promissa, quæ de templo materiali verificari nequeunt, toties profanato & per impiorum manus destructo. Templum hoc mysticum nullam subiit ruinam, suam semper retinuit integritatem & sanctimoniam, non sacrilegæ, Chaldæorum manus, nec Balthasaris impietas, neque zelotum furor ullam hinc violentiam potuerunt exercere: seu, quod idem est, nulla inferorum potentia, nulla peccati tyrannis, Mariæ quomodocunque nocendi, vim unquam habuit, eo quòd ædificata fuerit in fundo omnis maculæ incapaci & immobili, qui est Christus Jesus; hic unus & solus est, de quo dictum: *Ipsè fundavit eam Altissimus.* S. Epiphanius explicans verba illa Geneseos: *Ædificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam in mulierem,* sapienter advertit, sine singulari mysterio ea non fuisse Divino calamo excepta, nec Spiritum Sanctum de formatione primæ scemine loquentem, frustra adhibuisse vocem: *ædificavit; qui non formatam, sed ædificatam esse asserit.* Ut doceret nos, quo modo productio Mariæ aliquando esset instituenda, cujus hæc prima viventium mater non erat nisi umbra & figura. Ecce quomodo loquatur Sanctus hic Pater,

Zz

Volens

Prov. 9. 1.

Volens Deus, constare omnibus, quod Evam pro Adamo formaret, & primus homo iste respiceret illam tanquam rem ex justitia ad se pertinentem, ædificavit ipsam supra costam ex latere Adami desumptam: *ædificavit costam in mulierem*, ut eam consideraret velut ædificium in proprio suo fundo locatum, in quod proinde nullus alius, se excepto, jus dominii legitimi prætereendere posset. Consimili ratione Divina Sapiencia formatura alteram in Maria Evam, eandem extruxit veluti ædem aut templum gloriæ suæ dedicatam; *Sapientia ædificavit sibi domum*; cujus illa prima posuit fundamenta in montibus Sanctis, id est, supra altitudinem meritorum Sancti Sanctorum, sc. Jesu Christi, ut, quemadmodum esset erecta in ipsius fundo, ita ad neminem alium spectaret præterquam ad ipsum fundi Dominum, nullus quicquam sibi proprietatis hinc arrogare præsumeret. *Fundamenta ejus in montibus sanctis.*

Pro meliori puncti istius declaratione necessarium erit, recurrere ad Theologiam quandam doctrinam, quam tradunt Scholæ, sequentes ducatum, & auctoritatem SS. Dionysii Areopagitæ & Augustini, agnoscentium duas Redemptionis species, unam subsequenter, alteram antecedentem. Prior consistit in liberatione hominis post lapsum in peccatum, posterioris officium est, impedire seu præcavere lapsum in fatale istud malum. S. Anselmus vocat hunc antecedentem redimendi modum, redemptionem cælestem, illum subsequenter appellat terrestrem, à Cælo antecedens nomen suum mutuavit, quod ea mediante Christus redemerit Angelos, iis promerendo gratiam, ad devinçendas Luciferi tentationes.

ones, & ad impediendum, nè cum reliquis apostatis Angelis in abyssum ruerent præcipites.

Beatissima Virgo à D. Bernardo jure vocata est : *Primo genita Redemptoris filii sui.* Jure primogenituræ habuit primitias Redemptionis, consequenter per nobilitatem & antecedentem redemptionem fuit præservata.

Plus adhuc dico cum Theologis, quorum in medium profero discursum. Non solùm Maria fuit præventa, ne laberetur, præservata, ne peccaret; sed in super teneo, quòd extra periculum lapsus fuerit posita, nec ullam contraxerit unquam obligationem erga peccatum originale.

Est ingens discrimen inter peccatum originale, & inter obligationem, quæ nos subjectos constituit huic peccato. Peccatum originarium est quædam macula habitualis inhærens filiis Adæ, derivata à peccato actuali proto plastis constituti à Deo ad hoc, ut esset caput morale hominum universorum.

Obligatio contrahendi peccatum originale, est quædam subjectio totius posteritatis Adæ, præsupponens pactum inter Deum & Adamum initum, valiturum non solùm pro ipso, sed omnibus simul descendentes ex ipso. Clarius rem explicando: dicta obligatio contrahitur per generationem naturalem, quæ nos scribit filios & hæredes infelicitatis Adami.

Ecclesia vult, & ordinat, ut publicè è cathedra doceatur Beatissimam Virginem originaria labe non infectam, simulque expresse prohibet contrarium populo denuntiari. Pro obligatione erga peccatum stant plerique Theologi, asserentes Deiparam labem primordiale incursum, & lapsuram fuisse aliorum more, nisi Deus

eam per amorem singularem prævenisset : *præveniende lapsum, ne caderet.*

Sententiam ego meam libentissimè conformo illorum Doctorum opinione, tenentium, quòd sacratissima Virgò nec contraxerit peccatum, neque obligationem ad idem. Ratio est, quòd Maria sit quidem filia Adæ susceperit carnem ex massa Adami, non tamen extracta, aut fundata super Adamum.

Procreparens noster subsistere poterat cum universa filiorum suorum posteritate, etsi Maria nunquam extitisset, quia hæc Virgo pro Christo solùm procreata, ac eâ ratione supra ipsum stabilita, tamque arctâ dependentiâ cum ipso, ut sine ipso nunquam fuisset. Sic, quemadmodum sanctior Theologiæ doctrinæ tenet; si Adam non peccasset, Verbum Divinum non esset incarnatum, consequenter neque tunc Christus extitisset, saltem vi decreti in scriptura nobis manifestati; quòd si verò Christus nunquam habuisset existentiam, istâ pariter Maria caruisset. Nobilissima hæc creatura abscondita latitasset in puræ possibilis statu, non prædestinata & ordinata nisi per decretum posterius ad prævisum Adami lapsum, per decretum sc. respiciens Verbi Incarnationem.

Conceptus hic est melliflui Doctoris, & sapientissimi Idiotæ per apostrophem Beatissimam Dei matrem sic alloquentium : *Ad hoc solùm effecta es, ut templum esses Dei altissimi*, pro illo statu humiliationis, vel Incarnationis ipsius.

Quo magis elucescat sensus allatorum modò verborum : *ad hoc solùm effecta es*; considerate, quòd populi nunquam sublimes erexissent obeliscos, triumphales arcus, superbas pyramides, aliave monumenta posteritatis

avo consecrâssent; nisi eorū principes gloriosas de suis hostibus victorias retulissent, n̄ rediissent è præliis devictorum spoliis onerati, & ornati; ita ut tam magnifici sumptus præsupponant cruentos conflictus ac victorias, qui minimè fuissent impensī, nisi ad coronandos victores gloriose triumphantes. Sic, inquiunt isti PP. Deus nunquam perlustrâsset reconditos Divini intellectūs, suarūque inibi divitum idearū thesauros, ad educendam inde tam magnificam creaturam, tam rarum opus suæ omnipotentix; nec tantam, tamque liberalem fecisset profusionem suorum donorum supernaturalium & gratiarum, nisi producere intendisset dignam Christo, filio suo matrem. *Ad hoc solum effecta es.*, id est pro illo duntaxat, à quo fuit producta.

Quantūvis ea esset filia Adam, super Adamum tamen nec fundata, nec firmata fuit; siquidem Maria non esset sine Christo, cum quo adeò stricto colligata vinculo fuit, ut nec abinvicem separari, imò nec una pars sine altera considerari possit. Christus conceptus ex Maria, Maria concepra est propter Christum. Christus esse non vult nisi per Mariam, Maria esse nequit nisi propter Christum. Christus est author omnium bonorum naturæ & gratiæ, quæ Maria possidet, ipse solus est, qui illam sustinet, & sustentat: & Maria tota spectat ad Christum, omnino prorsus tempore est ipsius possessio & dominium.

Istud est, quo plures famâ & doctrinâ eximii Doctores, acres gloriæ Marianæ æmuli, ac subtiles immaculatæ puritatis defensores propugnant, quòd non solum labe originariâ fuerit exempta, sed obligatione insuper eam contrahendi, quòdque semper fuerit quasi separata ab Adami posteritate, cum in pacto comprehensa non sit,



quod Deus cum Adamo iniit pro illo, & omnibus ab illo descendentibus.

Pactum itaque istud non respiciebat nisi eos, quos Deus prævidebat, debere nasci in hoc primo ordine, independente à decreto Incarnationis Verbi. Virgo iis minimè accensenda, siquidem non extitura, si primus duntaxat ordo, primum solummodò decretum à Deo emanasset, utpote esse suum habitura non nisi per decretum Incarnationis Verbi, factum post prævisam jam Adami ruinam.

Hic discurrendi modus Dei Matri ad eò perhonorificus nil prorsus demit obligationi, qua devincitur ipsa cum suo Filio, neque obest, quò minus illa sit Filia ejus, cujus mater est, nève participare dicatur de Redemptione sui filii. Imò probat potius contrarium, arctioris scilicet obligationis cum Christo vinculum præ reliquis, cum eidem sit devincta non tantum ob gratiarum dona, sed insuper nativitate titulo, quæ non evenisset, nisi Christus, ut Redemptor in mundum advenisset.

Ecce primam eminentiam fundamentorum sacræ istius Civitatis Dei, quæ injecta sunt fundo penitus defæcato, illimi, prorsus Divino. Elevatio istius fundi, qui est ipsa sanctitas, & meritorum Christi majestas tutavit & muniit hæc fundamenta ab universali illa & infausta Oceani eluvione, quâ omnes fluctibus peccati originalis sumus involuti; *Quia ipse super maria fundavit eam.* Inconcussa firmitas fundi hujus securitatem præstitit illis ab hoc casu & communi omnium filiorum Adæ interitu. *Fundavit eam in æternum.*

Psal. 23. 2.

Psal. 47. 7.

Quapropter idemmet Regius Vates, ut hæc omnia tamque excellentia prævidit privilegia, asserere non dubitavit.

bitavit, istam Maximæ Regis residentiam cum gaudio totius orbis fundantam; *Fundatur exultatione univærsæ terræ* Psal. 47. 2. *mons Sion, Civitas Regis magni.* Ad est, uti Ecclesia Catholica explicat: *Conceptio tua Dei genitrix gaudium annuntiavit universo mundo.*

Hæc prærogativa immunitatis sc. à labe originali tam gloriola & pretiosa est, ut si Deus Mariæ ante suam procreationem optionem obtulisset, aut concipi sine peccato, aut mater Dei fieri, eligeret, ipsa mox renunciasset Augustali prædicato potius Divinæ maternitatis, quàm ut consentiret infectioni originariæ noxæ. Obiter hic nobis observandum, digito monstrat ista electio, quale nos concipere & fovere oporteat odium in peccatum; si enim ad comparandas, eminentissimas dignitates, quæ creaturæ obtingere possunt, consentire, nec licet, nec decet minimo etiam peccato veniali, quantò magis rationi congruat, necesse est, cane & angue odisse vehementius peccatum, quando idem nil præter fictitium ambitionis splendorem ostentat, nil promittit nisi inanem divitiarum umbram, aut falacia illecebrarum blandimenta.

Ratio verò electionis, vi cuius Maria renunciasset potius ineffabili huic maternitati, quàm ut consensisset peccato contrahendo, desumitur exinde, quòd enorme malum istud creaturæ consistat in odio Creatoris erga ipsam. Nullum est omnino bonum, cuius jacturam non prius toleremus, nec malum, quod non lubenti animo potius sustineamus, quàm ut nos per peccati consensum constituamus triste objectum odii Divini.

Veneremur proinde purissimam hanc Conceptionem intaminatæ Dei Genitricis puritate vitæ & morum nostrorum integritate: præfervens corda pariter nostra  
ab omni

ab omni inquinamento peccati. Recordemur in occasionibus colendi Beatissimam Virginem, modum eidem acceptissimum esse, si per imitationem innocentiae & sanctimoniae vitae illius nostram conformare studeamus.

Sed ad propositum redeamus, & perspecto jam primo horum fundamentorum privilegio, quod nimirum in fundo puro & immobili fiat stabilita, progrediamur nunc in altera parte ista ad contemplandas opes & divitias eorundem fundamentorum.

II.  
Punctum.

Consuetudo ferè apud omnes nationes est recepta, quòd dum magnificum templum aut splendidum quoddam palatium extruere, moliuntur architecti, in inum fundamenti deponant nummum ex auro vel argento certis & illustribus characteribus cælatum, unde posteritas colligat futuris sæculis foundationis tempus, fundatoris conditionem & qualitatem.

Sic pari modo ordinans Deus, ut Maria fieret templum suae sapientiae augustum, prima ejus fundamenta exornavit gratiarum peculiarium divitiis, privilegiorum extraordinariorum thesauris, seu prima vitae Mariae exordia in tantum decoravit, ut constaret omnibus ipsam opus esse praestantissimum Omnipotentiae Divinae.

Exinde delibo solùm quatuor, ejus videlicet impeccabilitatem, plenitudinem gratiarum, perfectum usum, quem ex iis hausit, & splendorem cunctarum virtutum, quæis exornata in puncto nativitatis suae apparebat.

Maria à primo suae sanctificationis momento tenet Lunam sub pedibus suis, quod signum est confirmationis in bono, utpote, quæ non aliorum more ulli erat obnoxia  
mutati-

mutationi. Dominus Deus canit psaltes, *in medio ejus*, Pfal. 45.  
*non commovebitur*: in medio hujus sacrae urbis, cujus ipse  
fundamina locavit, quae idcirco nullatenus unquam com-  
movenda. Ista impeccabilitas sacratissimae Virginis juxta  
opinionem quorundam DD. non est illius instar, quae alii  
sancti in gratia confirmati gaudent; ipsa eidem non est  
extranea & ita loquendo, per modum circumvallationis,  
fundata solum in vigilantia & cura singulari Divinae Pro-  
videntiae: sed est ipsi intranea & intra ipsam, cum con-  
sistat in plenitudine atque abundantia gratiarum, quam  
possidet jure & titulo maternitatis Dei. Dicta confir-  
matio in bono, ait S. Bonaventura, est quaedam similitudo  
& imitatio specialis sanctitatis illius quae anima Christi est  
praedita. Quia sicut humanitas salvatoris possessa per  
gratiam substantialem & increatam Verbi, semper ope-  
rata fuit in hoc ordine, absque eo, quod inde potuerit  
separari: sic cum quadam proportione Maria tali modo  
per istam gratiam singularem Matris Dei fuit possessa;  
gratiam quidem creatam sed commensuratam celsissimae  
huic dignitati; ut jacturam ipsius subire nunquam  
potuerit.

Doctorum pariter opinio est, quod gloriosa Dei pa-  
rens à primo sanctificationis suae instanti sit repleta gra-  
tiarum Divinarum plenitudine. D. Thomas istam ple-  
nitudinem exponit per superabundantiam quandam do-  
norum supernaturalium & per excessum eminentioris  
sanctimoniae supra omnes creaturas sanctificatas. Si ve-  
rum est, prout in controversiam vocari non debet, docet  
S. Laurentius, quod amor Dei erga creaturas sit regula &  
mensura suorum favorum: quia Deus majori ferebatur  
amore in Mariam mox in primo Conceptionis & sanctifi-

cationis ejus momento, quàm erga reliquas universim creaturas; hinc inferendum nobis est, ab illo statim tempore gratias, donaque ipsi concessa fuisse extraordinaria. Portæ sacræ istius civitatis, id est, sanctissimæ Virginis ingressus in mundum, quales sunt Conceptio & Nativitas illius, ardentius sunt amata, pretiosius æstimata, quàm *omnia tabernacula Jacob*, seu, quod idem est, quàm omnes Sancti etiam in altiori sanctitatis suæ gradu spectati.

Ipsa est mons ille, quem in spiritu contemplatus olim fuit Seraphicus Propheta, cujus radix seu pes aquabat apicem reliquorum montium, perfectam sc. consummationem aliorum Sanctorum: *Erit preparatus mons domus Domini in vertice montium.* Angelicus Doctor

Isa. 2, 2.

agnoscit in Maria triplicem speciem plenitudinis bonorum, plenitudinem videlicet sufficientiæ, abundantiæ & demum excellentiæ: primam asserit communicatam Virgini in Conceptione, alteram in Incarnatione: & tertiam denique in toto vitæ ejus decursu; non loquor præterquam de prima, Plenitudo ista sufficientiæ illi concessa fuit, ut dignam se redderet functionibus & augustis titulis, ad quos evecta fuit tanquam mater Dei. Ideirco

S. Greg. in 1.  
Regum, 1.

Gregorius Magnus docuit: *Ut ad Conceptionem Verbi aterni pertingeret, meritorum verticem supra omnes Angelorum Choros ad solium Deitatis erexit.* Quò plures habemus gratias, eò magis accedimus ad elevationem ac puritatem essentiæ Divinæ; & quia Maria debet esse mater Dei, roboratur in anima Virginis à momento ipsius Conceptionis hæc gratiarum plenitudo, quæ eidem tribuere possit eam cum Deo similitudinem & elevationem, quam Maternitas illius exigit.

Addite

Addite, quòd Maria statim ab initio receperit per communicationem alterius privilegii usum suarum gratiarum. Deus in creatione univèrsi produxit primitivas arbores fructibus jam onustas, & floribus coronatas; procreavit Angelos & proto-parentes in statu perfectò, ac exornatos insuper omnibus donis naturalibus & infusis, ad operandum necessariis, ita ut istæ nobiles creaturarum primitivæ defectus & debilitates infantivæ nescerint. Sic ab initio statûs gratiæ ordinavit Deus, ut Virgo benedicta in prima sui sanctificatione, quæ cum vita initium sumpsit, polleret usu rationis ac libertatis; simulque esset in statu posita, quo concessis sibi donis liberè frui posset.

Primus actus quem in vita sua Sacrosancta hæc filiola elicuit, actus erat intellectûs per quem in admirationem abrepta fuit ab excellentias Divinæ Majestatis; innocens ipsius anima non priùs animavit, cui unienda esset, corpusculum, quàm se in profunda perfectionum Divinarum contemplatione humiliasset. Exinde jam cognitionem adeptæ est omnium mysteriorum fidei adeò perfectam, quæ longè omnium Prophetarum de iis notitiam transcenderet; hujus cognitionis sublimitati in primis illis instantibus amoris magnitudo in Virgine correspondit: & quemadmodum Verbum, seu Filius Dei in generatione sui ineffabili redit ad suum Patrem per eandem originem, quam ab eo recipit, eoque revertitur totus amoris igne inflammatus, quem producit cum suo Pater in unitate ejusdem principii: Sic Maria se ad Deum convertit per eam ipsam gratiam quam de manu Divina excipit, ipsamque excipiendo illum adorat, amat veluti principium omnium

omnium suorum bonorum amore adeò succenso, ut is seraphinorum excedat flammam.

Job, I, 22.

Denique Maria nec concepta, neque nata plangendum cum Jobo ansam arripere potuit: *Nudus egressus sum de utero matris meae.* Siquidem jam hodie apparebat eo omnium virtutum splendore decorata, qui vinceret fulgorem virtutum, absolutæ etiam consummationis in aliis Sanctis.

Psal. 86, 2.

*Gloriosa dicta sunt de te Civitas Dei.* O! Civitas admirabilis Omnipotentis, sacra domus, tabernaculum Dei viventis magna sanè & mirabilia nobis de te sunt annuntiata. Etsi omnium creatorum spirituum mentes meo unirentur intellectui, licet, os meum linguis hominum & Angelorum omnium instrueretur, nunquam tamen complecti animo, ore possem explicare illius majestatis excellentias, quas Virgo in primis suis exordiis possidet. Indigerem sæculis propè infinitis, si evolere, & luci committere vellem insueta miracula, quæ in primis Conceptionis Marianæ instantibus patrata fuisse, constat.

Millies itaque beata, ô Cæli filia, primum tuæ vitæ momentum est undiquaque purum! beata viscera Sanctæ Annæ, quæ non concipiunt parvulam, peccati labe infectam, sed objectum longè amabilissimum, & oculis Dei dignissimum, cui simile in terris nusquam apparuit! felix instans, quo incipit tempus gratiæ! faustum momentum quod Angelis principem, justis magistram, peccatoribus advocatam, Deo matrem largitur! Utinam fortunatum hoc momentum, ô filia benedictionis, ô honor & decus nostri sanguinis ô gloria nostri stemmatis æternum honoretur communi est publico tam hominum quàm Angelorum gaudio! Sed ad nos ipsos retorqueamus stylum. Certum est, nos ingenti malo isti obnoxios fuisse, utpote funda-

fundatos in terra exitiali culpæ, quos primum nativitatis nostræ punctum aspexit peccati macula inquinatos, ac tristibus ruinis veteris Adami involutos. Sed misericors Deus pietate suâ nos restauravit, & restauratis in regeneratione nostra spirituali donavit nobis fundamentum opulentissimum & pretiosissimum, quod D. Pauli testimonio est Fides: *In fide fundati.*

Colof. 2. 23.

Idem prædicatum Apostolus hic attribuit, quando fidem definiit; eam vocando fundamentum, basin, columnam, fulcrum omnium mysteriorum statûs supernaturalis: *Fides est sperandarum substantia verum.* Fides ista Heb. II. 1. infusa est cœlitus animabus nostris, quam primum sanctificati sumus, fundamentum eximie admodum nobilitatis, cum sit qualitas supernaturalis, donum Sancti Spiritûs, effluvium quoddam, ac radius Divinæ Sapientiæ, sitque sociata Spei, Charitati, aliisque virtutibus infusis. Est fundamentum valde dives, eoquod eminenter contineat non solum omnes virtutes sed universos insuper gloriæ thesauros, sicut arbor, ejusque fructus inclusi sunt in nucleo. Est fundamentum valde pretiosum, quia id est Christus Jesus, homo novus, qui incipit se formare in nobis: *Donec formetur Christus in vobis.*

Gal. 4. 19.

Stabilitâ hâc veritate, affirmo, quod fundamentum duas res designet: primò, ordinem ac relationem ad ædificium, siquidem ponens fundamentum testatur, quod inibi subsistere nolit, sed altius structuram erigere intendat. Secundò, fundamentum, proportionem cum ædificio indicat; quando illud admodum profundè & magnificè locatur, servire debet regiæ habitationi, templo aut cuidam palatio.

Deus in nostra regeneratione dedit nobis fidem tan-



quam fundamentum in eum finem, ut supra fidem istam ædificemus, & erigamus ædificium Christianæ perfectionis: fundamentum hoc est nobile; supernaturale; proinde necessarium erit, ut vita & vitæ nostræ actiones eidem innixæ, & superstructæ æquè sint nobiles, supernaturales ac Divinæ.

Duo nobis hæc insinuant, in quibus nos oportet imitari immaculatam Dei genitricem. Primò considerate, quâ ratione incessanter ipsa se occupet in elevatione & erectione horum fundamentorum, id est, quomodo supra gratias extraordinarias, de quibus mentionem fecimus, imponat opus suæ sanctitatis, ac sublimis istius perfectionis, ad quam Deus eam destinârat. Quæ fidelitas, qualis fervor, quanta sollicitudo & applicatio diu noctûque augendi suam gratiam, semper suas perficendi virtutes. Argelicæ mentes, ob adedò rarum progressum & perfectum, ab illa factum non modico stupore percussi, admirabundi exclamârunt; *Qua est ista, qua progreditur quasi aurora consurgens?*

Cant. 6. 9

Secundò considerate, quomodo omnes virtutes & actiones illius sint proportionatæ intentionibus, quas ea conceperat Deus, qua intentione cooperetur eminenti huic gratiæ, quæ ipsi concessa. Quando precibus vacat, talem fundit orationem, qualis decet matrem Dei: humilitas, patientia & modestia, uno verbo, omnes ejusdem virtutes sunt congruæ dignitati matris Dei. Hanc imitemur in duobus istis punctis.

En, quæ nobis veluti Christianis instillare volui documenta, sed respiciendo vos tanquam devotos Augustissimæ cœlorum Reginæ clientes, insuper admonéo, quòd nim. beatissima Virgo sedem fixerit in cordibus vestris,  
ut ibi

ut ibi sit fundamentum, aut radix novæ cujusdam vitæ. Spiritus Sanctus duas nobis suggerit aptas præsentis materię doctrinas. Prim est, quòd Deus ordinavit, ut beatissima sua mater habitet, ac radiceet in cordibus suorum prædestinatorum. *Qui creavit me, nequievit in tabernaculo meo, & dixit mihi: in Jacob inhabita, & in Israël hereditare & in electis meis mitte radices.* Eccli. 24 12

Secunda, quòd Beatissima Virgo juxta præsentis Dei ordinationes se stabilierit, & radicavit in animabus electorum: *Et radicavi in populo honorificato, & in plenitudine sanctorum detentio mea.* ibidem.

Felices ergo Christiani isti, qui Mariam conceperunt & in quibus ipsa suas radices misit, his Theologi signum æternæ Prædestinationis adscribunt; necesse tamen est, ut devotio illorum sit solida, quæ habeat trinam conformitatem cum bona quadam & viva radice, Primò radix sub terra lateret recondita; pari modo oportet, ut æquæ eorum devotio non sit merè extranea ac superficialis, sed potius interna.

Exempli gratia: precum devotio non hæreat in manibus dunctaxat, volvendo Rosarii globulos; nec in labiis solù subsistat, recitatio elegantes ad Dei parentem orationes; neque exteriùs tantùm se ostendet, deferendo scabulare; aut corpus solum afficiat, & affligat, jenuando diebus sabbathinis; sed in fundo cordis priùs sit stabilita devotio, necessarium est, per amorem quendam filialem. per ardens desiderium eidem serviendi, ejus gloriam procurandi, & per amabilem confidentiam erga illius maternam protectionem. Secundò requiritur, ut, sicuti radix se illigat, & affigit per suas fibras humo, quò magis obfirmata irruentibus resistat ventorum & tempestatum turbini-

turbibus; sic ejusmodi pariter devotio devinctum teneat cor Christiani cum corde Mariano per ferventium desideriorum ac piorum affectuum vincula; ita ut unio sit reciproca, Maria radicata sit in corde devoti sui clientis, & cor clientis sit radiratum in Marianis visceribus: ne unquam tentationum procellæ, aut adversitatum tempestates amoveant, seu impediunt ipsum ab obsequiorum suorum penso Divinæ suæ Dominæ exsolvendo.

Tertium, quod devotio ista exigitur, est, ut quemadmodum radix se vivere ostendit, foras si prorumpat, germen emittat, flores aut fructus parturiat; sic etiam ista devotio fecunda sit, oportet, in proferendis frugibus virtutum, quarum pulcherrima hæc Virgo sanctissima nobis reliquit specimina. Eiusmodi dotibus ornata devotio nostra characteristicam erit infallibilis gloriæ æternæ, quam vobis omnibus cordialiter exopto in nomine Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.



PRO NATALI DEI  
IN STABULO  
BETHLEHEM CON-  
VERSI.

*Tu conversus vivificabis nos: & plebs tua letabitur in te. Ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis. Psal. 84. v. 7. 8.*

**N**idetur, sacra quædam æmulationis contentio Omnipotentiam inter, & Amorem Dei se pro-  
dere, cuius majora adscribamus miracula, vel illi in creatione, vel isti in reparatione hujus universi. Omnipotentia Dei mentem nostram in admirationem trahit mediantibus oculis, quibus tot, tamque paradoxa circa creaturas à se in mundo patrata, proponit. Amor hodie conatur æquè animum & cor nostrum surripere per oculos, iis objiciendo in stabulo Creatorem, novum esse à sua creatura, novamque vitam recipientem. Amor vult apparere admirabilis, per vias profus contrarias viis Omnipotentia propriis. Hæc stupore nos replet ob magnitudinem & majestatem suorum operum: ille in admirationem inducit, nosque suspensos reddit, demonstrando Immensitatem Dei, coarctatam intra angustos infantilis corpusculi limites, Omnipotentiam debilitatis schemate amictam, æternum in tempore natum. Tuam  
Bbb rogo

rogo sententiam, popule Christiane, circa præsens spectaculum, an non Amori præ Omnipotentia triumphum deberi adjudicas, cum is in suis mirabilibus sit omnino incomparabilis?

O quam admiror ego longe magis Deum nascentem Deum parvulum, Deum in sinu matris ligatum, & Virginem aliquam fecundam, quam Deum educentem è nihilo hoc universum, quam sustinentem tribus digitis molem terræ! Præsepe, quod ei pro incunabulis deservit, majorem promeretur admirationem, quam Cherubicus ipsius thronus: muta illa duo animalia, quæ pusionem istum sui halitus insufflatione foveat, magis me movent, quam omnes Angelorum myriades, quibus idem in cœlesti curia stipatur. *Venite, & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram.* Venite ergo, fideles animæ, subite mecum Bethleemiticum stabulum, quò magis admiremini inaudita hætenus Divini Amoris miracula.

Psal. 49. 9.

Ex cunctis mirabilibus, quibus istud mysterium redundat, unum duntaxat eligo, quod tamen ferè omnia in se complectitur; conversionem sc. , quam Christus venturus in mundum, ipse primus auspiciatus fuit, propter conversionem aliorum hominum: quo in statu eum David considerat: *tu conversus vivificabis nos.* Deus proinde in stabulo Bethlehemi erit discursus hodierni obiectum, & nò fallor, motivum majoris efficaciam ad conversionem cordium nostrorum, quam universa mala peccatoris à Deo maledicti, quem per Adventum è cathedra vobis exposui. Si funesta & execrabilis illa conversio Christiani inferorum ergastulis mancipati, quem in ultimo discursu Adventus coram spectandum vivis coloribus adumbravi, corda peccatorum penetrare nequit; spero,

Psal. 84. 7.

spero, quod summè amabili hâc Dei conversione ea sint expugnanda. At, quia non tantùm mirari, sed eò insuper conatus nostros adhibere, debemus, quatenus filium Dei conversum imitemur, conferamus nos priùs ad matrem admirabilem, ad matrem, inquam, *pulchra dilectionis*, in cujus materno sinu conversio ista primum initium sumpsit, postquàm Angelus Domini nuntiavit Mariæ dicens: *Ave Mariæ.*

S. Petrus Chrysologus capere nequit, nec immeritò, cur Prophetæ in ferventibus suis desideriis, & ardentibus, quibus cælum pulsabant, precibus, ac postulabant à Deo adimpletionem mysterii Incarnationis Verbi, & Nativitatis Christi Jesu super terram, Deum ordinariè adjurarent dignetur, se convertere: *Convertere Domine usquequo*, Ah Domine, suspirabat David, quandiu homini iratus, *cris nobis contrarius? Convertere Domine, ostende faciem tuam, & salvi erimus. Utinam*, ignitum Seraphici vatis erat votum, *Dirumperes cælos, & descenderes . . . Convertere Domine, propter servos tuos.* ò si placeat adorandæ tuæ Majestati, se usque ad nos demittere! ad quod tamem necessariò prærequiritur, mi Deus, ut convertaris priùs erga nos, *convertere Domine.*

Quidnam itaque prætendunt isti Prophetæ, quarit S. Petrus Chrysologus? Sanctus Sanctorum, per naturam impeccabilis, sicut perversionis non est capax, ita nec conversione opus habere videtur; fructuosius laborarent hi Prophetæ, suas acuendo investivas in peccatores, eorumque maturando conversionem.

Erratis, opponit David, adverto, vos non capere, quod latet mysterium: converti siquidem non possumus, nisi Deus prior se converterit; *Convertere, & convertar.*

Necesse est, ut Deus conversus nos convertat, vitamque gratiæ communicet: *Tu conversus vivificabis nos.*

*Pfal. 84. 7.*

Denique tamdiu exoratus, atque sollicitatus Deus non tam per Patriarharum & Prophetarum vota, quam per proprium suum amorem, promittit per Jeremiam:

*Jerem. 12. 15. Convertar & miserebor.* Promissum istud hodie videmus opere completum.

*Pfal. 45. 8.*

**DIVISIO.**

Reverà ait S. Petrus Chrysologus, videte, comprehendi nequit, & quod exposcit, ut cælum & terra obstupescant: *Venite & videte prodigia; homo peccat, & Deus convertitur.* O stupenda conversio! *De Deo convertitur in hominem, de iudice in Patrem, de irato in clementem, aut melius dicamus, de offenso in pœnitentem.* Convertit ille se erga nos modo ineffabili; ex Deo fit homo, ex iudice pater, ex Deo offenso pœnitens Deus. Prima conversio provocat nostram admirationem; Secunda exigit à nobis tributum laudis & benedictionum; Tertia vult habere nostram imitationem. Triplex hæc conversio materiam suppeditat tribus punctis pro meditatione festis hæc diebus instituendâ, simulque sermoni meo divisionem tribuit.

**I.**  
**Punctum.**

Prima conversio seu objectum admirationis nostræ est *de Deo in hominem.* Ubi notandum, S. Patrem non sic intelligendum, quasi essentia Dei immutabilis suberit ullam conversionis speciem, aut mutationem in sua natura, utpote, *apud quem, teste D. Jacobo Apostolo, non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Primò extra omnem controversiam est, quòd absoluta simplicitas & immutabilitas Verbi nil de gloriæ suæ majestate amiserit. Secundò, quòd nihil receperit de novo sibi ad aliquam perfectionem necessarium. Deus quippe existens

istens

istens actus purus, & nunquam in potentia, fieri nequit perfectior aut excellentior.

Et quamvis plures Sapientes Theologi admittant & probent, quòd Verbum in Incarnatione receperit aliquam mutationem, dum Ecclesiam cantare audiunt: *Innovantur naturæ*, suam tamen doctrinam sic limitant, ut eam cum minimo etiam incremento, vel decremento, vel in natura vel in persona sustinere nolint mutationem contigisse! *In homine hominem innovans, & in se immutabilis perseverans.* Sed magnitudo istius mysterii, ut loquitur S. Paulus, consistit in hoc, quòd Christus Jesus, qui æquè Deus est, ac Pater ipsum generans, quique justo titulo suæ nativitatis possidet omnem Divinitatis splendorem, se hypostaticè unierit naturæ humanæ, nihil amittendo de priori esse, accipiendo tamen novum esse. *Non, quod habebat, deposuit, sonant D. Augustini verba, sed quod non habebat accepit.* Vel ut S. Leo explicat; *Nostra suscipiens, propria non amittens.* Tali modo, ut per omnipotentiam suæ vires, & amoris sui cooperationem humanitatem nostram, propriam suam subsistentiam creatam & finitam in Christo Jesu viduatam, fecerit subsistere per subsistentiam infinitam ac increatam Verbi, ita quidem ut Deus sit æquè homo, ac homo sit Deus; & ille, qui procedit a Patre ex ejusdem substantia genitus ab æterno, appareat hodie natus, factus ex substantia mulieris; quod signanter S. Paulus exprimit: *factus ex muliere.*

*Venite, & videte opera Domini;* vel audiamus perhumaniter nos invitantes pastores; *Transeamus usque ad Bethlehẽm, & videamus verbum, quod factum est,* subeamus cum iis stabulum istud, excitemus fidem nostram, & omillis discursibus prolixis, laxemus frena libertati affectuum

S. Leo Serm.  
7. de Nativ.  
Domini,

S. Leo loco  
cit.

Ga. 4. 4.

Psal. 45. 8.

Luc. 2. 15.



cordis nostri, detegamus latentem sub velamenti infantilis hujus corpusculi, infinitam Dei nostri majestatem.

Joan. 20. 28. Exclamemus cum Thoma Apostolo : *Dominus meus, & Deus meus!* Imò hic ipse parvulus est Deus meus, Creator meus ac verè supremus Dominus meus. Is qui lachrymas fundit est gaudium meum, ejus debilitas est fortitudo mea, ejusdem egestas thesaurus meus, parvulus infans sed simul maximus Deus, adoro te ut Deum, amo te, amplector te, adstringo te pectori meo, ut infantem Divinitus mihi concessum. *Parvulus datus est nobis.*

Isa. 9. 6. Sed præ omnibus indulgeatis, obsecro, paululum temporis considerationi mirabilium, quæ Deus propter sui erga hominem conversionem patrat. Peccatum infinitâ distantia hominem sejunxit à suo Conditor, adeoque erat impossibile, ut creatura creatori sociaretur; necesse proin fuit, sibi soli relictum hominem jugiter in hac infinita à summo bono persistere elongatione, in perpetuo perdurare exilio. Sed Deus miseratione commotus homini appropinquat, ipse se abjicit, ut eum conveniat, & inveniat, seque illi arcè uniat : *Vos, qui aliquando eratis longè, facti estis prope;* observavit pridem S. Paulus. O Deus ! qualis appropinquatio, qualis hæc condescendentia ! cum in præsepi isto, in persona infantis istius intueamur tam dispares naturas, in uno supposito conjunctas.

Hic amabilis Dei ad hominem reditus, hæc conversio erga nos, qui merebatur, esse objectum aversionis ipsius æternæ, est excellens effectus & operatio misericordiae nobis per Jeremiam promissa : *Convertar & miserebor.*

Ah!

Ah! popule Christiano, quomodo possibile erit, ut Divina majestas tanta operari dignetur prodigia, ut nobis propinqua fiat, ubi nil aliud reperit, præter sui abjectionem suæ magnitudinis annihilationem, *semet Philip. 2. 7. ipsum exinanivit*; nos è contra nil agere velimus, ut Deo appropinquemus, ubi tamen adeò copiosè invenire licet, gloriam, honorem, pacem, quietem & summum nostrum bonum?

Deus, ut ad nos se converteret, abdicat quodammodo à se suum esse, in tantum, ut renuntiet juri legitimo suæ justitiæ, & prærogativæ suæ Majestatis; nos verò cedere renuimus à nihilo creaturæ, ubi nihil est, nisi vanitas, afflictio, labor & inquietudo?

Cur quæso, pensate fratres mei, ait Origenes, se adeò deprimit Divinum Verbum, ob quam causam se convertit ad carnem, & erga hominem? *Ad hoc Verbum descendit in carnem*, respondet hic Doctor, *ut caro ascendat in Deum*. Si nos igitur ad Deum non erigimus, mundo, carni nuntium non remittimus, imò, nos ipsos non abnegamus, peccamus contra finem principalem Mysterii, quod colimus.

Quòdnam autem magis admirationem movere debet, num amor excessivus Dei se convertentis, & hominem induere volentis, num potiùs ingratitude, malitia, stupiditas hominis se convertere renuentis, qui que respuit, Deo fieri similis, & per ejus gratiam adoptari in filium Dei, sed potiùs eligit in cæno suæ turpitudinis volutari instar porci, per vitam terrenam & animale, aut obstinatus esse demon, per suam malitiam? En primam conversionem Dei *de Deo in hominem*, sequitur altera,

tera, quam S. Petrus Chryfologus proponit, *de iudice in Patrem*.

II.  
Punctum.

Deus, commentatur Tertullianus in libro de Pœnitentia, est obligatus vi innatæ sanctitatis suæ essentiæ æquè ad vindicandum, & plectendum malum, ut iudex, ac ad præmiandum bonum, ut remunerator, unde infert idem Doctor: *Omnis iniquitas sive parva, sive magna sit, puniatur necesse est, sive à Deo vindicante, sive ab homine pœnitente.* Christus Jesus in quantum est Dei filius, recepit, à Patre suo cœlesti omnem iudicandi potestatem: *Omne iudicium dedit Filio.*

Joan. 5. 22.

Peccata quidem nostra ipsum constituerunt iudicem sed amor illum mutavit, quantumvis immutabilen in patrem mansuetum, bonitate & misericordiâ plenum: *de iudice in patrem de irato in clementem.* Tunc itaque, quando sol radiorum suorum lucem dispertit, non nisi idololâtris quando terra nutriit non nisi sacrilegos, Deus huc ad nos descendere decrevit. O Deus! quid est, quod agis? si hoc, perijimus miseri, filii perditionis, quid enim aliud invenies super terram præter odii & iræ tuæ objecta? Minime, nil subest quod vereamini, Deus siquidem conversus venit in mundum: *Non ut iudicet mundum, sed, ut salvetur mundus per ipsum.*

Joan. 3. 17.

Cujus mentem talia unquam subire potuissent? in silentio profundæ noctis, magis per malitias nostras denigratæ, quàm per tenebras ei connaturales, quando totum humanum genus, vitiorum lethargo obrutum, indormivit; ecce, Angeli adsunt lætissimi nuntii, pacem nobis denuntiaturi: *Nolite timere, ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum.* Hoc est, quod admirandi præbuit causam D. Paulo: *Eramus, ait is, aliquando & nos insipientes, incre-*

Luc. 2. 10.

incre-

*increduli &c. Benignitas & humanitas apparuit salvato- Tit. 3. 4.*  
*ris nostri.*

Idem Iſaias ut prævidit, gaudii excessu in extasin  
 quasi raptus, se explicare nesciebat: *Confitebor tibi, Domi 1ſa. 12. 1. 2.*  
*me, quoniam iratus es mihi, conversus est furor tuus, & con-*  
*solatus es me. Ecce, Deus salvator meus. fiducialiter agam,*  
*& non timebo; Deus factus est mihi in salutem.*

Istud igitur non est tonitruum illud Divinæ ver-  
 tici nostro imminens, est vox jubilationis per organa &  
 ora omnium Prophetarum resonans: *Consolamini, conso- 1ſa. 40. 1. 2.*  
*lamini popule meus ... loquimini ad cor Jerusalem, quoniam*  
*completa est malitia ejus, dimissa est iniquitas illius; suscepit de*  
*manu Dei duplicia pro omnibus peccatis suis.*

Quis discurrendi modus! oportet, ut præditus sit  
 bonitate quâdam omnino Divinâ, qui tali discursu utitur:  
 quandoquidem vos excessivè ingratos, & malitiosos vos  
 erga me exhibuistis, excessivam in vos bonitatem econ-  
 tra exercere intendo; & quàmvis peccata vestra à me,  
 ut judicem vobis submittram, extorquere laborent in vestri  
 condemnationem, nihilominus volo mittere filium  
 meum tanquam Redemptorem pro salute vestra: *Quo Ibidem.*  
*niam completa est malitia ejus, dimissa est iniquitas illius.*  
 Nè miremini insuetum alioquin ratiocinandi modum,  
 est quippe sequela nova, ex conversione Dei desumpta.  
*Convertar, & miserebor.* Qualis hæc conversio! Filius *Jerem. 12. 15.*  
 Dei qui consideratus in sinu Patris æterni ab Jeremia ru-  
 giebat leonis instar contra hominum iniquitates: *Domini-*  
*us de excelsis rugiet;* collocatus in Virgineo matris sinu,  
 immutatus, ex leone factus est agnus: in nativitate sua  
 æterna furore succensus candebat, in temporali verò na-  
 tivitate furor iste fuit dulcoratus. Exinde, quo lacte Ma-

riano potatus, lac illud omnem iræ ipsius amaritudinem vertit in dulcedinem, nec fovet amplius alias quam cogitationes pacis. *Ego cogito cogitationes pacis, & non afflictionis*, inelamat nobis per os Jeremiæ Rex pacificus noster.

Quapropter speciali jure donamus Mariæ titulum matris Misericordiæ: ea quidem, tanquam mater Christi, reverà mater Omnipotentis, Sapientis & Justitiam dicitur, peculiari tamen ratione vocanda mater Misericordiæ, eoquod ad Deum reddendum misericordem alio modo concurrerit, & contribuerit, qui non erat ante Incarnationem, *misericus dicitur miserum cor*, etymologia est Angelici Doctoris. Ob hanc causam quidam SS. Patrum misericordiam compellat *callactaneam Christi*, fororem lactis Christi Jesu.

Psal. 45. 8.

*Venite, & videte opera Domini.* Venite ergo, & admiramini has tam amabiles conversiones; qui olim audiebat terribilis Deus, Deus fortis, Dominus Deus exercituum, nunc apparet, & est Deus parvus, Deus infans, Deus pacis.

Videor mihi oculis quasi intueri amabilem hunc Jesum, dum recumbit in sinu suæ Matris, & in throno misericordiæ suæ requiescit, ubi mutat & rescindit priora sua decreta, ubi condemnat, ut, quos ante Divina justitia ignibus suæ vindictæ consumendos, adjudicarat, cederent in pabulum flammis pretiosis, ardentissimi sui Amoris. Quid vobis videtur, quærit Ennodius, cum enim tanquam malefici jure essemus plectendi, non poteramus nobiliori modo condemnari? *Nullum genus est damnandi sublimius, quam illud, quod nos Amori subjicit.*

Interea dum istud præsepe accedere paratis, contestaturi, quod approbetis hoc decretum, interim, usque dum

dum subscripseritis tam favorabili sententiæ, progrediar ego ad tertiam conversionem, seu tertiam partem præsentis discursus.

Tertia Conversio Dei est *de irato in clementem, de offenso in penitentem.* Videte, monet Venerab, Abbas Cellensis, quomodo Christus Jesus, ad formam Regis Nive volentis impendentem populo suo interitum amoliri, è throno suo surgit, vestimenta gloriæ suæ abjicit, cilicinum habitum induit: *surrexit de folio suo, exiit se vestimentis gloriæ, indutus cilicio, deposuit fortitudinem, circumdatus infirmitate.* III.  
Punctum:

Vel etiam dicamus cum S. Cypriano, aut per vetusto authore illo de operibus Cardinalibus, quòd Christus Jesus personam penitentis assumendo, obscurârit fulgorem Divinitatis suæ, obvelârit radios suæ majestatis sacco mortalitatis nostræ; *sacco mortalitatis indutus*, si myrrha est penitentiae symbolum, & mortificationis emblema, quam appositè hic amabilis in sinu matris suæ repositus pulvis vocari potest, *Fasciculus myrrha*, eique in vicem lemmatis subnecti: *Fasciculus myrrha dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.* Cant. 1. 12 Est præstans quoddam compositum ex myrrha penitentiae; quid enim requiritur ad perfectam penitentis exhibitionem? Tria, communiter responderetur, confessio, dolor, satisfactio; tria hæc in nascente Jesu reperiuntur unita.

Verum quidem est, quòd Christus in primo suo in mundum ingressu, in primo vitæ suæ momento penitentiam egerit; hæc tamen fiebat in secreto, intra maternorum viscerum claustra, at hodierna die publicè ipsam instituit; quem in sinem stabulum mutat in templum, præsepe in altare, altari proinde huic impositus simili ferè

modo Patrem suum pro nobis interpallat: Pater mi testes, eelum & terram invoco, quòd sim paratissimus ad recipiendam in me satisfactionem & reparationem, Divinæ tuæ justitiæ debitam: hinc me sisto nudum, tremebundum coram facie tua, ut pro peccatoribus satisfaciam; Penetrate, quæso, in cor Christi, id invenietis præ doloris vehementia penitus ruptum; frigoris nimius rigor non est, qui has, quas fundit, lachrymas provocat: *Plorat quippe Christus sed non sicut ceteri*, advertit S. Bernardus, *aut saltem non quare ceteri; illi ex passione, iste ex compassione, vel compunctiõne.*

Quòd si aliquoties observeris Divinum hunc infantem inhibere clamorem, siltere lachrymarum cursum pro eo tempore, quo mater lac ex uberibus suis sugendum propinat; sciatis, in causa esse solatium simul exinde haustum, cum cogitatione: lac istud per os venis meis influens in sanguinem brevi commutabitur, pro hominum noxis profundendum: *pro peccatis lachrymas fundit, pro quibus & sanguinem fundet.* Conceptus & verba sunt Collactanei Christi, D. Bernardi. Ut pro peccatis nostris satisfaceret elegit pro sua nativitate rigorem, aliæque incommoda hyemis. Quidam Theologi, & SS. Literarum interpretes in expositione verborum D. Pauli; *Proposito sibi gaudio, sustinuit Crucem*, tenent, quòd Pater æternus optionem dederit Christo ducendi super terram vel vitam jucundam, honoribus & delitiis affluentem, vel valde austeram, doloribus, ignominis referam; nihilominus tamem ille prætulit Crucem gloriæ, spinas rosis, contumelias triumphis; hanc verò factam esse electionem adstruunt non solum prope mortem in Cruce, sed in primo mox vitæ instanti, quo jam comparere voluit in  
stata

Heb., 12. 2.

statu rigoroso Martyrii ; *Christus in praesepio reclinatus legem Martyrii praesegebat*, ut annotavit Cardinalis Petrus Damiani. Statuit, ut frigus & immites venti primi essent è suis tortoribus : & quare ? nisi ad expiandas illegitimas hominum voluptates & noxas, quas mediantibus suis sensibus contraxerunt.

Quidnam ergo poterit ulterius exigi ad perfectam poenitentiam, quod desideretur in Christi nativitate ? laet in caverna sua instar poenitentis, siquidem stabulum nil aliud est, quam spelunca subterranea ; carne nostra veluti sacco cilicino est amictus, docent SS. Patres, Anima ipsius est tristis, mens afflicta ex intuitu delictorum nostrorum, cor præ doloris magnitudine disruptum. Veluti poenitens patitur, se cruciat, suum corpus subicit poenitalitati & labori. O fratres mei ! Lamentatur D. Bernardus : *Lachryma Christi mihi pudorem pariunt & dolorem*. Utinam & mihi lachrymæ Christi, quæ genas tenelli istius infantis rigant, confusionem ac dolorem afferrent ! confusionem quidem, siquidem Christus, ipsa innocentia in primo statim in mundum ingressu apparet poenitens, simul & semel poenitentiam cum vita, vitam cum poenitentia exorditur : nos autem in plurimis culpabiles, nos, inquam morti admodum propinqui, qui jam pedem in sepulchri fovea hærentem tenemus, necdum poenitentiam agere incepimus. Confusionem dico ; Christus Jesus, unicus æterni Patris Filius se humiliat, tremit, publicam coram omnibus poenam & poenitentiam subit ; nos e contra maledicti peccatores continuamus damnatam nostram superbiam. Christus Jesus laborat è suis tantum lachrymarum profundere oculis, quo ardentem Divini furoris flammam restinguat, nos oleum



igni affundimus, iram Dei continuatis peccatis vehementius accendimus. Confusionem, adhuc semel repeto: *Quaecunque de illo sunt, clamant, prædicant, evangelizant.* Omnes præsentis mysterii circumstantiæ à tam proluxa sæculorum seriè prædicârunt hæctenus efficaciter pœnitentiam, & nos vivimus, ah utinam! quod valde metuedum, nè moriamur in finali nostra impœnitentia. O! quàm vellem, ut lachrymæ istæ cor insuper meum emollirent, dolorem prolicerent, de peccatis nostris, quæ Deum, hunc amplecti statum, compulerunt, in quo fides mihi ipsum proponit. Ambitio mea causa est tantæ humiliationis, ut Deus supra lignum appareret instar vermiculi abjectus: *Ego sum vermis & non homo.* Avaritia nostra tam inhumana est, ut eundem in vile stabulum relegaret; nostra dissoluta gaudia materiam plorandi ipsi subministrârunt; sensualites nostræ sunt, quæ tenella & adoranda illius membra frigore propemodum exanimârunt. *Venite ergo, fratres mei, exultemus, & ploremus simul, & procidamus* coram præsepi Dominico. *Exultemus, & jubilemus,* quòd videamus, & habeamus nostrî adeò amantem Deum, qui velit ipse, pro nobis pœnitentiam agere: *ploremus,* misceamus lachrymas & suspiria nostra cum lachrymis & suspiriis illius. Persuasum habeatis AA. mei, non me tributum hoc devotionis à cordibus vestris exigere, non meam esse vocem, quam percipitis, sed votum & vocem esse Patris æterni, quæ animorum vestrorum auribus intonat in ista Ecclesia comminationem istam Evangelicam: *Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut (parvulus iste) non intrabitis in regnum cælorum.* Non dicit; nisi confessi, sed nisi conversi fueritis, conversio, quæ à nobis fieri poscitur, debet præcedere,

Psal. 21. 9.

Psal. 94. 1.

Matth. 18. 3.

cedere, aut saltem comitari confessionem, sine ea conversione præcluditur omnis ad beatitudinis regnum ingressus.

Conversionis autem vestræ idea, mutationis vestræ ectypon sit infans hodiernus, in quem collimetis; Deus hic conversus imitandus proponitur, cum quo repuerascere nos denuò oportet. Si modum cum Nicodemo nôsse desideratis, attendite D. Petrum in Prima sua Epistola vos paternè monentem: *Deponentes igitur omnem malitiam, & omnem dolum, & simulationes, & invidias, & omnes detractiones, sicut modogeniti infantes.* Tædium, molestias fortassis per elapsi Adventûs decursum vobis, toties motiva timoris, maledictiones sc. peccatoris, ingeminando, attuli. Bene, sed stilum ad motiva amoris hodie converto. Non teneriùs quidquam vobis proponi, quàm exponi potuit Deus conversus, in infantem adedò deliciosum commutatus? Hic ipse Deus infans copiosè effusus suis vos obtestatur, vos conjurat lachrymis; per suam pœnitentiam, per suos dolores efflictim rogat, ut vosmet cum ipso vos conformare studeatis: unica illius est consolatio, vestra conversio, vestra reconciliatio & reparatio. *Animadvertite hæc ingrati, hæc cogitate superbi, hæc meditamini avari, hæc videte carnales; Deus hominis amore victus descendit in stabulum,* sunt quot verba, tot In Biblioth  
SS. PP.  
rela ignita è phatetra Philonis Episcopi Carpathii deprompta.

Ah! quàm vehementer timeo, ne plures Christiani in hac adedò populosa urbe istis gratiosis festorum solenniis Christum hospitem majori cum crudelitate sint excepturi, quàm ipsimet Judæi, qui eum etiam ædibus suis exclusum, recipere detrectârunt: *Non erat ei locus &c.* Excusabilis Luc. 2. 7.  
videtur

videtur error, quia ipsum non cognoverunt; sed perversi hi Christiani, præferentes insignia & nomen Christi nihilominus infame quoddam consortium, quandam argenti summam præferunt sicque impediunt, quò minus Christus Jesus in eorum cordibus renascatur.

O quàm non sine causa pertimesco: ne iratum Numen in persona gentis hujus adimpleat illam Christi in *Matth. 21. 41.* Evangelio comminationem: *Malos malè perdet*, malos inquam, qui eum non receperunt, qui legitimum hæredem, Regis filium cognoscere noluerunt. Ne hisce malis involvamus miseri, pœnam effugiamus, aperiamus cordis januam, ingressum in id liberum Christo Regi indulgeamus, ut per ipsius gratiam conversi secundùm exemplar in eodem nobis demonstratum, recipiamus fructum conversionis nostræ in gloria.

Amen.



PRO

PRO FESTO  
S. STEPHANI  
PROTO MART.

*Stephanus plenus gratia, & fortitudine faciebat  
prodigia, & signa magna in populo. Act. 6.  
v. 8.*

**N**Dea ab æterno menti Divinæ inexiſtens eſt regu-  
la certa & infallibilis, juxta quam cujuſvis San-  
ctorum meſurare debemus gloriam, & enco-  
mia per propria merita ab iis comparata, D. Paulo teſte:  
*Non in immenſum gloriabitur, ſed ſecundum meſuram re-* 2. Cor. 10. 13.  
*gule, quâ meſus eſt nos Deus: id eſt, juxta iſtam ideam, quâ*  
Deus omnes creaturas in ſuo ſingulas ordine diſtinxit,  
eiſque gratias & privilegia diſpenſavit; & ad meſuram,  
quam tenent in altioribus ſuis principiis, in æternis in-  
quam conceptibus, quos Deus de ſuis operibus efforma-  
vit, nos pariter ipſis aſſignare debemus locum eminentio-  
rem, & prædicatum congruum in terris. Si Apoſtolico  
huic innitatur axiomati, quale judicium nos ferre oportet  
de virtutibus & gloria S. Stephani, quem Deus ab æterno  
ordinavit, ut in capite omnium ſuarum legionum, ſeu  
invincibilium Martyrum præcederet, veluti primi pilus,  
cui committeret vexillum glorioſorum iſtorum militum  
ſummo ſibi honori ducentium, moriendi pro ejus no-  
mine?

D d d

Non

Non miror, si in consequenti ipsius postmodum electione voluit Deus, ut nomen illius (quod persæpe, ait Cassiodorus, quoddam augurium & *auspicium rei* alicujus venturæ est, & assecuratio futuræ, ut loquitur Tertullianus) indicaret nobis heroicum animum, & reportandas ab eo victorias, dum *Stephanum* Græcè, Latinè *coronam* appellari, voluit.

Nec admiror, si Divinam hac electionem consecuta est communicatio adeò liberalis donorum & gratiarum Sancti Spiritûs, quam Scriptura non alio exprimit termino nisi plenitudinis: *Elegerunt Stephanum virum plenum fide, & Spiritu Sancto.* Alibi: *Stephanus plenus gratia.*

Act. 6. v. 5. 8.

Hæc ipsa plenitudo adimplebit nostrum etiam discursum, vires supplebit in extollendis ejus laudibus nimium tenues; sicut enim Divinus solùm Spiritus est, quo ille plenus fuit, qui eundem perfectè laudare possit; ita necessarium est, ab ipso omnis Divinæ plenitudinis fonte haurire gratias & lumina, ad concinnandum hoc Protomartyre dignum elogium. Istum proinde accedamus per Virginis intercessionem ab Angelo salutatæ: *Ave gratia plena. &c.*

Inter omnes virtutes præcipuo splendore, Lunæ instar inter minora sidera, emicat, nec est, quæ majorem in nobis generet admirationem, quàm fortitudo. Eam, ut præmiando, dignè compensarent, sicque compensando, magis illustrarent, quæ industria hominum adinvenit media? erexerunt isti statuas, obeliscos, pyramides, arcus triumphales, epitaphia, adornârunt apothecæ, coronas, omnisque generis illustra gloriæ signa, quæ nos posteritati transcribant. Hæc ipsa est, quæ apud profanam gentem procreavit heroës, Ecclesiæ peperit Martyres.

Spiri-

Spiritus Sanctus juxta D. Hieronymi animadversionem indifferentem in scriptura virtuti attribuit fortitudinis prædicatum, sicut passim adscribit fortitudini generale virtutis elogium, ac si unum, idemque esset, virtuosum, aut fortem esse. Reipsâ veritati omnino congruit, omnes alias virtutes fore defectuosas, nisi fortitudinis consortio fulcirentur. Prudentia frequenter transgrederetur officii sui limites, nisi fortitudo animum adderet, constantiam sociaret ad exequenda ejus proposita. Justitia faciliè corrumperetur, si fortitudo ipsam non animaret. Temperantia cederet voluptatibus, seq; videret sæpiùs turpiter victam in dulci illo deliciarum conspectu, nisi fortitudo talibus resisteret blandimentis. Et quia ex D. Ambrosii sententia cunctæ virtutes mutuae societatis vinculo sunt adstrictæ, quò unitim efficacius se contra communem & fatalem suum hostem, vitium sc. tueantur, jure inferitur, quòd propriè id officium incumbat fortitudini, quæ reliquam virtutum phalangem suo clypeo communit, in omnibus belli occasionibus generosè propugnat, easque in tali statu ponit, quo singulæ actus sibi proprios exercere possint.

Ob quam causam sociata est juxta Theologiæ placita primò *Animositati*, quæ dat rem intueri, prout in se est, & sine furo; pericula, damna, pugnas, ipsamque mortem contemnere, quando Divina lex id exigit, & alicui ratio hoc medium dicitur. Secundò, juncta est *Magnanimitati*, quæ fortitudini tantum præstat, ut illa transcendat omne id, quod mundani homines adorant, omnes fallaces promissiones & dona à vitio oblata, pedibus proculcet.

Tertiò, unitam habet secum *Patientiam*, quæ illi ob oculos ponit malum, cum quo luctatur, quòdque patitur,

constituere partem ipsius gloriæ, eamque stimulat præcurrere, & cum gaudio amplexari occurrentes quascunq; adversitates. Denique Christiana fortitudo semper item stipata fuit *Perseverantiâ*, ope cujus firmo animo in bene captis perduret, semper eadem emergentibus quibuscunq; difficultatibus constanter in mortem usque persistat in possessione gratiæ.

A&.6.8.  
DIVISIO. Hac ipsa Christiana fortitudine implevit Deus Sanctum nostrum; *Stephanus plenus gratiâ, & fortitudine faciebat prodigia.* Licebit illam vobis cognoscere per tria prodigia, quæ vestram attentionem, & admirationem simul promerentur.

1. Prodigium fortitudinis intellectuûs, destruendo errorem, & e contra triumphum veritati erigendo, in famosissimis disceptationibus contra Judæos initis, de mendacio devicto, & oppresso.

2. Prodigium fortitudinis Charitatis, in se ipsum superando, suisque capitalibus inimicis ignoscendo.

3. Prodigium fortitudinis animositate in toleranda tormentorum crudelitate, ipso insuper mortis horrore, ac glorioso Martyrii agone. En trinam, & gloriosam victoriam nomen & omen S. Stephani explentem, triplicem pariter coronam seu Aureolam Sacrate ipsius vertici imponentem. Coronam quippe seu Aureolam Doctorum retulit in disputatione contra falsum legis zelum suorum adversariorum instituta: Coronam amoris reportavit ob preces, quas pro suis tortoribus, antequam expiraret, cum tanta charitate profudit: Coronam Martyrii, siquidem is primus omnium Christianorum se immolavit cruentam victimam pro gloria Christi Jesu.

Maligna

Maligna Judæorum invidia præ iracundia fremens, & frendens oculis suis pariter furore plenis spectabat multiplicationem seminis Evangelici, illustres Apostolorum victorias, qui verbi Divini efficaciâ ipsos presbyteros compellebant, nuntium remittere Synagogæ, & adorare eum tanquam Deum verum, quem ut hominem occiderant:

*Multiplicabatur numerus discipulorum in Jerusalem valde, A&A.67.*

*multa etiam turba sacerdotum obediebat fides,* notat Sacer. textus. Qui ardentiori exæltuabant antiquæ suæ Religionis zelo, conjurârunt, omnem movere lapidem, ut quamprimùm novella plantatio in sua radice, præmaturus Ecclesiæ partus in cunis suffocetur: priusquam verò ferrum abscissionis adhiberent, placebat, prius adversam partem disputationibus tentare, ferire, & expugnare: *Surrexerunt quidam de Synagoga, qua appellatur Libertinorum, & Cyrenensium & Alexandrinorum, & eorum, qui erant à Cilicia & Asia.* Imaginamini vobis, selectum è studiosæ juventutis flore manipulum, ex variis, pro tunc Jerosolymis collectum Synagogis, quorum aliqui dicebantur *Libertini*, prognati ab iis populis, quos olim Pompeius Romano imperio subjecerat, sed postea libertatem denuo fuerunt consecuti; alii erant ex Cyrene, Africa oppido, alii Alexandria oriundi, quibus nonnulli accedebant ex Cilicia & Asia denique minori. Quinque igitur differentes Judaicæ Religionis nationes, summæque legis Mosaicæ zelosi æmulatores se invicem unierunt ad ineundam cum Stephano conferentiam: *Et erant disputantes cum Stephano.*

Videte, notat Cardinalis Petrus Damiani, animos istorum ab ambitionis spiritu obsessos, plenos doloso zelo, cæcâ invidiâ, audaci temeritate prodeuntium è synagoga



Sathanæ, ex omni latere cingentium Sanctum Stephanum, vel ut convincant, vel ut occidant. *Surrexerunt quidam de Synagoga Sathana, & undique conglobantur, vel ad convincendum, vel ad occidendum.* Ita citatus Cardinalis. Aggrediuntur hi formare sublimes discursus, in unum vires & scientias suas conferunt, unum simul corpus impietatis efficiunt; *Faciunt parietem unum impietatis, squamma squamma conjungitur.* Serpentum instar rabie turgidi, irâ inflammati, suas conjunctim evomunt minas, *sibilant sibi serpentes ad invicem.* Pro legis Mosaicæ autoritate, & longævâ duratione millenas falsitates ellegant, uti e contra pro convellenda novella Religione per Christum introductâ, per Apostolos stabilitâ, nil intermittunt: jactitant seiplos ob miraculorum copiam, quæ Deus olim in Patrum antiquorum favorem patrârat; in Christum plenis buccis & ore ructant blasphemias, inevitabilem ei crucis ignominiam exprobrant, clamant velut insensati: *Templum Domini, Templum Domini:* Se in illius legitimam successisse possessionem, se populum Dei electum, in Dei filios adoptatos, gloriantur.

Nec expectetis velim, ad retundendos hosce insultus Apostolorum convocari synodum, aut Ecclesiæ totius vires in subsidium necessario adhibendas: unus quippe & solus è nostris diaconus, ut Claravallensis Abbas notat, sufficit, Sanctus Stephanus, inquam, fatis est. En, indutus hic impenetrabili Divinæ gratiæ loricâ, accinctus gladio Evangelii Dei fundit, prosternit unicus omnes veritatis hostiles turmas, sapiente & sacro quodam furore exæstuans, facit prodigia fortis sui animi: *Sic loricated gratiâ & hostâ fortitudinis Evangelii sapienter infrendens, faciebat prodigia.*

Demon-

Demonstrat ipsis ad oculum debilitatem rationum, quas in medium proferebant, ostendit, oracula adimpleta in œconomia Vitæ & mortis Christi Servatoris, detegit ad veritatis exortam lucem, figurarum veterum umbram evanuisse per illius splendorem, cujus nomen eis adeò esset exosum; repræsentat ægros sanatos, leprosos mundatos, mortuos ad vitam revocatos; uno verbo, ingerit totam Christi vitam publicè infinitudine quadam miraculorum splendentem: sic instat, premit, ferit, convincit lucifugos veritatis osos.

Tandem, concludit Petrus Damiani, repugnante quantumvis universâ Synagogâ, *velit, nolit, cedit impietas pietati, veritati error, stultitia sapientiæ, Spiritui Sancto præsumptio, & vanitas Spiritus humani.* Non enim poterant, testantur Apostolorum acta, *resistere sapientiæ & Spiritui, qui loquebatur per os Sancti Stephani.* Non dicunt, quòd noluerint, sed quòd non potuerint resistere: unde colligitur, juxta cujusdam Patris glossam, ipsorum mentem fuisse exarmatam, rationem convictam, cor tamen in pervicaci sua malitiâ semper perstitisse: *Ubi menti malæ facultas tollitur, non voluntas mutatur.*

Destitutos itaque rationibus obstinatio coëgit recurrere, & arma petere à calumnia, quibus opprimerent pugilem hæctenus invictum. Subornant falsos testes, qui principi Synagogæ deferrent, Stephanum contra templum, contra Moysen, & in Deum ipsum blasphemias sparsisse: excitant seditionem, commovent populum, Scribas in Sanctum irritant. Mobile & seditiosum vulgus Divum Stephanum corripit, in Synagogam mox abripit, ubi objiuntur, & opponuntur coram testes deponentes, se eum audiisse, deprædicantem laudes hominis  
cruci-

crucifixi, qui Judæis olim comminatus esset, quod ipsorum urbem & gentem destruere, Moysis traditiones commutare vellet.

Tunc apparebat quidem in Sacerdotum consistorio, in Doctorum scholâ Diaconus noster tanquam maleficus, at coram oculis Dei, ut defensor veritatis. Nè frustra teramus tempus in refutandis falsis testimoniis, destruendis calumniis, quibus innocens fuerat oppressus, exorditur ille doctam & pulchram dissertationem, cap. 7. Actuum Apostolorum fusiùs descriptam; ubi mox in fronte illorum exacerbatos mitigaturus animos, felle infusa dulcoraturus corda, patres ipsos, & fratres compellavit: *Viri fratres, & patres, audite.* Deinde exponit promissa Dei, magnitudinem Divinorum beneficiorum, postmodum perstringit murmuraciones, malitias antiquorum parentum: & in peroratione ejus eloquentia non sine tonitru sacris Divini zeli ignibus prægnans, fulminat in devictos, & convictos adversarios: *Dura cervice, & incircumcisis cordibus, & auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis, sicut patres vestri.* Estis sanè veri, at infelices hæredes malitiæ vestrorum antecessorum, imò longè millenis vicibus ipsis crudeliores. Isti enim servos, vos Dominum & Magistrum neci tradidistis; isti Prophetarum effuso cruore se commaculârunt, vos Deicidales manus vestras Sacratissimo Messia sanguine polluistis. Estne hoc conforme doctrinæ sanctæ legis, quam per ministerium Angelorum suscepistis?

Non mirum, quod gentilium quidam dixit, ferreas quascunque catenas, aut compedes corpus externis constringentes, & affligentes, menti suam libertatem tollere nequaquam posse, & generosum animum semper stare invi-

invincibilem. S. Stephanus revinctis post tergum manibus, humili assidebat sellulæ; sed animi fortitudo, quâ plenus erat, constituit eum liberum, reddidit victoriosum. Reipsa, quis videtur iudex, quinam rei in præsentis conciliabulo?

Nunquid iudex est generosus iste adolescens, qui spiritu Dei roboratus ruborem, pallorem & tremorem suis auditoribus imprimit? omnes hi seniores, scribæ & Doctores quantumvis in suis sedibus sublimes nonne verà erant malefici, quia coacti, & cum propria sui confusione audiunt sententiam ex ore D. Stephani dictatam? Quis in conflictu præsentis victor evadit? num, qui præ pudore vix non crepant, dentibus fremunt, præ furore spumant, & extrinsecus omnes passionum notas præferunt, à quibus torquentur, dæmones, à quibus obsessos se produunt? *Audientes autem hæc, dissecabantur cordibus suis, & stridebant dentibus in eum.* Num verò potius ille, qui contemptâ immani hostium suorum colluvie, pacem cordis sui nullatenus perdidit, nec serenitatem frontis tristitiæ nubibus obduxit, sed è contra adversariorum etiam oculis eo splendore illustris facie apparuit, ut non homo, sed Angelus crederetur? *Omnes, qui sedebant in concilio, AA. 6. 15. viderunt faciem ejus, tanquam faciem Angeli.*

Splendor iste, qui faciem Martyris tunc illustravit, erat, ut observavit S. Hilarius Arelatensis, quædam reflexio pulchritudinis interioris in anima, & radius lucis, quâ à Patre luminum fuerat illuminatus: *Abundantia cordis transferat in decus corporis, & in faciei pulchritudinem candor, splendorque animi exundabat.* Vel, uti D. Augustino placet, ordinavit Deus, ut in confusionem suorum hostium, mortem, intentantium, appareret ipsorum oculis

E e e

in statu

in statu resuscitatorum corporum glorioso. *Ad confusionem ipsorum facies Stephani assumpsit speciem resurgentis.*

Vel propiùs accedendo ad intentionem & objectum nostrum, dicamus, quòd in hac etiam mortali vita luminoso illo fuerit redimitus diademate, veluti aureola Doctoratùs, quæ speciatim debebatur ei tanquam Doctori veritatis, destructori autem mendacii, conformiter Divinæ apud Danielelem promissioni; *Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti &c. Quasi stella in perpetuis aternitates.*

Daniel, 12, 3.

Utinam plures ex meis Auditoribus desiderarent tam gloriosæ coronæ participes fieri, testando in ejusmodi concertationibus parem fidei zelum, maximè in reprehendendis heterodòxis, quorum, proh dolor! ingens est numerus, qui non horrent privatos suos sensus in discursibus quotidianis in medium producere, eosque opponere Religioni, quæ per œcumenicum sexdecim sæculorum consensum approbata, infinitudine miraculorum roborata, tot Sanctorum Martyrum cruore obsignata, tantorum autoritate Doctorum ratihabita, adèd in sapientia consummata, in suis argumentis tam potens, & ob vitæ integritatem ac morum innocentiam, quam profiteretur, æternùm veneranda fuit. Hæc satis dicta sint de primo prodigio, progrediamur ad secundum, quò amplius disserere liceat de tertio.

II.  
Punctum.

Si quis audiisset, vehementes illas invectivas, perurgentes objectiones à Doctore nostro factas; si quis inspexisset ejus faciem sacræ cholæræ flammis æstuantem, credidisset, quòd corde doloribus amaricato sustineret, minus forti animo ferret irrogatas sibi injurias: intereà tamen

men mox contrarium fuit contestatus per prodigium fortitudinis & charitatis.

Tunc, quando tormentum in gradu intensissimo, inquit S. Maximinus, ipsum excruciat, tunc, cum anima à dolorum vehementia oppressa, jam esset è corpore migratura, orare pro iis exorsus, qui mortem inferebant. Sub lapideo hoc imbre, ubi omnes alii suorum etiam charissimorum oblivisci facile potuissent amicorum, ille aperit tot ora, quot recepit vulnera, quibus peroret, & obtineat, se lapidantibus veniam. Totus etsi hoc grandineo nimbo erat coopertus, & prope suffocatus, linguam tamen & cor retinebat liberum; istud, ut per amorem id suis impenderet, & offerret hostibus; illam, ut adhiberet ad preces pro suis tortoribus fundendas: *Domine, ne statuas illis hoc peccatum.*

S. Augustinus mirabile suum ingenium hinc loci prodit, ubi Oratorem nostrum sic interpellat: *Ubi est tuum: Dura ceruice? hoc est totum, quod clamabas, hoc est totum, quod seruebas?* quid sibi vult, unde provenit fortissime heros tam prodigiosa repente mutatio, ubi sunt acres, quas paulò ante intonabas, invectivæ, & objurgationes? an istud igitur est, quò tua collimat cholera? Persuadebam mihi, te conjurasse cælum, terram & cuncta elementa, ad vindicanda capita obstinata, ad emollienda corda obdurata, ad plectendos genios Spiritui Sancto rebelles: at è contrario, ac si metueres, ne sanguis tuus clamet vindictam contra eos qui ipsum profuderunt, totum, quod de voce & viribus tibi superest, impendis solùm ad petendam pro iis veniam & misericordiam?

Ah! bene video, quòd omnis ira solùm tuam occupet linguam, sed cor totum ardeat Charitate: *Foris clama-*

*E e e 2*

*mabas,*

*mabas, intus orabas; lingua seviebat, cor autem amabat.*

Tali modo operari, nunquid est subjugare omnem naturæ sensum? Quòd si à vero non aberret illa Ethicorum paræmia, quòd nobilissimus sit effectus fortitudinis; vincere seipsum, quàmque D. Augustinus suo calculo approbat: *Reverà fortiter pugnat, qui contra se pugnat.* Negari non debet, quin S. Stephanus extiterit prodigium fortitudinis charitatis tunc, quando non nisi mansuetudinem & amorem spirabat erga illos, qui in ipsum respirabant meram rabiem ac furorem; tunc, quando flexis ad Deum genibus cum ardenti fervore exorabat suis interfecto-ribus veniam; tunc, quando per has adeò efficaces Charitatis preces obtinuit dignitatem Apostolatús Saulo suo cognato, mutato priùs ex cognato in persecutorem; qualem pro tunc non sine sævitia nota agebat; ac totalem animi immutationem, nec non conversionem adfidem iis, qui lapidibus eum obruebant? *Nisi Stephanus orasset, Ecclesia Paulum non haberet.*

Nónne occasionem haberem, simúlque eàdem utendi causam, sc. declamandi in animas illas felle amaricatas, Tigrium visceribus præditas, in imaginarios nomine solùm Christianos, qui postquàm toties prædicari audierunt, quòd non magis sit impossibile subire cœlestem paradisum sine amore Dei, quàm sine dilectione inimicorum: postquàm millies viderunt Christum, quòd tunc temporis, quo manus & pedes ipsius affigebantur Cruci, latus lancea perforatum, os felle potantum, plagas manuum, pedum, laterisque reddiderit vocales, ad petendam ante mortem à Patre æterno veniam & salutem suis Crucifixoribus; & nè nos præsentium festorum myste-  
riis





Amos I, II.

gant accessum ad altare, non antecedenter cum suo fratre reconciliatis; istud inquam peccatum, quod inimicitias fovet finales, quæ non nisi cum vita exspirant, est omni veniâ & miseratione indignum. Audite ex ipso Prophetæ oraculo Dei verba: *Eq̄quod violaverit misericordiam, & tenuerit ultra furorem suum, & indignationem suam servaverit usque in finem.* Hic utique ad ulteriùs expatiandum campus occurrit, occasio, diutiùs materiæ adeò proficux immorandi, se ingerit; sed avocat et si invitum prodigium tertium, quod admirationi nostræ objicit fortitudinem animi, quam Sanctus Stephanus in Martyrii sui agone palam demonstravit.

III.  
Punctum.  
Psal. 18. 6.

Act. 7. 55.

*Curramus*, hortatur nos Card. Petrus Damiani, ad *spectaculum, ad quod currit, qui exultat ut gigas ad currendam viam suam.* Vix absolverat D. Stephanus admirabilem suum discursum, quem adjecta hac protestatione obfignarat, quòd Deus sua dicta miraculo roborasset, sibi ostendendo *cælos apertos, & filium hominis stantem à dextris virtutis Dei.* Confestim universa populi multitudo fremens, furiosa in Sanctum Diaconum insurgit, ignominiosè eum Synagogâ ejicit, urbe dein exclusum, ad vallem Josaphat, quæ intra Jerosolymam & montem Oliveti sita, raptat. Nolebant illi gladium, ignem, qui in instanti Martyrii cursu consummarent, adhibere; rabies lenta supplicia à lapidibus petere suggestit, his nimirum cum sic obruendo, ut ipse videret, se in diuturnitate suæ pœnæ mori, vivum sepeliri.

An non videtis, inquit S. Bernardus, hunc silicum grandinem cum furore è manibus tortorum excussum, cum violentia in innocens Martyris corpus emissum, ipsum verò flexis humi genibus, sublatis in cœlum oculis,  
mani-

manibusque eundem excipientem : *Volat saxorum imber è fortissimis invidorum manibus ?* Caput venerandum illius variis in partibus cruentatum, copioso manabat sanguine ; purpura pretiosi istius sanguinis, notat Eusebius, se permiscens cum candore liliorum, in Virginea ipsius facie confitorum, venustatis suæ splendorem magis illustrabat : *In ipso juventutis flore decorem ætatis suæ sanguine purpuravit.* Mox scapulæ frequentatis tot ictibus frangi, brachiorum nodi dissolvi, nervi membrorum concidi, tota denique sacri corporis moles cadere victima, sub acervo lapidum sepeliri cœperunt, cum anima semper erecta manens, fortissimè cum Deo conglutinata, jure illum sibi ab Ecclesia postmodum appropriatum versum usurpare potuit : *Adhæsit anima mea post te, quia caro mea lapidata est pro te Deus meus.*

Nolo amplius immorari exprimendis aliis Martyrii ejus circumstantiis ; malo vobis enucleatius demonstrare miraculosam Martyris fortitudinem, quam primus omnium moriendo pro Christi nomine manifestat.

Hebræi olim omnes stupebant Aminadabi securitatem, quâ primus post Moysen fundum maris rubri tentate, & calcare ausus, aliis respicientibus interim ad maris litus, oculis admiratione defixis, aquas in aëre ad modum muri crySTALLINI suspensas. Nunquid major causa hîc, quæ admirationem nostram provocet, intercedit, heroica videlicet animositas Proto-Martyris, qui æquè primus post Christum vadum maris rubri, seu Martyrium est ingressus ? Jure exornamus præconiis fidelitatem egregii illius armigeri principis Jonathæ, qui suum Ducem cacumina perrarum, & loca, quæ videbantur inaccessa, penetrare conspicatus, mox eum insequi constituit etiam solus

contra

I. Reg. 14.

contra numerosam hostium phalangem conficturus, eamque in fugam compulsurus, qui comes individuus millena moriendi pericula cum suo domino adire, non detrectavit.

Nonne hoc ipsum cum majori fortitudine animi præstitit gloriosus noster heros? Christus Dominus tempore suæ passionis se in mediam hostium turmam coniecit, sed repente ab iis, qui ipsum eòsque sequebantur, derelictus fuit discipulis. S. Petrus, præ reliquis alioquin magnanimus, animo totus concidit, & contremuit. S. Stephanus primus fuit, qui caput summis periculis vitæ objiceret, præsentis mortis discrimini vitam exponeret, ut Christo Jesu se conjungeret. Quàmvis ille non esset nisi Diaconus, nihilominus, judicio D. Augustini, ipsos etiam Apostolos glorioso mortis suæ triumpho antecelluit: *Stephanus Diaconus Apostolos ipsos triumpho morte præcessit.* Scio quidem, subjungit idem Doctor, quod juxta consecrationis suæ ordinem fuerit discipulus, magistrum tamen egit in cursu Martyrii: *Discipulus gradu, magister cepit esse Martyrio.*

Si deinceps subsecuti Ignatii, qui ultronei immanium bestiarum in semet concitârunt furorem; si mortem aliqui cum ardenti cordis desiderio quæsierunt, quæsitam invenère, inventam cum gaudio sustinuerunt; Si Laurentii super igneam cratem, sicut ad opiparam mensam, judici illuserunt, & tamdiu insultârunt, quòdusque carnes cum ossibus consumerentur in cineres: si Clementes & Agathangeli omnibus suis carnifices exhauferunt viribus, in tormentis ulterius inferendis, ac florentissimas mundi urbes elegerunt in theatra, quæ servirent ad spectandos, &

stupen-

stupendos suos agones ; Si Agnetes, Catharinae, Cæciliae eò demum tyrannos adegerunt, ut se ab imbelli hoc sexu devictos faterentur etiam inviti ; id tamen non didicerunt, nisi postquam frequentârunt S. Stephani Magistri sui scholam, ubi audierunt doctrinam, & imbiberunt artem moriendi pro Christo : *Magister capit esse Martyria.*

Facilius jam longè accidit ridere mortem, eique insultare postquam plures, quàm undecim milliones Christianorum ipsam duxerunt in triumphum, pueri, puellæ septennnes devicerunt. Sed mortem aggredi tunc, dum apparebat invincibilis, quando paulò ante Virtus Altissimi nostræ debilitatem carnis induta, videbatur tremere, pallere & fremere in illius occursum, quando Apostoli cernebantur capessere fugam ad ejusdem adventum : opus erat fortitudine miraculosa, animo, quo præditus fuit S. Stephanus, prodigioso.

Facile iterum est, se ad pugnam conferre, jam captam, vel cum prope finem inclinat, insistere viæ per præviam victorum turmam jam stratam, sed singularis eminet animi generositas in capitaneo, qui ante prima signa se collocat, sibi, suisque sequacibus mucrone sui gladii viam aperire, eamque proprii sanguinis effusione consignare debet. Hæc gloria adscribenda est D. Stephano, qui videns cælos apertos, & Jesum stantem in cœlesti apertura, primus se conjicit in medium tormentorum & mortis horrores, semper progrediendo, nobis, ut præeuntem sequamur, inclamans, viam esse apertam. Cælum nostri juris esse, dummodo velimus : *Video cælos apertos. Hic Act. 7. 55.*  
triumphantis clamor, ejusque generosa exempla animâ-  
Fff runt

runt omnes nostros Martyres. Post diem mortis ipsius, uti recenset S. Dorotheus, alius mox item diaconus, Nicanor nomine, cum duobus millibus fidelium, Stephani premens vestigia, constanter Martyrium subiit. Decet igitur, uti S. Augustinus id etiam exigit, ut omnes isti tot militum milliones, qui proprii sanguinis dispendio bella Christi Jesu decertarunt, imponant coronas capiti, palmas suas victrices inserant manibus gloriosi nostri Proto-Martyris, à cujus heroico exemplo sumplerunt, generosè mortem oppetendi, stimulum: *Quicumque postea sanguinem pro Christi confessione fuderunt, imposuerunt coronam illam capiti suo.*

Num non par est, ut occasionem apprehendamus, ad æmulandas pugnas, & ad victorias similes Sancti Stephani accendamus, ut animos pariter nostros obfirmemus strenuè contra continuas, quas sustinemus, persecutiones? Negari quidem non debet, quòd Dextera Domini, brachium Excelsi contriverit potentiam tyrannorum, & Religio Catholica profundâ quiete pacis modò fruatur; nihilominus hæc fidei Christianæ malacia suos æquè habet Martyres, ac persecutiones occultas sustinet: *Habet & pax nostra Martyres suos*, observat S. Augustinus; ubi Deo offerre possumus vitam mortificatam per vigorosam resistentiam, contra passiones nostras exercitam, ac in eorum venire censum, qui cum D. Paulo gemunt: *Propter te Rom, 8. 36. mortificamur tota die, aestimati sumus sicut oves occisionis.* Reverà amputare desideria carnis, suppressere exorbitantes illius motus, vitium radicibus in se extirpare, mortificare suos sensus, nil agere contrarium Divinis legibus, obedire ejus mandatis, reluctante etiam naturâ corruptâ, patien-

patienter perferre contemptus, repullas, injurias mundi, assiduo se opponentis doctrinæ Evangelii; hæc talia sunt, quæ Martyrio æquivalent, quod, unâ duntaxat vice, brevi spatio sustinendo mortem, consummatur.

Ista persecutio, judicio gentium Doctoris, omnibus univèrsim Christianis est necessariò subeunda: *Omnes, qui piè volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur.* 2. Tim. 3. 12. *Dixit omnes, & tu volebas latere?* animadvertit D. Augustinus; & illa, & semper fuit generalis ac universalis, *sicut totius est temporis piè vivere*, S. Leo subjungit, *ita totius temporis persecutionem sustinere.* Universaliter grassatur, per omnia loca, quia dæmones undique nobis insidias struunt, ubique mundus sua retia tendit, nullibi non caros nos infestat. Ecclesia non minùs Christiana ex omni parte impugnatur, *secta, cui ubique contradicitur.* Act. 28. 22. Talis persecutio eò periculosior videtur, quò est occultior. Tyrannorum vices suppleant nostri amici & consanguinei: *Inimici hominis domestici ejus.* Mich 7. 6.

O Deus, quantas imbecillitates & probrosas defectiones in præsentì objecto accidisse novimus! Testantur Ecclesiastici annales, quòd mirum videretur in primis Ecclesiæ sæculis, si perdurante cruentâ persecutionum tempestate, septem vel octo Christiani violentiâ tormentorum superati à fide in urbe aliqua defecissent, sed, quod sanguineis expiandum lachrymis, in clancularia hac moderna persecutione plerique, ferè omnes abrenuntiant Evangelio, & paucissimi jam inveniuntur, qui vitiis, & tentationibus mundi resistent. Olim infausti Apostatæ isti rubore cooperti ob lapsum suum infamem se conferebant ad Ecclesiæ valvas, ubi in humum abjecti, innatantes

quodammodo profufis à fe lachrymis, lamentabili voce clamando, ingemifcebant; calcate, calcate pedibus falem infatuatum, qui virtutem fuam amifit, pulfate, percutite tam imbelles & inanes fungos, homines excordes, puffillanimes. Unus unicum duntaxat oftendit oculum, qui alterum ob fidem fibi erui, eft perpeffus; alius unam folummodo prætulit manum, fociâ detruncatâ: hic fe decem annis in tenebricofo ergaftulo ferè computruiffe, alter fe ignis & equulei intensiffimam torquendi vim expertum, priusquam vel unicum granum incenfi succenderet coram idolis, afferbat.

Ad obtinendam, quam ab Ecclefia petebant, veniam, refert S. Cyprianus tract. *de Lapsis*. Discooperiebant corpus fuum undique dilaceratum, recenti adhuc cruore stillans; & lachrymarum loco comprimabant manibus oram fuorum vulnerum, ut inde denudò fanguinem prolicerent: pro una admiffa noxa millenos allegabant fortitudinis & constantiæ actus; *Deprecabantur illi non lachrymarum commiferatione, fed vulnerum, nec fola lamentabili voce, fed laceratione corporis: manabat pro fletibus fanguis, & pro lachrymis cruor femiustulatis visceribus defluebat.* Ita Cypriani ftylus antiquorum nobis exprimit pœnitentiam,

S. Cyprian.  
Tract. de Lapsis,

Heu! imbellis animi funt Chriftiani moderni, qui occultæ huic tam facilè dant manus victas perfcutioni, & efficiuntur Apoftatæ per malignos fuos mores; poffuntne fimilem refiftendi conatum excufationi fuæ

ni suæ obtendere? num æqualem pro suis apostasiis  
subeunt, & agunt pœnitentiam? quâ tamen æquè in-  
digent.

Desumamus hinc occasionem nos humiliandi, &  
elevatis in cœlum oculis, cum D. Stephano intueamur  
Christum Jesum stantem erectum, qui nos ad pugnam  
animat, ad pugnandum subsidium pollicetur. **Con-**  
sideremus apertum cœlestem paradisum, ut  
in eum nos recipiat, simulque tri-  
buat vitam æternam,  
Amen.



Fff ;

PRO



PRO FESTO  
S. JOANNIS EVAN-  
GELISTÆ.

*Conversus Petrus vidit illum Discipulum, quem diligebat Jesus. Joan. 21. v. 20.*

Cant. 1. 6.

**S**ponsa suum inquirens Sponsum aliud ei prædicatum non attribuit in Canticis, nisi dilecti: *Indica mihi, quem diligit anima mea*; probè gnara, interprete D. Gregorio Nysseno, quòd honorifico magis titulo ipsum compellare non possit, nec suaviori, quàm hoc, qui exprimeret potentiam dilecti Sponsi in cor Sponsæ diligentis.

Matth. 3. 7.

Ipse Pater æternus publico & vivæ vocis oraculo suum de prædicaturus Filium, nobisque rem quandam suæ gloriæ manifestare volens, illum non vocavit characterem vivum suæ substantiæ, splendorem paternæ gloriæ, Divinæ suæ majestatis perfectum proto ectypon, suum Verbum, Virtutem, suam Sapientiam; sed solum objectum suæ complacentiæ, & suum dilectum Filium nominat:

*Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.*  
S. Joannes ergo falli minime potuit, quando ex infinita propemodum titulorum, quos jure sibi vindicare poterat, congerie, magis gloriosum nullum esse, nec Deo acceptiorem, præter istum, judicavit: *Quem diligebat Jesus.*  
Relinquamus proin nomen grande *bonaerges*, filii tonitru, quod

quod quidem ipse Magister ei imposuit, omittamus amplissimum prædicatum Apostoli Asiæ, Episcopi Ephesini, fundatoris Ecclesiarum Smyrnæ, Pergami, Philadelphiæ, Laodiciæ, aliorumque oppidorum innumerabilium. Nec mentionem faciamus illustris qualitatis, seu propinquitatis, quâ carnali Christi consanguinitati erat conjunctus. Silentio involvamus magnificos titulos Evangelistæ, Prophetæ, Martyris ac Virginis; is enim jam dixit omnia ad sui gloriam splendidiùs illustrandam spectantia, quando se prædicavit *Dilectum Jesu*, seu, *quem diligebat Jesus*. Sicut rivi, maris profundum subeuntes, suum nomen amittunt, ita videtur S. Joannes, omnes suos honorum titulos in inscrutabili Divini amoris pelago sepeliisse, voluisse, contentus esse solo *Dilecti* nomine, quasi reliquorum oblitus. Certum est, omnes Panægyres, istius Divi honoribus adornandas, ad explicationem hujus amabilissimi attributi esse ordinandas. Ut autem & nos dignè loquamur de ejus præstanti excellentia, æquum est, ut nos conferamus ad Spirituum Sanctum mediante illius suffragio, cujus quàm plurimum & speciatim interest, dignis celebrari laudibus S. Joannem, qui *dilectus Jesu* esse nequit, quin simili esset, *dilectus Maria*. Salutemus hanc itaque, ei dicendo: *Ave Maria*.

Quantumvis eximius fuerit Politicus Rex Theodoricus, erroris tamen argui merebatur, quando dixit, prout Cassiodorus Secretarius ipsius refert, characteristicam esse infallibilem, eum hominem summis esse præditum meritis, qui à summis capitibus, Regibus sc., amaretur: *Non est majus meritum, maxima illius est, quàm gratiam invenisse regnantium.* Coronati licet principes non sunt semper errore immunes in electione suorum amicorum: idem ipse

ipse Rex meminisse debuisset, quod in epistola tertia dictârat, quod nimirum apud Reges duo & differentes reperiantur fontes, unde promanarent omnia bona, quæ sibi subjectis conferrent, gratiam & iudicium, favorem & rationem; quodque magnates in dispensatione beneficiorum suorum non semper attenderent iudicium ac rationem, sed spectarent læpius in remunerando proprium amorem & inclinationem erga suos: *Alios estimatione subvehimus, alios gratiâ promovemus, primus est debitor iudicii, alius obnoxius est favori,* Solus Rex Regum, Christus Jesus, qui juxta Tertulliani mentem est Ratio Patris & Sapientia incarnata, falli non potuit in suorum amicorum delectu: etiam si S. Joannes excellentibus iis prærogativis & meritis, quibus à Christo promerebatur præferentiam in teneritudine amicitiae Divinae, dotatus non fuisset, ipse amor, quem erga eundem gessit, & sola Filii Dei electio, amicum in tantum dignificasset, ut justificaretur bonitas istius electionis.

Pro cuius meliori intelligentia, observari velim, duplicem in Deo dari amorem; unus est antecedens, operativus & efficax, qui non præsupponit objectorum meritum, sed producit primum, eaque adamando, amabilia reddit. Alter est amor consequens, approbationis & complacentiae, vi cuius Deus amorem impendit objectis, quæ jam amabilia effecit. Quocumque jam modo amorem Jesu sumatis, idem est, prædicare magna, recensere illustria de S. Joanne, ac pronuntiare, quod sit *Dilectus Jesu*; siquidem hoc est, asserere, quod Jesus illum reddiderit amabilissimum, & quod ipsum multum sanè amaverit.

Evol.

Evolvamus in priori istius discursus parte testimonia **DIVISIO.**  
 amoris singularis Christi erga Sanctum Joannem: in posteriori videbimus, quàm perfectè discipulus recipiãrit hunc amorem erga suum magistrum; &, si plus fuerit amatus, quòd plus pariter illum amaverit.

Ecclesia Catholica officio hodierni festi inseri curavit verba, quibus comprehenduntur privilegia amoris singularis Jesu: *Valde honorandus est beatus Joannes, qui supra pectus Domini in cœna recubuit, cui revelata sunt secreta cœlestia, cui Christus in Cruce matrem Virginem Virgini commendavit.* Peculiari, censendus est meritò dignus honore, qui peculiari huic correspondet amori, à Christo in cœna, in Cruce sibi exhibito, ibi per revelationem arcanorum Divinitatis, hìc per donationem Dei Matris.

I.  
 Punctum.

Videris, quòd Ecclesia verbis illis demonstrat, S. Joannem maximum, simulque opulentissimum amicorum Christi fuisse, cui credita fuerit possessio cordis, secreti, & thesauri Regii.

Primò, cor possidendum accepit dum supra ipsum recubuit: *Supra pectus Domini.* Secundò, *secretum*, utp. cui speciatim *revelata* dicuntur *secreta cœlestia.* Tertio, Regis thesaurum, id est Christi matrem. *Cui Virginem matrem Virgini commendavit sub Cruce.* Illustremus clariùs triplicem istum conceptum.

Imaginamini vobis, quæso, beatissimum hunc Apostolum inter brachia Jesu tempore ultimæ cœnæ dulcem somnum capientem, considerate amabilem istius situs compositionem, quàm suavi sopore omnes Discipuli hujus sensus sint oppressi, ipse penitus in sinu Magistri sui jacebat absorptus, qui suum brachium blandè demittens

G g g

supra

supra dilecti sui caput, id cordi proprio adclinat, simulque os ipsius amore redundans suo pectori affigit, affixum sustinet. O Deus, quale, & quàm amabile est hoc spectaculum! Num vos, ô Angeli cœlestis paradisi incolæ non aliqua incendit æmulationis sacræ flamma, quando spectatis mortalem hominem intra brachia illius, in cujus præsentia vos semper erecti, aut ad pedem throni ipsius prostrati, adestis, ad testimonium ferendum summi respectus, quem habetis, & debetis infinitæ Majestati? O quàm bene oportebat esse Apostolum istum assuetum, ad recipiendas amoris delicias à Jesu! ô quàm arctam oportebat esse inter eum & Magistrum ipsius familiaritatem, quantam amoris intercessisse teneritudinem, ut ei concessa sit libertas, seu facultas in sinu illius quiescendi!

Joan. 14.2.

*In domo Patris mei mansiones multe sunt*, exponit nobis ipse Dei Unigenitus, multæ, eaq; differentes juxta diversitatem & proportionem meritorum justorum, qui inibi collocantur: Sed detegite, obsecro, si potestis, mansionem nobiliorem & augustiorem, quàm sit habitatio cordis Sacro Sancti, Christi Jesu? Nunquid hoc est secretum amoris cubile, & Sanctum Sanctorum? Vide, ubi recumbat S. Joannes, an non Sponsi in thalamo, in amici diversorio est locatus? Seio quidem, quàmvis totum Christi corpus supremâ sit dignissimum veneratione, fatendum tamen nihilominus, quòd peculiarem, nescio, quam prærogativam præ aliis obtendat membris pectus. Pedes Christi cedebant peccatoribus, manus justis, facies Virginitibus, os Sponsæ, at pectus reservatum fuit soli dilecto: *Qui supra pectus Domini, &c.* Solus Sanctus Joannes igitur intrat in possessionem cordis Jesu: & sicut olim

Gen. 28.13.

Deus Jacobo promiserat; *Terram, in qua dormis, tibi dabo:*

ita.

tra pariter optimus Magister suo discipulo cor, cui indormierat, in possessionem tradidit. Hic itaque est Dominus, & possessor cordis Christi.

Secundò dico, quòd istam adierit possessionem cordis, ut hauriret inde notitiam secretorum sui Magistri; *Cui revelata sunt secreta cœlestia.* Ingenuè fateor, meos nimis esse rudes conceptus, mea verba admodum humilia & obscura ad illustrandos luminum thesauros, quos D. Joannes, durante extatico illo somno, ex cordis hujus visceribus attraxit; suppleamus defectus nostros è Doctorum Ecclesiæ ditissimis monumentis.

S. Chryostomus in homilia, quam in honorem S. Joannis aureo suo ore peroravit, notat, quod discipulus iste, os suum imprimendo cordi Jesu, fonti omnis lucis & claritatis, *talem scientiam hausit è pectore Domini, qualem nullus unquam mortalium soritus est.* Origenes asserere non dubitat, quòd dilectus idem Discipulus ex corde Filii penetrarit satis profundè in cor Patris, ut videret ibi in splendoribus æternorum luminum generationem Verbi, & mysterium adorandæ Trinitatis; dein se conferens ad S. Paulum, eum sic interpellat: Verum est, magne Apostole, nec quidquam demere volo de tuæ gloriæ magnitudine, raptus es in tertium usque cœlum, ubi didicisti mysteria ineffabilia, inspexisti arcana, quæ non licet homini eloqui. Sed Dilectus ille Discipulus elevatus, transcendit cœlos universos, subit Cœlum Cœlorum, seq; feliciter submergens in Divinitatis abyssu, contemplatur id omne, quod ibi plus majestatis & admirationis continere videbatur. Hic videt Verbum, per quod facta sunt omnia, eiq; permittitur alta voce intonare prædicationem, & amplissimum hoc mundi theatrum implere sacratissimis verbis

G g g 2

illis:

Joan. 1. I. illis : *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Quibus ipse tres principales Divini Verbi proprietates declarat, ejus æternitatem, siquidem generatio ista nulli unquam erat obnoxia tempori, *quia in principio erat Verbum.* Ejusdem item immanentiam, id est mansionem in sinu Patris sui : *Et Verbum erat apud Deum.* Consubstantialitatem denique naturæ Filii cum Patre : *Et Deus erat Verbum.* Quapropter Origenes Joannem appellat anonomasticè Theologum Verbi, Petrus Damiani nominat Organum Divinitatis.

S. Bernardus sublimiùs mea opinione calamus suum erigit, quando serm. 8. super Cantica scribit, quòd, sicut Filius unigenitus in Patris sui sinu quiescens recepit omnes visiones perfectas Divinitatis Patris, ita pariter hic Discipulus in sinu Filii recumbens acceperit participationem Divinarum cognitionum ipsius : *Hauit Joannes de sinu Unigeniti, quod de Paterno hauserat ille.* Eo modo, perguit S. Bernardus, quo *Pater æternus Filium osculans in generatione sua ineffabili plenissimè illi arcana suæ Divinitatis eructat, & spirat suavitatem amoris, dicente Scripturâ, Dies diei eructat Verbum.* Sic etiam Filius, donando cor dilecto suo Discipulo, ad id exosculandum, communicat simul lumina, à suo Patre sibi infusa. Quod idem Discipulus nobis insinuare voluit, dum dixit : *Unigenitus*  
 S. Bern. Serm. 8. in Cant. *Filius, qui est in sinu Patris, nobis enarravit.* Et quomodo ista explicatio sit facta, S. Bernardus item nos instruit : *Illi enarratio, quid ei nisi osculum fuit?* Possemus etiam huic subjungere opinionem S. Gregorii Nysseni, docentis, quòd Christus dederit suum cor isti Discipulo, ut mater uber filio ad sugendas inde, & bibendas abundanter aquas suæ

suæ Divinitatis. *Cor suum tanquam spongiam apposuit, ut Divinitatem epotaret.*

Post percepta testimonia tam illustria gloriosi istius somni mystici, non reverebor amplius, asserere in medium Ruperti Abbatis sensum & sententiam, qui affirmare audeat: quamvis Incarnatio Verbi in sinu Virgineo Mariæ fuerit completa, videtur tamen, quod in hoc somno Christus novo quodam modo, secunda vice de Virgineo isto Discipulo sit incarnatus; volens denuo concipi in ejus corde, ut regenerari posset, id est, clarius exprimi per os ipsius adedè eloquens; cujus vocem super universam terram, ut intonaret mysterium Divinæ suæ generationis, voluit, quam Isaias antehac judicârat ineffabilem. *Dilecti Joannis animam eodem Verbo imprægnavit, ut Verbum ineffabile, quod Maria Virgo sola protulit in carne, ipsum hujus sociæ Virginitas vivâ mortalibus promeret voce.*

Si igitur illa D. Ambrosii vera est paræmia, quod amicus tunc testetur suam amicitiam, quando sine ulla reservatione liberaliter effundit omne, quod latet in anima, sive, cum cuncta sua arcana cordi credit sui amici; nonne S. Joannes rationabiliter audeat gloriari, quod Christus eum tractâvit ut dilectum, utpote cui nil occultârit, revelârit in isto somno tria secretorum genera, secreta sc. suæ Personæ, sui Regni, suæq; mansionis? Revelationem secretorum Personæ jam explicuimus in privilegiis Verbi: secreta Regni, sive triumphantis Ecclesiæ, & denique secreta mansionis, seu Ecclesiæ militantis Joannes ipse stilo æquè sublimi ac profundo copiosè edisserit in sua Apocalypsi, cui D. Hieronymus notabilem hanc affixit censuram: *Tot habet Sacramenta, quot Verba.* Quæ pro possessione

Rupert. in c.  
1. Joau.

S. Ambros. l. 3.  
Offic. c. 14.



sione cordis & secretorum dicta, sufficient. Loquamur,  
& aperiemus thesaurum Regis.

Omnes isti favores adè excellentes, privilegia tam  
rara, de quibus mentionem egimus, necdum sufficiebant  
amori, quo ardebat Magister erga suum Discipulum: pla-  
cuit insuper, paulò ante obitum suum addere novam  
amoris contestationem. Tempore ergo, quo Divinus  
noster Servator animam quodammodo pallidis inhæren-  
tem contineret labris; tunc, cum alicui videretur, vio-  
lencia dolorum ei ademisse omnium pene rerum remini-  
scentiam, præter afflictiones, quas actualiter sustinebat, ac  
hostium suorum truculentiam, sui adhuc meminit Disci-  
puli dilecti, eumque lachrymis & sanguine manantibus  
intuendo oculis, testatus est, quòd in suum hæredem ip-  
sum instituere veller.

Nihil meliùs & aptiùs præsentì materiæ meo iudicio  
adduci potest, quàm id, quod S. Ambrosius paucis verbis,  
magnum tamen mysterium complectentibus, profert: *De  
Cruce Dominus paulisper publicam differt salutem. De Cruce,*  
de sublimitate Crucis, in articulo mortis constitutus;  
quam temporis circumstantiam tanquam valde notabi-  
lem S. Paulus adhibet ad exaggerandum amoris Christi  
excessum erga suam Ecclesiam; *In qua nocte tradebatur.*  
1. Cor. II, 33. 2. *Publicam differt salutem*, quando omnes creaturæ inau-  
dito illi Crucis spectaculo tenebantur affixæ, spectaturæ  
finem mysteriosæ hujus tragediæ, undè pendeat etiam  
unica ipsarum salus; Dei Filius suspendit intereà bonum  
publicum & universale, ob bonum particulare unius dis-  
cipuli.

Pro faciliori captu conceptus istius, tria velim, con-  
sideretis, strictam obedientiam, quâ Christus suo se Patri  
ob-

obligavit, adimplendi per suam mortem opus redemptionis humanæ, Sacros desiderii ardores, & moræ impatientem amorem, quibus flagrabat ejus cor subeundi citius mortem, ipsum denique fructum, indeque emergens emolumentam, restitutionem nimirum honoris Dei, læsæ gloriæ Divinæ satisfactionem, & salutis totius humani generis reparationem spectans.

His tamen non obstantibus ad firmandam sui Dilecti felicitatem Christus omnia, imò *publicam differt salutem*. Dixisse mihi videtur ore vel corde: Mi Pater, novi quidem, quòd ardentissimè desideres maturationem Redemptionis humanæ, æquè scio, quòd idem sit summum cordis mei votum, placeat tamen Paternitati tuæ, ut antequàm tuæ justitiæ, charitati tam tuæ quàm meæ in humanum genus, satisfaciam, singulari erga meum Dilectum, affectui liberius indulgeam, ut paulisper differendo mortem, tantum spatii obtineam, quo testamentum in ipsius favorem condere valeam.

Jam video, non neminem ex me velle rescire, & quærere; de quonam testari possit, aut velit homo ad incitas redactus, nudus, omni sic destitutus subsidio, ut nec aquæ guttulam habeat, quâ extremam suam sitim restinguat: sed tam inops nec est, sicut vobis persuadetis: hostium furor, etsi contra proprium suum velle, reliquit ipsi integrum super terram pretiosum valde thesaurum, de quo disponendi facultas remansit qui capax & sufficiens infinitè locupletandi suum hæredem. An non talis est dignissima Dei mater, Oceanus profundissimus gratiarum, virtutum & meritorum? Hæc est, de qua testator Christus in ultima sua voluntate, brevi post moriturus in favorem S. Joannis pronuntiavit: *Mulier ecce filius tuus, (Fili) ecce Mater* Joan. 19. 26. *tua;*

*tua*: Quasi diceret; Mi dilecte Discipule immanis inimicorum meorum violentia rapuit id omne, quod videbar possidere in mundo; meo spoliârunt me honore, cum mille opprobriis opprimendo; vestibus jam exuerunt, de quibus adhuc lusu inter se certant, modò vitæ usum subtrahere deliberant; unum adhuc superest bonum, quod abstrahere non valent, in quod jus nullum Pater meus illis concessit, de quo in tui favorem disponendi, integra adhuc penes me stat facultas; id est, mater mea, sed *Ecce fili mater tua*. Hæc verba juxta aliquorum interpretum mentem habuerunt eandem propemodùm efficaciam cum Sacramentorum verbis, quæ pariter causant, quod significant, sic enim produxerunt in sacratissima Virgine amorem & affectum maternum erga S Joannem, & in isto reciprocum amorem atque respectum filialem erga Matrem.

Quemadmodùm olim in creatione mundi hoc unicum verbum, *fiat*, ex ore Creatoris procedens erat verbum fecundum, quod mirabilia produxit: pari modo ista verba: *Ecce filius tuus*, efformârunt è Joanne alterum Christum, per gratiam & communicationem Divinatum ipsius qualitatum. O gratia singularis! O favor inæstimabilis! O donum infinitè pretiosum! S Joannes acceptat sibi factam donationem per Salvatoris testamentum, & exinde ut suam conservat: *Ex illa hora accepit eam Discipulus in sua*.

Joan. 19. 27.

Si pensiculatè consideretis legata, quæ Christus circa sua omnia bona ordinavit, deprehendetis, advertit S. Thomas de Villanova, quòd assignârît Patri æterno suum spiritum, Ecclesiæ suum corpus, suum sanguinem peccatoribus, suum regnum latroni justificato, tunicam militibus, Eccle-

Ecclesiam Petro, halitum suum Apostolis, sua dona supernaturalia in communi fidelibus, gloriam cœlestem prædestinatis, matrem denique propriam Sancto Joanni. Ohæres longè opulentior quàm unquam hætenus in mundo fuit! sicut nunquam pariter visus est hucusque Deus, in statu, in quo condidisset suum testamentum.

Discursum nostrum ulteriùs promoveamus in præsentī materia. Quàm sublimem ideam oportebat Christum formasse de virtute S. Joannis; vel, meliùs loquendo, ad quàm excelsum gradum gratiæ hic evehctus fuisse, censendus, ut redderetur capax & dignus unionis, & fœderis tam arcti cum Dei matre? Qualis debebat esse homo ille, qui erat eligendus, ut succedat in locum Christi, cujus suppleret vices, qui que ministraret solatia genitrici afflictissimæ ob jacturam incomparabilem suæ Divinæ prolis? Facile mihi persuadeo, hunc Evangelistam sufficientem non fuisse ad plenè refarciendum damnum, in morte sui Magistri illatum Virgineæ Matri; hoc tamen scio, quòd adoptio, teste Seneca, sit inventa, ut malo fortunæ, & parentum sterilitati ferretur subsidium: *Adoptio fortunæ remedium est, supplet sterilitatem, vel orbitatem.* Christus Dominus facturus præviè ad mortem hanc admirandam adoptionem, non ordinavit eam nisi ad solatium suæ parentis; ei cedendo per testamentum suum dilectum, ut is esset Virginalis castimonix custos, & testis: *Legatur materni pudoris defensor, & testimonium integritatis.* Ut sonant D. Ambrosii verba.

Dicamus adhuc, quòd si primis in aula ministris, nobilissimis officiis fungentibus, merces & pensiones simul majores & quidem meritò exsolvantur: quis unquam ad-

H h h

mini-

ministravit munus magis honorificum, quis altiore aut ampliore in cœlesti curia obtinuit dignitatem, quàm noster Joannes? Correspondebit ergo gratiarum ac donorum remuneratio summa. Quidnam esse potest, quod consecuta non fuerit, non impetrârit filio, sibi tam amanter commendato, illa quæ est omnipotens ad obtinendum omne id à Numine, quodcunque ipsa vult?

Satis prolixè jam differuimus de testimoniis singularis amoris Christi erga S. Joannem, aliqua item proferamus argumenta amoris Discipuli, quem affectu reciproco impendit suo Magistro, & ostendamus, quòd si præ cæteris plùs fuerit dilectus, idem pariter plùs cæteris dilexerit.

II.  
Punctum.

S. Joannes in amoris certamine reliquis palmam præripuisse Apostolis, ardentius dilexisse suum Magistrum testatus est tribus rationibus. 1. Amavit, eique *serviit* majori temporis spatio. 2. Eundem amavit purius. 3. Illum amavit etiam constantius.

Plures annos D. Joannem consecrâsse amoribus erga suum Magistrum constat, quia hanc Amoris scholam frequentavit à tenera jam ætate discipulus, in qua etiam ad extremam usque perseveravit ætatem. Amorem ipsius item puriorem extitisse, colligitur ex statu Virginali, cujus florem Christo in primis adolescentiæ annis dicavit, & ilibatam servavit semper, quod de aliis Apostolis non legimus; quare S. Chrysostomus Joannem *exordium Virginitatis* compellat, eoquòd Beatissimam Virginem æmulatus; sicut illa castimoniæ nitore præluxit muliebri, ita S. Joannes virili sexui, cujus virtutis radios in universam præterea diffudit Ecclesiam.

Com.

Communis PP. sensus est, quòd intuitu Virginitatis ipsius Christus Jesus, Virginum Sponsus hoc tam teneri amoris, ac singularis familiaritatis ei dederit testimonium. Non spectat propriè, nisi ad Virgines, cum Virginibus, Jesu & Maria se tam arcto amicitiae vinculo obligare, intimæ unionis inire societatem.

Non sufficit, cum de Virginibus incidit sermo, annuntiare cum S. Ignatio Martyre, eas esse *pretiosa monilia Christi*, quibus Christus ipse se exornat: satis non est, D. Cypriano assentiri, illas vocanti selectos, eosque elegantissimos flosculos in hortensi Jesu lectulo, oviculas amabilissimas in Pastoris Divini ovili, portionem maximè illustrem cœlestis hæreditatis: Vel cum D. Bernardo, easdem adnumerare familiæ Angelorum; *Virgines de Angelica familia deputantur*. Sed recensitis jam privilegiis accenseri oportet, ad condignum de iis sensum exprimendum, quòd S. Joannis instar sint electæ ad capiendam quietem in sinu Jesu, utq; amatorum more Divinorum castissimis sui Dilecti inhæreant, ac perfruantur amplexibus: *Læva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* S. Cyprian, de Discipl. & habitu Virg. Cant. 2.6.

O si, mi Deus! hîc plus superesset temporis, proseguendi elogia ad eò eximiæ virtutis, daretur paulò liberiùs exspatiandi, diutius in istis liliis commorandi facultas; sed necessitas aliorum compellit discursum nostrum, ut loquamur pro utilitate præsentium Auditorum; sc. quòd, sicuti per puritatem cordis & corporis obtinemus Dei lumina, incrementa vivæ fidei, & effectus singularis Amoris Christi Jesu erga nos, sic è contra per vitium oppositum carnis involvamus plus quàm Cimmeriis tenebris, efficiamur jumentis parum absimiles, & hinc peculiari quodam modo odium & vindictam Dei in nos provocemus.

H h h 2

Quam

Lucz 12, 35.

Quam ob causam Christus in Evangelio à suis electis exigit cingulum circa lumbos, in manibus ut gerant lampades: *Sint lumbi vestri pracincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris.* Prior habitus castimonix, posterior fidei illuminatæ symbolum est; fides enim, prout Mellissius Doctor tradit, vivâ flummâ illuminari nequit, nisi per vitæ puritatem excludantur obscure vapores illi, qui è parte concupiscibili oriuntur, & superiorem animæ infestant, & obtuscant. Credite mihi, monet hic S. Pater; *Nisi ignis inferior extinguatur, superior lucere non potest*: prius ergo restinguite terrestrem, ut ardeat cœlestis.

Redeamus ad priora, & finiamus. S. Joannes demonstravit intensissimum, quem gessit amorem, quia Christum constanter sequendo, ei pro tunc etiam adhæsit, quando à reliquis omnibus erat desertus: *Cum vidisset Discipulum stantem.* Christus cunctorum mortalium afflictissimus, moriturus, saltem hoc solatium reperit, quòd videret se in electione sui amici minimè deceptum esse, què postquàm suum Dominum comitatus est supra Thaborum, æquè secutus generosè fuit ad Calvarix verticem; post haustum delitiòsum dulcorem illius cordis, non horruit cum eodem pariter bibere amaritudinem è propinato sibi calice passionis.

Vidit Christus infra ad pedem Crucis suæ *Discipulum stantem*; ista tam firma statio in tribus rebus Discipuli constantiam commendat: 1. In fide sua, in qua non vacillabat cæterorum istar, suum Magistrum non negavit ut S. Petrus, nec fidem amisit cum S. Thoma. 2. In exteriori professione fidei suæ se comitem jungendo cum Christo, tempore Passionis. Tantam non promeretur admirationem S. Petri facta confessio & protestatio, quâ

quã Christum Dei filium verum agnoscendum, & adorandum proclamabat, cum vidit mortuos ad vitam revocatos, cœcos ab eodem illuminatos, ipsum infinitudine quãdam miraculorum splendentem; quantam S. Joannis constans fidelitas, cui necessarium erat cor in amore obfirmatum, ut suo etiam Domino adhereret, quando non nisi militum & carnificum globo erat stipatus; ut debitum præstaret homagium posito in annihilationis suæ fundo, pleno opprobriis & ignominiiis; ut deploraret cruci affixi mortem, tanquam Deicidium, videndo ipsum mori veluti hominem, in suo amore perseverantem. Ah! quoties hic Discipulus densatos militum penetravit cuneos, in medium tortorum se conjecit, mortem ultro avidus exambit? Quot vicibus altâ voce publicè contestatus se Discipulum istius in Cruce morientis, Judices injustitiæ, lictores nimis in eum crudelitatis arguit, laboravit omni conatu illorum in se concitare furorem, ut cum suo Magistro simul moriendi, daretur occasio? Quantum æmulabatur, & ambitioso invidebat oculo carnificum turmæ, quæ ipsius occupabat locum, & remoram interponebat, nè præter morem proximus lateri Jesu adhereret? Deniq; videns omnem sibi tunc ad commoriendum facultatem ademptam, conatus est, per amoris & compassionis affectus sublevare sui Domini tormenta, miscendo suas lachrymas cum istius cruore, simulque respiciendo uno oculo moriente Amorem suum crucifixum, attrahebat in cor suum clavos, lanceam, plagas & supplicia omnia Salvatoris patientis vi & viribus suæ compassionis.

Si verum est, quòd anima plus sustineat in corpore, quod amat, quàm in eo, quod animat, certè S. Joannes longè plura pertulit in corpore Christi, quod ardentè.

H h h 3

amabat,



amabat, quàm pati potuisset in proprio, quod odio habebat; in certo sensu asserere nobis licet, discipulum istum ad pedem Crucis magis quodam modo ipsâ Dei Matre fuisse afflictum: huic quippe solatio esse debebat, quod sciret, nullam se unquam contraxisse noxam, quâ causam tormentis & morti sui Filiâ suppeditasset.

Quâ verò tristitiâ procellâ cor S. Joannis obrui oportebat, quando intellexit, se quidem in summo esse gradu amicitia, esse Discipulum Jesu unice dilectum, interea tamen parricidis amantissimi sui Magistri simul adscriptum? Dolor, quem is in Golgothæi montis fastigio subiit, tantæ erat vehementiæ, ut in quorundam Doctorum sensu promeruerit gloriam Martyrii, indeque inferunt, eoquod vitam suam sub licitorum manibus cæterorum Apostolorum more non consummârit, Amor Divinus intervenire voluerit, ipse futurus author & actor Martyrii Discipuli æquè amati, ac amantis.

O, quàm uberem gloriæ messem invehit Divo Joanni hic discursus, quantam verò confusionis materiam subministrat mihi, meisque Auditoribus! sumus quidem omnes reverà tenerè dilecti Jesu, at non pariter sumus diligentes Jesum. Deus singularem omnino in nos suam demonstravit omnem bonitatem, quis id in dubium revocare audeat? *Non fecit taliter omni nationi, & judicia sua non manifestavit eis.* Non sumus nati inter Turcas, non educati inter Brasilos anthropophagos, ut infiniti alii: infudit liberalissimus Deus cum rationis usu nobis fidei lumen, justitiæ suæ in nos non exercuit rigorem, quem tamen in numeri experti sentiunt, quos in ipso patrati sceleris æstu deprehensos abripuit ad pœnam, perdidit æternum, quantum vis

Psal. 147, 10.

tumvis adeò gravia ac frequentia in Dei injuriam non accumulârint delicta, uti nos cumulavimus.

O quàm pridem incurrissemus parem damnationis pœnam sine amore isto Dei speciali! singulari ejus misericordix adscribendum, quòd salvi adhuc subsistentes, in tali versetur statu, in quo salutem æternam consequi possumus, dummodo velimus. *Misericordix Domini, quia* Thren. 3.22. *non sumus consumpti.* Ne quidem unus invenietur ex nobis, si reflexionem supra antea actæ vitæ totius cursum instituire velimus, qui non deprehendat infinita singularis bonitatis hujus argumenta; verum itaque manet, quòd Deus singulari nos amore fuerit complexus etiam filios iræ; cum mereremur justam ejus potius vindictam, nos gratiarum suarum ditârît thesauris, quos prævidit fore ingratos; intercà tamen pro tot tantisque beneficiis, amoris Divini indiciis aliud nil rependere, videmur præter ingritudinis summæ continuationem. Nihil est, cui minùs impendimus amoris, quàm Deo; exarsimus toti in amorem divitiarum, honorum, damnato sæculo placere, quæsimus: quæ non ad aucupandum mundi favorem, sustinuumus, quibus discruciatî curis, ne disgratiam illius incurreremus? quales mentis exorbitantis ardores, quàm enormes passionum excessus sensimus ad lucrandam abjectissimarum creaturarum affectionem, quæ nos modò condemnant? Ex omnibus solus Deus est, quem inimici instar excepimus. Deus igitur nos persecutus est amore puro & gratuito; gratiarum suarum subsidio nos prævenit, beneficiorum vinculis ad se attraxit, sed eheu tanto amoris respondimus odio gratuito, eoque detestabili! *Odio* Joan. 15.25. *habuerunt me gratis*, amantis Jesu querela est. Merito ergo oportet, ut perfundamur rubore ob inhumanam ingrati-

gratitudinem, & perversam, deordinationem cordium nostrorum, in consideratione ardentis cordis S. Joannis: consecremus saltem postremos elabendis modò anni paucos dies; nè transeat ulla diei hora, quâ non ex animo detestemur nostrum ingratum animum, quâ non cordiculus doceamus de tempore, sine amore in Jesum, transacto.

Hæc est Divina charitas illa, quam vobis mei loco relinquo, siquidem vos deserere, & ori silentium imponere usque ad quadragesimæ ferias, sum justus: proinde *Act. 21: 32. commendo vos Deo, & verbo gratia ipsius.* Charitas ista interea vobis loquetur, dummodo eam audire lubeat. Quare non dicamus de ipsa, quod Tertullianus de sua fide enuntiat? *Unusquisque debet colloqui cum fide sua.* Instituite itaque colloquia & discursus cum Charitate, quam etiam ad consilium adhibeatis, quoties aliquid tentatis aggredi.

Divina hæc charitas, quam vobis relinquo commendatam, remedium afferet omni malo, quod elapso Adventûs tempore proposui vobis, & declaravi, vel meliùs loquendo prosequetur, consummabitq; omne bonum, cujus initia posuimus.

1. Si denuntiando Divinorum judiciorum rigorem vos terrui, si merum fallacium gaudiorum, cujus gustu vos oblectabamini in mundo, tristitiæ absynthio pergentium Doctore. *2. Cor. 7. 8. Si contristavi vos, non me penitet,* repono cum propinabit solatia, hæc sciet, eâ arte amaritudines dulcorare pœnitentiæ, labores temperare Divini servitii, ut non sine voluptate iis sitis fruituri, juxta Pfaltis promissum: *Labo-*  
*Pfal. 127. 2. res manuum tuarum quia manducabis.*

2. Si gladio Divini Verbi, quo usus, vulnus quoddam vestris infixi mentibus, inde gaudium capio; sunt enim plagæ medicinales, quæ salutem & vitam procurant æternam: nec permittite, ut tam citò obductæ coalescant ex integro, servate interim illas, vos contestor, quia Charitas timori succedens, ut S. Augustinus animadvertit, obligabit, & sanabit artificiosis suis manibus felices hæc plagas, eisq; affundet oleum & balsamum cœlestium consolationum. *Timor vulnerat, sed intrat Charitas, que sanat, quæ Timor vulnerat.*

3. Si vos viâ latâ, per quam currebatis læti ad perditionem æternam, abstraxi, ut reducerem vos in angustam & arctam paradisi semitam; etiamsi natura ob injectos libertati suæ compedes lugeat, in luctu & lucta verferetur sic coacta, Charitas, quam vobis relinquo, ampliabit cordium vestrorum angustias, monstrabit, & aperiet viam spatiosam, ut cum Davide læti exclamare valeatis: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* Psal. 118. 32. Cursus iste felicitate æquè, ac voluptate relictus non alium reperiet terminum nisi in interminabilis beatitudinis æternitate, quam vobis exopto, & apprecor. In Nomine Patris, Filii & Spiritûs Sancti.

Amen.



PRO FESTO  
CIRCUMCISIONIS.

*Semetipsum exinanivit formam servi accipiens . . .  
propter quod & Deus exaltavit illum, & do-  
navit illi nomen, quod est super omne nomen:  
ut in nomine JESU omne genu flectatur cae-  
lestium, terrestrium & infernorum. Philipp.  
2. v. 7. 9. 10.*

**I**N mysterio hodierno tria nobis consideranda proponit S. Bernardus, *Circumcisionem, Nomen & Sanguinem*, quæ triplicem pariter nobis causam subministrant, *Admirationis* sc. *Amoris & Imitationis*. *Admirationis*, ob exinanitionem Christi circumcisi, id est, signati caractere peccatoris: *Amoris*, ob Christum humiliatum ad nos glorificandos: *Imitationis*, istius tam profundæ humilitatis: *Admirationis*, propter adorandam majestatem nominis ipsius super omne nomen, concessi à Patre suo Dei Filio, in recompensationem exinanitionis Dei: *Amoris*, propter nomen, quod nil significat nisi dulcedinem, teneritudinem, & charitatis excessum: *Imitationis* virtutum SS. Jesu nomine expressarum. *Admirationis* in contemplatione lætæ immortalitatis, cultri rubentis Dei sanguine: *Amoris* ob guttas primas cruoris adeò pretiosi, quas impatiens Jesu dilectio è venis ejus extraxit, ut sanguinolentis characteribus signaret protestationem

tionem nobis factam, manendi noster *Jesus* id est Salvator.  
*Imitationis* dolorum, & patientiæ Christi jam in balneo  
 sanguinis sui abluti.

Interim dum cœlum universum, omnis terra & in-  
 fernus simul debitum præstant homagium illustrissimo  
 huic nomini *Jesu*: consideremus primò exinanitionem **DIVISIO.**  
*Jesu* circumcisi; deinde in altera parte ponderemus istius  
 exinanitionis præmium compensativum per gloriam No-  
 minis excellentissimi, *Jesu*.

Ut comprehendamus hoc mysterium imploremus  
 gratiam Sancti Spiritus, sine cujus cooperatione teste Divo  
 Paulo ne quidem dignè, ut oportet, nomen *Jesu* pronun-  
 tiare possumus, quam ut nobis impetret *Deipara*, priùs ei  
 dicamus salutationem. *Ave Maria.*

Quæstio est admodùm famosa inter Theologos &  
 Sacræ Scripturæ interpretes, num dicta à S. Paulo exina-  
 nitio, seu annihilatio conveniat propriè, directè & in rigo-  
 re adorandæ Personæ Theandricæ Verbi, aut solùm ejus-  
 dem Humanitati.

S. Ambrosius & Dionysius Alexandrinus cum qui-  
 busdam aliis judicant, immutabilitatem Verbi, quod in se  
 ullam imminutionem recipere nequit, aut de novo super-  
 venientem accessionem, non admittere, ut dicatur, se ex-  
 inanuisse, sed solam Humanitatem ipsius sustinuisse pro-  
 fundam exinanitionem in hoc, quòd illa non receperit in  
 novo isto statu, quem per Incarnationem subiit, omnes  
 sequelas, & omnes adpertinentias, alioquin debitas ado-  
 randæ suæ dignitati, sed è contrario eadem apparuerit in-  
 duta nostras fragilitates & infirmitates, atque splendoris  
 hujus Regii loco, sibi titulo unionis hypostaticæ compe-

centis, susceperit in se formam servi, se subjiciendo humilitati, & miseriis nostræ mortalitatis.

Philip. 2. 6.

Nihilominus communior Theologorum & Interpretum opinio tenet, quòd S. Paulus attribuat præfatam annihilationem seu exinanitionem propriæ Personæ Verbi. Eius verba sunt clara: *Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit.* Is, qui se exinanivit juxta D. Pauli sensum erat æquè Deus, ac Pater illum generans, ac possidebat omnia Divinitatis Regalia justo titulo æternæ suæ generationis. Verbum ergo, quod Deus est æqualis cum Patre, ipsum est, de quo Paulus testatur, se exinaniisse. Quod tamen non sic intelligendum, monet Theologorum apex D. Augustinus, quasi Verbum amiserit aliquid sibi essenziale, sed, quòd aliquod esse de novo susceperit: *Non, quod habebat, deposuit, sed, quod non habebat, accepit:* vel, juxta expositionem D. Leonis. *Nostra suscipiens, propria non amittens.* Res omnino paradoxa! assumendo id, quod non habebat, se exhaustit, recipiendo, quod erat à nobis, se depauperavit, & exinanivit. Audite Angelica sua differentem linguâ D. Thomam.

Philip. 2. 7.

Psal. 38. 6.

Natura humana, existens infinitè plus in potentia, quàm in actu, est ingens vacuum, Verbum Divinum se uniendo isti naturæ humanæ, huic vacuo, seu nihilo: *Semetipsum exinanivit.* Aut dicamus cum Psalmista: *omnia esse creata coram Deo nihilum esse: Substantia mea tanquam nihilum ante te.* Hinc Verbum assumens nostrum esse creatum per unionem cum natura nostra, se reduxit ad nihilum, *Exinanivit.*

Vel sequamur doctam Card. Cajetani explicationem: *Quanquàm Dei Filius, docet is, semper retinuerit*

rit

rit æqualitatem cum suo Patre, per suam tamen Incarnationem sibi appropriavit aliquid, quo antea carebat, vī cuius in tempore verificatur, quod antea & ab æterno verum non erat: *Pater major me est.* Profunda est humiliatio Personæ istius Divinæ, posse consequenter ad unionem cum natura nostra in vitam de se prædicare: *Ego sum vermis, & non homo.* Joan. 14. 28.  
Psal. 21. 7.

Cum præcipuum, quod in hodierno mysterio considerandum, sit descensus & abjectio Christi ad imam humilitatis abyssum, cō nos pariter demittamus nos argumentis & probationibus nostris.

Quatuor principales reperio descensus seu passus, quos fecit Divinum Verbum, ut pertingeret ad ultimum hujus abyssi fundum; super iis instituite, quæso mecum quandam reflexionem.

Primò, *Verbum factum est.* Passus ecce primus enormis, verè passus alicujus gigantis: *Exultavit ut gigas.* Descendens de sinu paterno, ubi genitus, non factus, se demisit in sinum maternum, ibi de novo concipiendus; *Factus ex muliere,* ut phrasis sonat Paulina, & ex substantia mulieris. Verbum factum, idem est, ac supremum principium, & primaria causa recipit esse à suo effectu, fons acquirit novam sui fluxus originem. Verbum, quod fecit omnia, apparet modò factum, & in tantū, ut faciat, Deum dependentem, Deum subjectum, Deum obedientem. I.  
Punctum.  
Psal. 18. 6.  
Galat. 4. 4.

*Verbum caro factum.* Occurrit alter passus amabilis istius demissionis; descendit è summo gloriæ suæ fastigio, à splendore suæ Divinitatis totaliter puræ ad limum & lutum. Supputetis, si potestis, quot infinite fecunda Dei virtus producere possit naturas nobiliores & longè perfectiores, quam sit præstantissima.



omnium cœlestium Intelligentiarum, exinde mensuretis distantiam intra perfectissimum Angelum & hominem interpositam: postea asserite, quod Verbum in sui ad carnem descensu tot gradus transierit, quot comprehendi possunt naturæ possibilis humanâ excellentiores. Idem proinde non est, Verbum factum est Angelus, est Cherubin, aut Seraphin, sed caro factum. Neque dicas, Verbum caro factum, quali primus homo, Adam in statu innocentie fuit præditus, immortalis, & impassibilis; sed caro factum, quæ temporum injuriis, variisq; doloribus est subiecta.

In tertium impingimus jam passum, quo accessit non solum ad carnem hominis, sed ad carnem infantis, ad carnis infantiam, qui infimus status idcirco præcipue considerandus, quod in illo omnes ejus excellentiæ verè sint exinanitæ, id est, incognitæ manserint.

Deus secundum Theologiæ placita triplicis speciei numerat in se perfectiones, eas sc., quæ immediatè emanant, & procedunt ex sua essentia, velut immensitas, æternitas & immutabilitas. Secundò sunt, quæ vitæ ipsius effluvia quædam nuncupari possunt, sicut Sapiencia, scientia, ejusque operationes omnipotentes. Tertio, quæ libertatem illius consequuntur, prout sunt bonitas, misericordia & justitia. Omnes istæ perfectiones in Incarnationis mysterio apparent quasi exinanitæ. *Suscipitur à majestate humilitas, à virtute infirmitas, ab eternitate mortalitas*, habet oraculum Magni Leonis.

Sapiencia Dei latet abscondita sub forma infantis, qui aliud nescit, nisi balbutire; Potentia est exinanita in infirmitate carnis nostris miseriis obnoxia; immutabilitas ejusdem est cooperta involucre corporis, quod juxta-

men-

mensuram ætatis crescit; sic de aliis attributis discurrendo. *Grave mihi est, adorare Deum juniorem*, dicebat quidam Judæus disputans contra Gregentium Archi-Episcopum Homeritarum. Verum est, quòd status iste esset indignus Divinitate, nisi excessus amoris ipsius defectum suppleret.

Necdum ad infimum abyssi fundum devenerat, quia adhuc ulterius humiliandi, inferius adhuc se dejiciendi, occurrit locus, à D. Paulo sequentibus verbis expressus: *Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati.* Rom. 8. 3. Filius Dei non carnem duntaxat induit, carnem inquam, passibilem, carnem infantilem, sed ò prodigium humilitatis heteroclitæ! carnem assumpsit signatam stigmate peccati; non tantum ex eo capite, quia se objecit pœnis, doloribus, qui sunt fructus & effectus necessarii culpæ, sed quoniam subiit insuper onus legale Circumcisionis, quæ apud Judæos nostrum figurabat baptismum, & ordinata fuit ad consequendam peccati remissionem, cujus erat testimonio D. Bernardi quasi character, aut melius loquendo, cicatrix. *In Incarnatione factus est paulo minus ab Angelis; in Circumcisione multo minus, qui non solum formam hominis, sed formam habet peccatoris: insigitur enim veluti canterio latronis.* Post peccatum ipsum nil adeò est abjectum, quàm figura & forma peccati. Verbum accipit hodie ex amore nostri formam peccati, cui peccatum recipere in se, est impossibile. En ultimum denique gradum, quem Verbum attingere potuit; *Non plus ultra*, Deus quippe per omnes suæ omnipotentis vires se inferius ultra demittere nequit.

S. Joannes Chrysostomus ea D. Pauli verba: *Semet- ipsum exinanivit, formam servi accipiens,* sequendo textum Græcum

S. Bernard. in  
Serm. de Cir-  
cumcisione.

Philip. 2. 7.

Græcum

Græcum sic legenda tradit: *Formâ servi acceptâ exinanivit*: prius in Incarnatione & Nativitate sua formam assumit mancipii, in Circumcisione progreditur ulterius se eòusque humiliando, quòusque possibilitas admittit, uniendo sibi formam peccatoris. Jam videte quomodo.

In sua Incarnatione, & maximè in mysterio suæ infantia se exinanit, id est, incognita reddit Divinitatis suæ attributa; at in Circumcisione sua exinanit propriam essentiam, cùm peccatum contradictoriè sit oppositum Divinitati, & prorsus incompatible cum natura Dei; hoc cauterium peccati illi incidi nequibat, quin ab aliis æstimaretur peccator, & per tale medium incurreret infamiam, vi cuius in iudicio humanæ fidei opinio de ejusdem Divinitate exinanitionem pateretur. Exinanibat insuper magnificam suorum titulorum gloriam, à persona sua cæteroquin inseparabilem, Judicis nim. Regis, summi Pontificis, Messia; omnes siquidem istæ dignitatum qualitates se cum peccato nequaquam poterant compati: nam si quis hodie sustineret in sua carne cultrum circumcisionis, talis forinsecus non compareret, ut Judex, sed noxæ reus, nil Regium præferret, imò haberetur mancipii instar, non repræsentaret Salvatorem, bene salvandum exprimeret, qui ipse indigeret, salvari.

Adhuc superest, quod notandum rogo, paupertatem, nuditatem, contemptum hominum, ipsa etiam tormenta, mortemque in omnium sapientium iudicio res esse de se adiaphoras, ad verum honorem vel dedecus indifferenter se habere, utrumque involvi potius in eorum causa; ex. gr. magnus quispiam Princeps infra statum suum se abjicit, ut populum suum altius elevet, se ad incitas redigit, ut subditos dicet, ad quorum item salvandam vitam

mor-

mortem oppetere non dedignatur, an non talis apud omnes suos status gloriam nominis sui promeretur immortalē? At peccatum est essentialiter ignominiosum; ita ut sit impossibile, videre aliquem peccati notā inustum, quin simul eum judicemus vero contemptu dignum, in illis saltem circumstantiis, in quibus fides non elevat aut corrigit rationem. Nihilominus hoc est, quod evenire videmus hodie in Christo. Quis enim posset ipsum videre recurrentem ad remedium, quin judicaret, quod eo indigeret? Quis posset intueri corpus illius sanguine ablutum reliquorum infantium more, citra censuram, animam ejusdem pariter fuisse pollutam?

Dictis superaddite, si placet, quod possimus dicere, mysterium Circumcisionis hodiernum esse fundum & abyssum humiliationum Christi, quatenus nimirum humilitas tantā potentia hic suum exercet imperium, ut nec nullus quidem radius gloriæ extrinsecus comparere videatur. In Nativitate ipsius si Verbum Divinum obmutescit, cœlum linguis Angelorum ejus magnalia deprecatur; si præsepe Deum tegit, illum fulgidissimum recens exortum sidus cum splendore deregit, pro Deitate facundè perorat, ut S. Maximus vult: *Latet in pannis, fulget in cœ-* Serm. de Nativit.

*lis, cune nascentem, stella indicant dominantem.*  
In Baptismi susceptione quando innocentia nocentium globo se immiscuit, aperti cœli hanc simul aperuerunt, & in lucem protraxerunt unā Spiritus Sanctus, visibiliter supra caput Christi quiescens, & vox Patris æterni sensibilibiter excepta.

Dum pruriens ad maledicendum Judæorum lingua nomen ipsius opprobriis obruere laborat, suspensam tenet totam Judæam ille in admiratione suorum miraculorum:

K k k

ægri

agri reftituti, mortui ab inferis revocati altâ voce testantur contrarium, impositis ei calumniis. Imò in Cruce etiam moriturus tam vivaces fublimioris gloriæ ejaculatur radios, ut, qui eum in vitæ fuæ mirabilibus agnofcere nolebant, tunc publicè compellerentur testari: *Verè hic*

*Marc. 15.39. homo filius Dei erat.*

Uno verbo, fempèr is alioquin folet adhibere mixturam, inquit Arnoldus Carnotensis, gloriæ & ignominia: *Viciffim humilitas & fublimitas quibusdam inter fe revolutionibus partiuntur negotium.*

Sed in Circumcifione nil aliud deprehendimus, nifi materiam humilitatis, ejulatus læfi infantis audimus, matrem cernimus compaffione tactam, mifcere lachrymas cum cruore fui filii; occurrunt nobis infames peccati notæ, crudelitate cultri innocuæ ac puriffimæ carni ipfius incifæ. Licèt ei pro tunc imponeretur magnum hoc nomen *Jefu*, illius tamen gloria foras non prorumpibat, fiquidem virtus iftius latebat adhuc incognita. Myfterium itaque præfens non folùm profundiffimæ humilitati fuit fociatum, fed humilitati, quæ nihil gloriæ in fui admiffio confortium, & confequenter veriffima eft Chrifti exinanitio. *Semetipfum exinanivit.*

O Mi Deus! quàm horrendum eft monftrum fuperbus poft hac Chriftianus, quòdque plaga hæc fuperbiæ fit incurabilis, omnino fatebndum eft, fi dictâ Filii Dei exinanitione curari non poffit. Profitemur omnes, nos credere in Deum circumcifum, qui efi Sanctus Sanctorum, & impeccabilis exiftens, ex amore tamen noftri remedium adèd probrofum & dolorificum peccati fibi applicare ftatuit: nos è contra criminibus totaliter cooperti, haberi volumus innocentes. Ad peccandum fumus invere-

verecundi, pleni pudore & fragilitate, quando confessio  
& pœnitentia de peccatis instituenda: *Malè proni in vul-* Serm. 7. de  
*nera, pejus in remedio verecundi, & horrescimus vulneris li-* Circumcisi,  
*gaturam, qui de vulneribus interdum gloriamur, ita suos exe-* Dom.  
rit in nos aculeos Claravallensis Apis.

Post promulgationem hujus mysterii, quærit S. Leo,  
num inter fideles inveniri possit, ad quascunque dignita-  
tes aliquis sit evectus, qui imposterum pudori sibi ducere  
ausit exercitium & scholam humilitatis, cujus summus  
Deus noster tam stupenda nobis reliquit paradigmata: ?  
*Nemo aestimet sibi pudendum, quod manens Deus in forma ser-*  
*vi, Deo non est arbitratus indignum.*

Interea quis est inter nos, qui exercendæ humilita-  
tis praxi sit studiosè intentus? Humilitas est quidem vir-  
tus Christianis propria, cum paganos lateat incognita: sed  
modò non ampliùs videtur esse virtus Christianorum; su-  
perbia quippe & vanitas penitus ferè occuparunt omnia  
corda.

Unde nascuntur illi invidiæ motus, qui nos ad in-  
tuitum prosperitatis alienæ inquietant? hæc inter proxi-  
mos odia, bella, discensiones? Unde emergit tantus ve-  
stium luxus, excessivæ in eas factæ expensæ citra ullam  
statûs, conditionis differentiam, nisi ex infelici ambitio-  
ne, aliis eminendi, seq; ostentandi? Unde oritur intole-  
rabilis magnatum fastus & tumor, pedibus suis inferiores  
proculcantium, à quibus præterea exigunt cultum soli  
Deo deferendum? ex quo alio promanat fonte insatiabi-  
lis pecunias coacervandi avaritia, quàm ex inordinato ho-  
noris appetitu? Mihi credite, notat D. Chrysostomus,  
ipsam mali radicem excindi curat S. Paulus, quando fal-  
lacium divitiarum cultoribus, ab Ecclesiasticis Oratori-

K k k 2

bus

1. Tim. 6.

bus humilitatem præcipit, persuaderi: *Divitibus præcipe hujus sæculi non sublime sapere*, superbas cogitationes, elatos conceptus deponere. Videtur aptius medium ad eos convertendos, si moneantur, & moveantur ad moderandam immodicam auri famem, & erogandas pauperibus eleemosynas: nil minùs, respondet S. Chrysoſtomus, bene enim Apostolus novit, quòd plerumque illorum avaritia altiorem suam derivet originem è superbiæ fonte, quòd sint avari quia superbi; divitias statuunt ut medium ad finem, animo nimirum se super alios extollendi, sibi que famam comparandi.

Quidnam aliud mercatores extra justos commercii limites abstrahit, suoque lucro adeò rabiosâ adglutinat fame, nisi desideria, quibus æstuant, augendi familiam, promovendi liberos, seque in obtenta mundi dignitate tuendi? Quidnam potissimam Christianorum partem excæcat, rebellem efficit luminibus gratiæ? quid ipsos compellit, suffocare mille bona proposita cœlitus Divino calore concepta, pro salute propria consequenda? mundanus ille metus, & inanis apprehensio, nè sustineamus aliquam coram sæculi hujus alumni vilipensionem existimationis nostræ in exercitatione virtutis.

Philip. 2. 7.

Quòd si adeò arctè constringimur desidero ampliandi honorem, discamus hodie viam, cui, ad consequendum illum, nos insistere oportet. Num decipi timeamus premendo vestigia, quæ increata Sapientia consignavit, ut mediantibus iis scanderemus ad gloriæ apicem? *Semetipsum exinanivit, propter quod Deus exaltavit illum &c.* Descendit infra omnes creaturas, quapropter Pater æternus dedit illi nomen, quod est super omne nomen. Hæc est gloria

gloria nominis istius, ad quam pluribus declarandam in sequenti altero puncto jam progredior.

Etiam si nil aliud proferrem in medium ad laudem Sacrosancti istius nominis, quàm ipsius auctorem, Patrem æternum, qui idem in compensationem exinanitionis suæ, modò vobis explicatæ, Christo suo Filio, attribuit, credo, ex hoc solo capite majorem de eo æstimationem à nobis concipiendam.

Minima etiam humiliationum exercitia à Verbo suscepta merentur præmia infinita, quousque igitur excrevisse censendum est, extremum hunc humilitatis excessum in ratione meriti? S. Paulus nusquam facit mentionem nominis istius, nisi quatenus est compensativa præmiatio.

Res stupenda! Alia illustria attributorum nomina u. g. Sapientiæ æternæ, Vivi characteris substantiæ Paternæ, Creatoris, Regis, Judicis supremi vivorum & mortuorum prædicata sine ullo sui dispendio sibi comparavit, utpote debita vi communicationis essentiæ suæ cum Patre, tanquam vero Deo, & homini insuper, titulo unionis hypostaticæ. Sed quando de nomine *Jesu* assumendo, negotium fuit, videtur initus esse contractus aliquis inter Patrem & Filium; quasi Pater nollet concedere nomen istud suo Unigenito, nisi descendentem priùs videret ad fundum abyssi, ad infimum humilitatis gradum: *Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus Jesus.* Ad acquirendum hunc titulum, oportet, ut proprio subscribat & obsignet sanguine protestationem, obediendi usque ad mortem Crucis.

Proinde non admiror, quòd S. Paulus probaturus excellentiores Christi præ Angelis prærogativas, fundamentum



mentum desumat è præstantia nominis ipsius. *Tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hereditavit.*

Hebr. 1. 4.

Nomen verè magnum. 1. Ob magnitudinem id donantis. 2. Ob magnitudinem rei significatæ. 3. Ob magnitudinem effectuum, quos in se continet.

Quemadmodum perfectè hætenus *Nemo novit Filium, nisi Pater*, ut Christus ipsemet docuit; ita nullus capax extitit præter Patrem donandi nomen illi. Eandem igitur adhibere debuit fecunditatem sui intellectûs, quâ filium ab æterno progenuit, ad nomen hoc in tempore producendum. Ideo signanter in prædicatione sua Isaias exprimit: *Os Domini nominabit*, nomen hoc pronuntiabit, quod unicè capax, exponendi officiorum, dignitatum, & honorum celsitudinem à Deo intra manus Christi consignandam. *Vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominabit.*

Isa. 62. 2.

Ibidem.

Est insuper nomen in sua significatione transcendens omne nomen, cujus partem Deus hominibus tribuere voluit, eis communicando effluvium suæ autoritatis. Primò, quia fuit institutum ad significandum Regem, cui omnes ceteri monarchæ sunt subjecti, Principem, è cujus nutu cuncta dependent sceptræ, Judicem, cujus decreta universi submissis poplite reverentur mortales, summum Pontificem, cujus omnes reliqui simplices solum sunt Vicarii. *Exaltatum est Nomen ejus solius.* Secundò, nomen est super omne nomen, quia includit omnes perfectiones significatas per nomina essentialia, veluti, *Deus*; per Personalia, uti, *Verbum*; per relativa ad creaturas, sicut, *principium*. Præterea id exprimit altiorem terminum potentia Dei, excessum bonitatis Divinae, primum & magis

Psal. 148. 13.

magis præcipuum propositum ejus Sapientia. Ita ut si reliqua Divina nomina nobis repræsentent essentiam Dei necessariam & independentem, primam omnium essentialium scaturiginem; ad modum illius, quod Deus ore proprio Moyse exposuit: *Ego sum, qui sum.* Vel istius <sup>Exod. 3. 14.</sup> adeò apud Hebræos venerandi: *Jehova*: Si nobis indicent Deum operantem ad extra, ut *creator, omniscius, omnipotens, providus* &c. Hæc tamen omnia non plus nobis innuant, quàm operantem intra limites statûs naturæ: Sed Augustissimum *Jesu* nomen declarat Dei virtutem operativam in eminentiori statu gratiæ. Verbo, istud nobilissimas denotat operationes, opulentissimas communicationes, quas Deus extra se producere valet; quales sunt, communicatio hypostasis, & Personalitas Verbi factæ cum Humanitate Salvatoris, effusio vitæ spiritualis gratiæ fidelium animis, participatio gloriæ ac felicitatis æternæ mentibus Beatorum præstandæ.

Sæpius comprehendere nequivi, cur Isaias genealogiam Christi instituens tam prolixam titulorum congeriem in medium proferat, quibus illustrissimos hujus infantis Divinitus concessi natales adornet, & nullam præstantissimi faciat mentionem nominis: *Filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum ejus, & vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis.* <sup>Isai. 6. 9.</sup> En quàm speciosa æquè ac vera nomina: Sed ô theodidacte Vates, ubi est nomen illud, quod super omne nomen? S. Bernardus opinatur, intentionem fuisse Isaiæ, hæc nominum multiplici differentiâ explicandi excellentias in nomine *Jesu* contentas, exprimentes omnes istos illustres titulos, officio Salvatoris annexos; quia si unquam certè *Admirabilis* suspici meretur

in unione ineffabili duarum naturarum, infinito à se spatio distantium, componentium unam, adorandam Jesu Personam. Meritò appellandus est *Consiliarius* Altissimi, in qualitate enim *Jesu* subit arcanum Dei consilium, ut inde hauriat notitiam negotiorum suorum prædestinatorum. Jure item vocatur *fortis*, quia ut Salvator mortem vicit, inferorum portas destruxit, peccati potentiam fregit, vires contrivit. *Pater futuri sæculi* appositè nominatur *Jesus*, ut talis quippe moriendo, ipse nos regeneravit in vitam immortalem. Bene tandem subscribitur titulus: *Princeps pacis*, siquidem *Jesus* est, qui pretioso suo sanguine pacificavit universa, pacem cælum inter & terram composuit. Quòd si ergo, ut videmus, omnes isti pretiosi tituli, de quibus mentionem agit *Isaias*, sint radii quidam coronantes Sacro-Sanctum *Jesu* nomen; concludamus cum Propheta *Jeremia*: *Domine magnus es tu, & magnum est nomen tuum.* *Magnum* in significatione Verbi, quod caro factum, unionis Divinæ cum natura humana; *magnum* in adimplerione salutis humani generis; *magnum* in exprimendis omnibus officiis, & honorificis dignitatibus Salvatoris; *magnum* denique in stupendis suis effectibus.

Jerem, 10, 6.

Hoc præclarum *Nomen*, encomium est *Hermetis* unius ex Apostolorum discipulis, *filius Dei magnum est, & immensum, totus ab eo sustentatur orbis.*

Vigebat quædam inter Rabbinos hæresis, sibi persuadentes, nihil impossibile esse illi qui ritè nôsset pronuntiare nomen tetragrammaton *Jehova*; *Moysen* de hoc secreto cælitus edoctum, inde tot victorias ex hostibus retulisse, quoties cum iis congressum tentasset. Sapientissimum item *Salomonem* evasisse, omniumque rerum  
natu-

naturalium notitiam ex fonte, seu virtute nominis istius haussisse, tradunt. Sed Christianæ veritatis maxima est, quod si bene, ut oportet, sciamus uti Sacratissimo Jesu nomine, sumus experturi prodigiosos omnino effectus: *Sanctum & terribile nomen ejus.* Psal. 110. 9.

Est nomen hoc merum intellectui nostro lumen, ejus dissipans tenebras, cui ostendit etiam ornamenta gratiæ & sanctimoniam. Si nobis liceret penitus inspicere arcana sub tam specioso nomine recondita, detegerentur nobis inestimabiles thesauri Charitatis Dei erga homines infinitæ; objicerentur nobis grandia & admiranda Dei in nos decreta & gratiarum opes nobis à Deo præparatæ, dummodò eas in virtute ac nomine Jesu petamus. Idcirco consulit nobis antiquus ille Hesichius presbyter, ut cordi nostro lampadis instar id nomen affigamus: *Domum nostri cordis nomine Jesu, veluti lucidâ lampade exornemus.*

Idem nomen est quoddam balsamum & oleum effusum, quo voluntatis nostræ affectiones emolliuntur, suaves, flexibiles ad motum gratiæ redduntur, unde hauriunt virtutem invincibilem ad quascunque emergentes difficultates superandas: *Oleum effusum nomen tuum.* Cant. 1. 7.  
Tunc, quando ineunda nobis pugna non tantùm cum carne & sanguine, sed cum cunctis principatibus tenebrarum harum, notat S. Ambrosius, pretiosum istud oleum adhibeamus ad nos ipsos roborandos. Illo se inungebant olim invincibiles Athletæ, fortissimi, inquam, Martyres, antequàm descenderent in arenam luctaturi cum tortoribus: *Hoc unguento uncti sunt Martyres.*

Sacrum istius Nominis, inquit Sapiens Idiota, balsamum

Aa 9. 5.

mum sanat omnes plagas nostras, roborat debilitates nostras: ipsum audiamus: *Sanat languidos, recreat fessos, penetrat duros.* Hujus veritatis experimentum capere licet ex animo quodam excecato, corde admodum obstinato, nimirum S. Pauli. Vix Christus ipsi explicarat sui nominis virtutem: *Ego sum Jesus*, mox totaliter immutatus, promptus & paratus erat ad cuncta, quæ sibi præciperentur. O si nos æquè sciremus in difficultatibus, quas in exercitio virtutum sentimus, nostram animam, sicut oportet, alloqui: *Jesus est*, qui hoc à te exigat; *Jesus est amor cordis tui, tua spes, tuum gaudium, quem sequi, & imitari debes in isto conflictu*; talibus jaculis seu jaculatoriis precibus certè omnes difficultates cederent, aut si non penitus abscederent, experiremur vires subministrari invincibiles ad easdem superandas. Ut paucis absolvam, in summis, amaritudinum fluctibus, quibus exagitur cor nostrum, in extremo tristitiæ & desperationis barathro cum mellifluo Bernardo testari possemus, quòd *Jesus sit mel in ore, melos in aure, jubilatio in corde.*

Psal 110. 9.

Prov. 18. 10.

Sicut Divinum hoc nomen nobis per omnia & in omnibus est favorabile, ita pariter est terribile hostibus nostris: *Sanctum & terribile nomen ejus.* *Turris fortissima nomen Domini*, subjungit sapiens; turris, ad quam prædestinati confugiunt, cui portæ infernales nequeunt appropinquare, minus se opponere audent. Deus non solum vult, ut hoc speciosum & tam gloriosum nomen sit præmiatio exinanitionis Christi Jesu circumcisi, sed ordinat id insuper, ut sit remuneratio nostra.

Quàm

Quàm pretiosum est munus istud, quo Deus nos veluti strenâ hîsce ineuntis novi anni Calendis, donare eupit. Imprimite, dilectissimi Auditores mei, dictum nomen bene tinctum & imbatum sanguine Jesu frontispicio adium vestrarum, & Deus eas hoc scuto tutabitur: præfigite idein initio negotiorum vestrorum, & Deus illa fortunato beabit successu. Omnes sequentis anni actiones fiant ad gloriam ejusdem sanctissimi Nominis, & Deo erunt acceptæ, quasque remunerabitur præmio vitæ æternæ. *Omne, quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in Nomine Domini nostri JESU Christi.* Colof. 3. 17.

Tu blasphemias dedite, qui brevî Dei dudum capiti tuo imminentem vindictam senties, maledicæ salutariferum nomen imponas linguæ, ac liber eris hac damnatorum consuetudine. Tu luxuriæ cæno immerse, purissimum nomen istud incide pectori tuo, extinguentur impuræ illæ flammæ, tanto jam tempore inibi ardent. Tu, qui tamdiu & toties vindictas spiras, quoties respiras, idipsum adhibe, & applica nomen, est enim oleum dulcedine refertum, quod dulcorabit acrimonias & amaritudines odiorum inveteratorum.

Davidem imitemur universi in præsentis anni auspiciis, ultro cum eo provocemus armatos hîsce Goliatho non impares, armatos gigantes, congregiamur cum hostibus, qui sunt pravæ inclinationes, maligni habitus nostri: liberè fiduciâ pleni iis insultemus: *Ego venio ad te in nomine Domini.* 1. Reg. 17. 45.

O infelix iracundia, quæ in tanta mala nos præcipites agis; maledicta vanitas, quæ toties ad subtrahendam

dam Deo suam gloriam, injustè nobis arrogandam, nos inducis; venio ad vos sine metu, intrepidus, vobiscum congressurus in nomine *Jesu*, quod est nomen virtutis, victoriæ augurium; viribus fortissimi istius Nominis roboratus, vi Nominis hujus vos prostrernere, delere confido. Credite mihi, præscribens ut efficacissimum contra passionum motus S. Bernardus ait: *Nihil ita ira impetum cohibet, superbia tumorem sedat, extinguit libidinis flammam, sitim temperat avaritiæ.* Ratio hujus est, quia pronuntiando id nomen, mihi propono suavissimum, humillimum, castissimum omnium mortalium, qui quatenus homo, me animat suo exemplo, & quatenus simul est Deus, me roborat gratiæ suæ subsidio.

Quandoquidem Christus nos hodie Xenio remuneratur, meritò à nobis reciprocam expectat strenam. Quod principaliter à vobis exposcit, est, ne ipsum à consortio sui tam beati nominis excludamus, quod tam caro comparavit pretio, eique tam gloriosum est. Sed quâ ratione possibile sit, id subtrahere, quod Pater æternus illi donavit? Imò certo quodam modo id fieri potest. *Jesus* significat Salvatorem: non autem erit nisi solo nomine Salvator, nisi sint salvandi, & quò minor salvandorum numerus, eò minùs nomen Salvatoris extenditur quoad suum salutis effectum. Quòd si ergo peccator salutis tuæ obicem ponis, ex parte tua nomen Salvatoris Christo adimis, si oblatae gratiæ cooperari renuis, eundem impedis, ne tuus sit Salvator, sed destructor, iudex & vindex sit, illum compellis. Reflexionem super annum præteritum institue, quàm paucæ in computum venient salutis actiones, quàm multa numerabis operam-

dam-

damnationis & perditionis? Ex duodecim mensibus, è quibus componitur annus, nōne vix deprehendes quindecim fortè dies in tali statu exactos, ut Christus potuerit esse tuus *Jesus*, id est Salvator? Nam eādē viā sequenti etiam anno vitæ tuæ continuabis cursū? Quódnā, & ubi lucrum hæctenus comparatum? Quid residuum de anno, qui effluxit, manet aliud, nisi id, quod pro tua salute fuisti operatus? Ineas itaque generosam hodie resolutionem proficiendi juxta mensuram gratiæ, quam Christus *Jesus* in hodierno mysterio tibi est promeritus, ut proficiens de virtute in virtutem, perfruaris demum gloriæ regno quod tibi præparavit in cælo.

Amen.







# I N D E X

## Materiarum præcipuarum.

A.		C.	
A	Dversitas est signum Prædestinationis. pag. 125	Circumcisio Christi Jesu.	434
	Peccatori deservit ad suam Reprobationem. 126	Cæcitas peccatoris.	147
	Non est mala. 127	Conceptio Immaculara B.V.M. 317	
	Peccatum & impatientia malam reddunt. 131	Confessio. V. <i>Pœnitentia</i> .	
	In Adversitate Deus consolatur Justos. 134	Confidentia falsa peccatoris. 238	
	Peccator patitur sine solatio. 135	Conscientia mala. 198	
	Peccator se in Adversitate condemnat, quæ ei ad salutem suam submissa fuit. 136	Est Testis. 199	
	Afflictio. V. <i>Adversitas</i> .	Est Judex. 245	
	Ambitiosus seipsum dejicit. 81	Est Carnifex noster. 212	
	Ambitiosi casus in altum exurgere molientis. 83	Contritio qualis esse debeat. 255	
	V. <i>Honor</i> .	Conversio vera exigit necessariò mutationem vitæ. 274	
	Athei debilitas & cæcitas. 166. 176	V. <i>Pœnitentia</i> .	
	Avari habebunt pauperes liberos. 90	Cor Deus perit à nobis. 9	
	Avari ruina 109. 114	Curiosus in auditione Verbi Divini. 12	
	V. <i>Divitia</i> .		
	B.		
	Benedictio Dei. 65. 69	D.	
	Bonitas Paterna Dei. 39	Dilectio inimicorum. 403	
	Bona opera sunt Fidei necessaria. 221	Divitiæ sunt bona Dei. 48	
	Bonum ut sit verum, debet esse donum Dei. 65	Veræ debent esse donum cœlestis. 65	
		Falsa hujus mundi. 64	
		Divitiarum vanitas. 109	
		Dolor de peccatis. 255	
		F.	
		Felicitas Justorum. 45	
		Peccatorum falsa. 105	
		In Peccatoribus est nota Reprobationis. 118	
		Fides	

I N D E X.

Fides est fundata super Verbum Dei. 1	Intentiones bonæ. 6
Est lumen animæ. 7	Mala audiendi Verbum Dei. 7
Est fortitudo intellectus. 172	Joannis Evangelistæ Amor, Virginitas. 426
Rationi contraria non est. 165	Justi felicitas. 45
Ratiõ purè humana est opposita Fidei. 162	Justitia Dei. 39
Sine operibus mortua est. 222	L.
Fortitudo Christiana. 395.411	Liberi puniti ob peccata suorum Parentum. 83.89
fundata est supra timorem Dei. 250	Ignominiosâ egestate. 90
Fortis seu firmus intellectus. 164	Morte subitanæ. 93
Fortuna V. Felicitas. Fortunæ V. Divitiæ. 164	Maledictione Divina quâ magis adhuc it redduntur vitiosi propriis suis parentibus. 101
G.	Libertas vera est servire Deo. 182.183
Gloria Dei quæ & quotuplex. 74	Libertini cœcitas. 166.167
Gloriæ desiderium. 72	M.
Gloria quænam vera. 75	MARIA V. Conceptio, tres Marianæ devotionis conditiones. 375
Mundanorum falsa. 80.103	Mors Peccatorum, Repentina, Subitanæ. 324.325
Gratiæ prerogativæ & dona gloriosa. 76	Mundani & Mundanæ circa Verbi Dei auditionem. 11.12
Sin: Gratiæ homo nihil est. 77	V. Vanitas
H.	N.
Homo justus est felix. 44	Nativitas Christi Jesu. 377
Honor quisnam verus. 75	Negligentia malorum Christianorum. 148.
Mundanorum falsus. 81	Nominis Jesu gloria majestas. 445
Honoris desiderium. 72	O.
Humilitas Jesu in Incarnatione & Circumcisione. 435	Obduratio & Obstinatio peccatoris. 156.179
I.	Odium Dei in peccatum, Abominationis. 30
Jesu Nomen. 444.445	Vindictæ contra idem peccatum. 41
Ignorantia voluntaria malorum Christianorum. 148.149	Opera bona necessaria. 222
Sapientium Ethnicorum, profanorum. 168	P.
Impii infelicitas. 27	Parentes puniti per mortem suorum liberorum. 93
Cœcitas & debilitas. 147.166	Liberos ditare dum cupiunt, in egestatem inducunt. 91
Insensibilitas ejusdem. 155.242	Passiones excæcant & perturbant mentem. 153.73
Incarnatio Verbi. 377	Hominem
Insatiabiles sunt passiones. 194	


I N D E X.

Hominem in mancipium convertunt.	188		
Sunt insatiabiles,	194		
Peccator est à Deo relictus.	38.39		
Est occultus Excommunicatus,	38		
Est à Deo maledictus.	29		
Est obstinatus & insensibilis,	156.179		
Est passionum mancipium.	188		
Peccatum est odii Divini objectum, 30.34.41			
Est causa malorum omnium.	61 & seqq.		
Nos exæcat	146		
Pœnitentia necessariò verum exigit dolorem,	255		
Firmam resolutionem, serium propositum.			
Satisfactionem legitimam.	274		
Fasa est in hora mortis,	302		
Peccatoris in Inferno.	341		
Prædestinationis nota sunt afflictiones,	125		
Prædicatio est instituti Divini,	3		
Ejus effectus.	1.2		
Ejus analogia cum S. Communione & Sacrificio Missæ,	6.15		
Prædicatores: Eorum functio & dignitas.	3		
Quam suo abundantur ministerio.	15		
Peccatores convertere nequeunt.	19		
Præsumptio peccatoris.	238.250		
Propositum bonum ad Conversionem est necessarium.	275		
Prosperitas Peccatorum falsa,	105		
In malis signum Reprobationis,	118		
Mater vitiorum.	119		
Providentia Dei paterna,	39		
		<b>R.</b>	
		Ratio humana est opposita Fidei.	168
		Religio: Ejus necessitas.	170
		Ejus qualitates.	172
		Reprobatio: Ejus signum in malis est felicitas.	117.118
		<b>V. Adversitas.</b>	
		<b>S.</b>	
		Sapientum profanorum ignorantia.	168
		Satisfactio pro peccatis.	287
		Scientiarum profanarum vanitas.	150
		Sermo V. Prædicatio.	
		Servire Deo est regnare.	183
		Servitus peccatoris.	188
		Spes debet conjungi cum timore Dei.	240
		Falsa peccatoris.	238
		S. Stephani prodigia.	396
		Superbia mundanorum.	443
		Superbos confundit Deus.	88
		<b>T.</b>	
		Timor Dei necessarius ad gratiam & salutem recipiendam.	240
		Connexus est cum sacra quadam solitudine.	249
		Tribuit vires ac fortudinem animæ.	251
		<b>V.</b>	
		Vanitatis Divitiarum.	109
		Mundanae magnitudinis.	82
		Mundanorum omnium causa vitiorum.	444
		Scientiarum profanarum.	150


*Collegii Rodici S. Paderbor. 1703*


F I N I S.















Impius  
Intellectus  
P. T. T. T.

Th

2666